BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LI
C
9
NAPOLI

L1
C
9

QVAESTIONES, AC DISCVRSVS


In duos primos Libros Annalium C. Cornelij Taciti.

Autore

PETRO ANDREA CANONHERIO

Philoſophiæ, Medicinæ, ac Sacræ Theologiæ Doctore.

AD SERENISSIMVM PHILIPPVM III. HIS. ET IND. REGEM POTENTISSIMVM.



ROMÆ, Apud Bartholomæum Zannettum.
M. DC. IX.

PATRVM NON SINE PERMISSV.

NAPOLI

Imprimatur, ſi videbitur R. P. M. Sacri Palat. Apoſtolici.
Cæſar Fidelis Viceſg.

Hunc Librum ex commiſſione Reuerendiſſimi P. F. Ludouici Yſtella Sacri Pal. Apoſtolici Magiſtri perlegi, nihilq. in eo inueni contra fidem, aut bonos mores, imò multa vtilia, & proficua, atque ideo dignum cenſeo, qui imprimatur, ſi ita R. P. M. Sacri Palatij videbitur.

Don Innocentius ab Eccleſia Præpoſitus Coll. S. Pauli in Columna, Romæ.

Imprimatur, F. Thomas Pallauicinus Bononienſis Magiſter, & Socius Reuerendiſſimi P. F. Ludouici Yſtella Sac. Pal. Apoſt. Magiſtri.

SERENISSIMO

PHILIPPO III. HISP. ET IND. REGI POTENTISSIMO.

MIRABITVR fortaſſe quiſpiam Sereniſſime, ac inuictiſſime Rex, quòd ego politicorum minimus, ſacræ regiæ maieſtati veſtræ hunc librum auſus ſim offerre. Verumtamen ſi quis animo perpenderit, hoc opus quæſtiones, ac diſcurſus in Tacitum complecti, qui ſicut hiſtoricorum, & politicorum omnium facilè princeps eſt, ſic illud quoquè qualecumque ſit, primo totius orbis terrarum Regi me rectè dicaſſe non perperam iudicabit. Quare quemadmodum Sol, Dux, Princeps, & moderator reliquorum luminum, magnitudine cuius, ac pulchritudine nihil maius, ac excellentius poteſt inueniri, in Acarum, omnium animalium minimum influere non dedignatur. Sic mihi ſpes eſt iniecta, quòd potentiſſima M. V. cuius amplum, ac vaſtum imperium ferè orbem terrarum amplectitur, benigni-

tate illa familiæ Auſtriacæ propriâ, ac ſingulari hunc librum ſit acceptura. Quod vt Maieſtas V. faciat rogo, quæſoq. Valeat ſemper Deo placens, hominibus proficiens, Sacra Regia Catholica Maieſtas. Romæ Kal. Martij 1609.

Potentiſſimæ Catholicæ Maieſtatis V.

Deditiſſimus Seruus,

Petrus Andreas Canon.

AD LECTOREM.

HAS quæſtiones, ac diſcurſus, quos paucorum menſium curriculo in Tacitum ſum elucubratus, vt æqui, boniq. facias benigne Lector te etiam, atque etiam rogo. In animo quidem mihi erat in quinque libris elaborare; ſed flagrantiſsimum deſiderium in Hiſpaniam proficiſcendi, quod opportunam, & præclaram nactum eſt occaſionem, & temporis inopia, a reliquorum labore me abduxerunt; ſed quod differtur, non aufertur. Diſcurſus duos præclaros quorundam celebrium virorum, qui manuſcripti in manus meas peruenerunt, quia pulchri; & lectione digni videbantur opportuno loco poſuimus, vt legendo reperies; eſſet enim nobis religio alieno labore famam comparare, ſicut, & quorundam exiguos labores, quorum nomen cum ignoraremus, verbo (quidam) annotauimus, quod verbum & ſæpius eos Autores ſignificat, qui nominari non poſſunt. Proprijs Autorum verbis in his libris vſi ſumus, & noſter ſermo curauimus, vt ad veritatem, & vtilitatem non ad eloquentiam accederet. Errata aliqua

offendes, quæ conniuentibus oculis pertranſito, eorum enim aliqua, & Typographi, & meæ celeritati, ac temporis penuriæ, aliqua etiam librario ſunt adſcribenda; Exemplum enim meum in manibus ſuperiorum remanſit. Si cenſoriam virgulam ſumpſeris, de eis non iniquam ſententiam feras, ſcire enim debes neminem varijs mortalium palatis cumulatè ſatisfacere poſſe, & his temporibus præſertim, in quibus moroſa ingenia, animi ingrati, & iudicia nimis ſunt abſurda. Si aliquid inueneris, quod tibi placeat Paridis Pinelli Ciuitatis Sancti Angeli Marchionis, qui bonas artes fouet, quique nihil vehementius contendit, quàm, vt ſcientiarum cultores fortunæ incommoda non patiantur, liberalitati acceptum referas.

I N-

INDEX QVAESTIONVM.

QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Libri Primi.

QVID ſit Ius Status. fol. 10
De Religione. 32
An ius Status, a iure belli differat. 56
Vtrum liceat libertatem inſtituere, quæ Reſp. magis libertate fruatur Veneta, an Genuenſis, & cur primus Brutus libertatem inſtituere, vltimus autem non potuerit. 69
Vtrum aliquis Princeps, vel populus poſſit quoque prætextu ſe eximere, quominus Cæſari ſubſit, & obediat, illumq. reuereatur. 75
Principia, atque diſtinctiones reducendi ſub regula ſtatuum mutationes. 98
A qua cauſa Ciuitatis interitus proficiſcatur. 104
Vtrum mundus ab vno poſſit gubernari. 109
Vtrum ſecula noſtra antiquis ſint peiora. 120
Quid Aſtrologi ex ſyderibus præſcire poſſint, & de eorum vanitate. 125
De Hiſtoriæ vtilitate, ac hiſtoricorum iudicio. 134
Quòd Princeps ſolitudinem fugere deberet. 145
Vtrum fœminæ viris præferri in regnando debeant. 146
Vtrum melior ſucceſſio an electio. 150
De præſtantia teſtamenti, & de teſtamentis pijs. 157
Vtrum aſſentatio aulica cauſa ſit Tyrannidis. 169
De Iuſtitia. 177
Vnde fuerit vis dominandi, & de cauſa formali, materiali, & finali

nali dominij,& de multis ad Dominum pertinentibus. 181
Cur Princeps facilius priuato iraſcatur. 194
De occaſione. 196
De Seditione. 197
An Princeps per ſe, an per Legatos bella conficere debeat. 199
De Hiſtrionibus. 200
Quàm Principi fides neceſſaria ſit. 206
Vtrum bella fortuna, an conſilio gerantur, ac de multis ad bellum attinentibus. 214
Vtrum nummi ſint bellorum nerui. 224
Vtrum conſultatio celer an lenta eſſe debeat. 234
Quot modis acquiratur Principum amicitia, quàm ſit pericu-loſa, & cui malus exitus ſit adſcribendus, & vtra facilior ſit conciliatio amicitiæ principis cum principe, quàm cum priuato, & de multis ad aulam pertinentibus. 241
Vtrum Princeps leges mutare debeat, & vtrum ſit ſolutus legibus, & de alijs, quæ ad leges pertinent. 254
Vtrum nemini liceat in Principem inuehi. 261
De Liberalitate. 265
Vtrum Magiſtratus perpetui eſſe debeant, & de multis ad illum pertinentibus. 268

Libri Secundi.

De Legatis, & de multis ad Legationem pertinentibus. 273
Principes abſtrahere multos Imperio ſpecie honoris. 293
Quomodo Nobilis militiam citò addiſcere poſſit. 296
Vtrum pro vitanda miſeria feritate debeat homo ſibi met mortem tradere. 299
Vtrum liceat Principi, & priuato amicitias renunciare. 302
Quis nam fuerit quòad militiam primus. 305
Vtrum meretrices Reipub. neceſſariæ, vel vtiles ſint. Et de multis ad adulterium pertinentibus. 320
De remedio famis, & vbertate conſeruanda. 327

VITA

VITA C. CORNELII TACITI.

CAIVS Cornelius Tacitus, cuius mentionem faciunt Plinius, Vopiſcus, Plinius ſecundus, Sidonius ad eum datis epiſtolis, hiſtoriæ ſcribendæ vacauit ſenex, cum nobiliorem ætatem in cauſis agendis traduxiſſet; ſcripſit primùm omnium hiſtoriarum libros, ab exceſſu Neronis ad Imperium Neruæ: Deinde annales ab Auguſti exceſſu, ad finem Neronis, quorum omnium per iniuriam temporis maxima iactura facta eſt. Eiuſdem videmus ſuperſtites libros de moribus Germanorum, & vitam Iulij Agricolæ ſoceri ſui. Orationes quaſdam elucubrauit, quarum aliquas retractauit epiſtola ad Cæcilium. Dialogus verò de Oratoribus à nonnullis eſſe Quintiliani iudicatur, vixit annos 80. vt legitur in lib. 3. Theſ. hiſtor.

Eſt opus inſcriptum hoc titulo C. Cornelij Taciti annales, non actiones diurnales, non actus diurnales, vt falsò putauit Franciſcus Puteolanus; nec audiendus eſt Fl. Vopiſcus, qui in vita Taciti Imperatoris Romani, Cornelium Tacitum vocat hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptorem, quia non purus ſcriptor eſt. Nam ſatis conſtat hos ipſos libros annalium nomine inſignitos ab autore non ſemel; ſunt autem hæc loca, quibus id apertè docetur, lib. 3. exequi ſententias haud inſtitui, niſi inſignes per honeſtum, aut notabili dedecore, quod præcipuum munus annalium reor, ne virtutes ſileantur, vtq. prauis dictis factisq. ex poſteritate, & infamia metus ſit. lib. 4. Pleraque eorum, quæ retuli, quæq. referam parua forſitan, & leuia memoratu videri, non neſcius ſum, ſed nemo annales noſtros cum ſcriptura eorum contenderit, qui veteres pop. Rom. res compoſuere. lib. 13. Nerone ſecundùm L. Piſone Conſulibus pauca memoria digna euenere, niſi cui libeat laudandis fundamentis, & trabibus, quis molem Amphithea-

tre apud campum Martis extruxerat volumina implere, quùm ex dignitate pop. Rom. repertum ſit res illuſtres annalibus, talia diurnis Vrbis actis mandare.

Fatendum tamen eſt libros confuſos eſſe, non enim omnes in eis diuidendis, ac ſeparandis conuenere, præſertim hiſtoriarum libros. Nã quod Tacitus lib. 21. tradit de grege Aſinorum agreſtium, quos ſecutus Moſes largas aquarum venas ſuis aperuerit, affirmat Septimius Tertullianus lib. 5. contineri.

Et ſi Tacitus Imperator, vt ait Vopiſcus tanti hominis, nullo vnquam tempore memoria periret, Decuriones Ciuitatum obſtrinxit, vt quotannis decies eius opera deſcriberetur, ac in omnibus bibliothecis apponeretur (Officium enim Decurionum erat hiſtorias ſcribere, & annales, & res geſtas, & approbatos autores, vt oſtendit Vuolfgangus Lazius in lib. 3. comment. rep. Rom.) tamen integra non durauit. Verum ſi quis reputet, vt inquit quidã ſecum ruinam Imperij Romani, tot tamq. diuturna bella, quibus totus occidens concuſſus eſt, Francis, Alemannis, Gothis, Langobardis cuncta perpopulantibus, mirum videri queat tantum adhuc ſupereſſe de ſcriptis autorum veterum. Accedit Chriſtianorum a libris Gentilium olim magis auerſus animus, ſed tamen in tanto Monachorum numero ſemper reperti ſunt aliqui priſcis litteris fauentes, qui deſcribenda autorum monumenta curarint. Hanc vtilitatem præcipuè Cœnobijs debemus ſic nobis priores quinque Taciti libros, Corbeia Viſurgi Fluuio vicina, Benedictinorũ monaſterium eſt, conſeruauit proximis annis illinc ad Leonem, X. P. M. allatos.

At quia Tacitus in conſcribendis annalibus ad vnguem obſeruauit quicquid antiqui, & recentiores, vt Chriſtophorus Mileus, Celius 2. Ioã Pontanus, Franciſcus Patritius, Franciſcus Balduinus, Franciſcus Robertellus, Vbertus Folieta docuere, ſemper in maximo habitus eſt, & habetur honore.

Plinius in quadam ad eum epiſtola, hæc verba profert. Equidem adoleſcentulus, cum iam tua fama, gloriaq. floreret te ſequi, tibi longo, ſed proximus interuallo, & eſſe, & haberi concupiſcebam, & erant multa clariſſima ingenia, ſed tu mihi ita ſimilitudo naturæ ferebat maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris. Et in quadam alia, petis, vt tibi auunculi mei exitum ſcribam, quo verius tradere poſteris poſſis, gratias ago, nam video morti eius, ſi celebretur a te immortalem gloriam eſſe propoſitam. & paulo poſt, equidem beatos puto, quibus Deorum munere datum eſt, aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda, beatiſſimos verò, quibus vtrumque.

Ad eundem ſcribens Cæcilius, auguror inquit, nec me fallat au-

gurium

gurium hiſtorias tuas immortales futuras, quo magis illas ingenuè fatebor inſeri cupio.

Aemilius Feretus in caſtigatione autoris, tanto acumine, tantoq. iudicio res Rom. mandauit litteris, vt nemo certè legatur in ſuo genere illi comparandus; nam quamuis caruerit nitore, & puritate linguæ, abeunte iam Romano ſermone in peregrinas formas, atque figuras, ſuccum tamen, & ſanguinem rerum incorruptum retinuit, idemq. tam multa pauciſſimis complexus eſt, vt attenti lectoris in animo aculeos relinquat, indiligentem, ac aliud cogitantem fallat, ac prætereat.

Thomas Sertinus, quemadmodum nullum eſſe arbitror ſcriptorem rerum geſtarum præferendum Cornelio Tacito, ſiue ſimilitudine temporum noſtrorum, ſiue grauitate ſententiarũ, & peritia aulici, regijq. moris, ita nullus mihi videtur &c.

Quidam Bernardo Epiſcopo Tridentino, ac Cardinali ſcribens, dicit, equidem multis de cauſis ſemper digniſſimum iudicaui Tacitum, qui inter ſcriptores rerum Romanarum in manibus aſſiduè haberetur, vel hoc præcipuè nomine, quod non tantum perpetuam bellorum hiſtoriam contexuit Liuij inſtar, aut cæterorum, ſed ſubinde res inſignes interijcit, quarum vtiliſſima cognitio, ſiue quod ab alijs omnino non traduntur, ſiue quod hic plenius. & paulò poſt. Vnde factum vt præſtantium in litteris virorum iuditio Liuio non ſit poſtponendus Tacitus, quin potius anteferendus.

Doctiſſimus vir Andreas Alciatus Galeatio Vicecomiti ſcribens, ait, qua tamen in re, vt cæterorum laudi detrahere nihil auſim, ita Cornelium Tacitum nulli cedere conſtanter affirmauero, & paulo poſt, certat ſermonis grauitas cum elegantia, mauultq. aliqua animo lectoris cogitanda relinquere, quam longis eum narrationibus oneratum dimittere. Qua ratione fit, vt tametſi delicatioris ſtomachi lectorem eius nunquam ſatietas capiat, cum huiuſmodi viris etiam lactea Liuij vbertas plerunque faſtidio fit, vt ſicut illi non niſi ineptè aliquid addideris, ita huic non niſi temerè quicquam detraxeris, ſed grauior Tacitus inflaturq. magis, ſiue quod rerum dignitas hoc expoſtulet, ſiue quod ſub Veſpeſiano id dicendi genus magis placuerit. Et paulo poſt, ſed & nobis pro Tacito ſordeſcet Liuius, cum illi clarorum virorum exemplo, plurimis nos præceptis inſtructos dimittit, quemadmodum in caput autorum ſcelera vertantur, quantum nominis ex conſtantia, animiq. fortitudine quæramus, quàm cautè cum malis Principibus agendum, quam modeſtos cum omnibus eſſe conueniat.

Philippus Beroaldus iunior in epiſtola ad Leonem X. inquit, nam

ſummum ego autorem, & ſummè vtilem Cornelium Tacitum ſemper iudicaui cum priuatis hominibus, & optimatibus, tum vero etiã Principibus ipſis, atquè Imperatoribus. etenim cum ex reliquis hiſtoricis, alij res tantum domi foriſq. in rep. geſtas perſcribant, vt Salluſtius, vt Liuius, alij Principum vitas oſtendiſſe contenti ſunt, vt Suetonius, vt Plutarchus, hic vnus vtrumque munus ſummo ordine, diligenti cura, magno iudicio, multa concinnitate complexus eſt.

Philippus Cauriana in ſtylo Cornelij Taciti dicit, inter omnes hiſtoriarum latinarum ſcriptores nullus eſt, qui aut vitæ inſtitutione, aut præceptorum grauitate, aut ſtyli breuitate, aut dicendi prudentia æquiparari cum Cornelio poſſit, tot enim ſententiæ, quot verba, nihil in eius ſcriptis inane.

Annibal Scottus in epiſtola ad Sixtum V. Verum inter hos, qui artem bene regendi Reſpub., & docuerunt præceptis, & exemplis illuſtrarunt, vt omittam Platonem, Ariſtot., Xenop., & alios, qui potius Ideas finxerunt recti principatus, quam illas re ipſa expreſſerint, mirum eſt Pater beatiſſime, quantum omnes antecellat, & valde emineat P. Cornelius Tacitus Romanæ hiſtoriæ grauiſſimus ſcriptor, cuius de laudibus cætera; quæ dici poſſent prætermittendo, hoc tantum in præſenti dicam, illius ſcripta à grauiſſimis, ac ſapientiſſimis Principibus tanti habita, & æſtimata fuiſſe, vt paucos dies inter grauiſſimas etiam regiminis curas præterire finerent, quin illud ſtudioſè legerent, & in rerum ſuarum vſum conuerterent, adnotationibus, obſeruationibus manu etiam ſua inſigniores eius auctoris locos illuſtrando, ac ſibi ſeponendo.

Carolus Paſchalius in epiſtola ad Carolum Emanuelem Allobrogum Ducẽ. His vnis ferè præceptis, quia Cornelij Taciti ſcripta contexta ſunt, cæteros hiſtoriæ ſcriptores Græcos pariter, ac Romanos infra huius magnitudinem iacere exiſtimo; Quippe vnus omnium veterum in rerum obſcuriſſimarum veritatem penetrauit, in intimum callidiſſimorum hominum pectus inſpexit; vera æſtimatione quanti quidq. ſit perpendit; mixta cum principatu morientis veſtigia libertatis, cum falſis vera, cum ludibrijs ſeria, cum adumbratis ſolida, conſociatum cum fide obſequium ſeruile, cum virtutibus fallaces ſpecies virtutibus ſimiles, quibus ſingula dignoſcantur, impreſſit. Cæterùm nullam hic prodigam verborum copiam, nullas puſillas ſuſpicioſas ſuperuacuas ſententias, nihil falſum, otioſum, compoſitum in oſtentationem in ſe habet concinnitas hæc ſenſibus valida, in qua nec verba, nec periodos numeres, ſed ſingula æſtimes, & expendas, nec ſonitum inanis fractæ, & eneruatæ orationis exaudias, ſed robur adſtrictæ, & collectæ ſentias, ac maieſtatẽ validiſſimæ, ac ſapientiſſimæ eloquentiæ,

quæ tota ex grauiſſimis, veriſſimisq. ſenſibus exundat admixtum. *Iam vero nec virtutes, nec vitia ſilentur, neutrum in maius effertur, ſed ea moderatione meritò laus tribuitur, qua peccatum non aſperatur. Nec eſt quod vereare quicquam hic ſupra imitationem eſſe poſitum, aut in miracula corruptum, omnia ſunt obuia ante pedes, in cōmuni vſu poſita, nimirum priſcis verbis hodierna facta oſtenduntur. Deniquè his Tacitus eſt, qui non niſi ei placere potis eſt, quem erudit, nec quemquam erudit, niſi qui ex proprijs, non alienis experimentis tantum prudentiæ collegit, vt hoc duce honeſta a deterioribus, vtilia obnoxijs diſcernere poſſit, vſquè eò omnia inſtrumenta, quibus ad omnes vitæ ſtatus ſubſidia parantur ex hoc ſacrario promi poſſunt, nempè illa quorum ope futura prauideri, imminentia vitari, ſecunda temperare, dubia prudenter tractare poſſunt, alios neſcio.*

Marc. Ant. Muretus orat. in Corn. Tacit. In primis autem illud poſitum ſit, quæ ſumma ſcribentium laus eſt, eam Tacito ab omnibus vno ore tribui, nullum vnquàm ſcriptorem prudentiorem, ac conſideratiorem fuiſſe, ſiccam, ac ſobriam eſſe illius orationem, adſtrictam verbis, denſam ſententijs, nihil in ea notari poſſe diſtuens, nihil inane, nihil redundans: ſingulis ſæpe verbis ſingulas ſententias contineri. Magna laus, & quæ in quo ſit facilè ei alias deeſſe patiaris. Nam vt in ijs, quæ poſſidentur, ea plurimi fiunt, quorum exigua moles eſt pretium ingens, vt aurum, vt gemmæ, vt in cibis, ij maximè laudantur, qui minimum detrimentorum habent plurimum ſucci, ita maximi facienda oratio, quæ pauciſſimis verbis plurimum ſententiæ amplectitur, indicat enim ſe in pectore non in ore naſci. Hæc præcipua orationis virtus, quæ ex omnibus ſcriptoribus Latinis in Tacito præcipuè cernitur, efficit, vt omnium ætatum ſapientiſſimi quique, qui nō inani verborum ſono, ſed bonitate, & grauitate ſententiarum ducerentur, præcipuo in honore Tacitum ſemper habuerint eiuſq. aſſiduā, & accuratam lectionem principibus viris omnium vtiliſſimam iudicarint.

Iuſtus Lipſius ad 1. lib. polit. notas Latini ſequuntur, quorum agmen Cornelius Tacitus mihi ducat. Ante Liuium inquies? non eloquentia, aut alijs virtutibus, ſed ijs, quas nunc conſideramus prudentiæ & iudicij notis, quis illo verius narrat, aut breuius? quis narrando magis docet in moribus? quid eſt, quod non tangat in affectibus? quod non reuelet? mirabilis omninò ſcriptor, & qui ſeriò hoc ipſum agit, quod non agit. Nec enim hiſtoria ſolum eſt, ſed velut hortus, & ſeminarium præceptorum, vt ij, qui veſtes acu pingunt ingenioſè gemmas inſerunt ſine confuſione; aut noxa formarum, ſic iſte paſſim ſententias ſeriæ narrationis nihil omiſſa, aut læſa, ſcaber tamen qui-

buſdam, & obſcurus videtur, ſuo ne vitio, an ipſorum? nam acutè, argutèq. ſcripſiſſe fateor, & tales eſſe debere, qui eum legent. Ideò conſiliarijs magis principum, quàm ipſis commendo, qui habeant hunc ſapientiæ ſimul, & prudentiæ verum ducem.

Verumtamen his laudibus non obſtantibus, quas conſultò, vt clarior autoris gloria eluceſceret ſcripſimus, aliqui eum accuſant primò quòd aſper, atque obſcurus in ſcribendo fuerit; ſed iſti profectò ſenibus ſimiles ſunt, qui ſi minus commodè oculis vtuntur, in quodcunque cubiculum ingrediantur, dicere ſolent illud parum luminoſum eſſe, maiores feneſtras fieri oportuiſſe, deinde Lipſij autoritate reſpondeo obſcurum eſſe non autoris, ſed legentis vitio. Tertio dicerem illum obſcuritatem affectaſſe, ſummos viros imitatum, quorum ſtudium fuit ſacramenta naturæ, atque præſtantia obtegere; quare doctrinam maieſtate pleniſſimam principe ſolum, & viris ſapientibus dignam irreligioſæ mentis videbatur indoctorum conſcientiæ publicare. Sic Orpheus Pythagoras, Socrates, Plato, Ariſtoxemus, Ammonius, ſed omnium præcipuè Ariſt. id inuiolabili fide ſeruauere. Hinc Herennius, Plotinus, & Origenes, vt ſcribit Porphyrius de educatione, & diſciplina Plotini iurarunt ne Ammonij dogmata æderent, & quia Plotinus violato iureiurando ab Ammonio præſtito ſacramenta publicauit, in tranſgreſſionis pœnam horrendo pediculorum edulio conſumptus eſt, quod etſi minime verum videatur, attamen ad hanc rem plurimum facere videtur: Nam & certum eſt ſolidum cibum, non lac hominibus Tacitum præbuiſſe. Dicunt præterea illum aſperum eſſe, quod verum non eſt, nam ideo videtur propter ſummã grauitatem, vt inquit Thomas Garzonius in platea vniuerſali diſcurſu 38. imò laudatur in quibuſdã rebus aſperitas, vt inquit Muretus, quamquam enim nuda, & perſpicua oratio delectat, interdum tamen in ſcribendo certi cuiuſdam generis laudatur obſcuritas, quæ orationem a vulgari loquendi conſuetudine abducens, ex ipſa peregrinitate dignitatem ei, maieſtatemq. conciliat, & attentionem legentium continet. Aſperitas autem illa idem plane eſt, quod in vino amarities, quæ in quo eſt, id optimè ferre vetuſtatem putatur.

Dicunt poſtremò eum male locutum eſſe, quod apertiſſimum mendacium eſt; nam vt rectè Muretus, qui autem nos ſumus ſi omnes in vnum conferamur, quicunque hac tempeſtate latinè loqui videmur, vt de ſcriptore ſapientiſſimo nato ijs temporibus, quibus adhuc Romana lingua florebat, planè enim floruit vſque ad Hadrianum, habito diſertiſſimo ætatis ſuæ tempore ſequius iudicare accedamus.

At aliter loquitur, quàm aut Cicero, aut Cæſar, credo, aliud enim dicendi genus adamarat, nec Ciceronis quidem temporibus omnes, qui

qui diſerti habebantur Ciceroniani erant, multa in Cicerone Brutus, multa Caluus, multa Pollio, quædam etiam Atticus non probabant, & paulo poſt.

At qui nihilo minor noſtra ſtultitia eſt, qui in tanta veterum ſcriptorum diſperditione, tam longo temporum interuallo, tanta latini ſermonis obliuione, & ignoratione optimæ notæ ſcriptores damnare non veremur, coqui, & muliones multo melius, quàm omnes nos latine, & intelligebant, & loquebantur.

At a quoddam mendacio defendi non poteſt, nam iuſtiſſimè Tertullianus eum mendacem appellat, propterea, quòd falſus Chriſtianæ Religionis iudex fuerit, quod etiam affirmat Cæſar Baronius his verbis, at Tacitus odio, quo & ipſe flagrabat in Chriſtianos, quo vacare debent, omnes, qui res geſtas ſcribendas ſuſcipiunt, parum liberalis hiſtorici, ſed hominis, qui permoueretur affectibus ſpecimen edidit, quippe qui cum tam ſua ipſius, quam totius populi opinione Nero auctor haberetur incẽdij, nihilominus ſontes Chriſtianos appellat.

Hoc inquam mendacium defendi non poteſt, ſicut nec ea, quæ de Hebræis dicit, non enim primo dici poteſt, quod impie Bodinus affirmat, qui Cornelium Tacitum impium iudicaret, niſi pro ſua tuenda religione aduerſus noſtram ſcripſiſſet, quod ſane impium per ſe eſt, vt ait Antonius Poſſeuinus de Io. Bodini lib. conſid. & cautione, neque vero a Chriſtiano ſcriptore (qualis haberi volebat Bodinus) probandum, nam falſa religione deſerta, veram amplecti tenebatur, quæ ſicut alijs, ita illi nota eſſe debebat. Quòd ſi diceres cum Philone Hebræo ad Caium, ſua cuiq. optima videtur, vt quæ non ratione, ſed affectu dijudicetur a ſingulis, & cum Cicerone, qui in Verrem omnibus religionem ſuam gratiſſimam eſſe his verbis fatetur. omnes religione mouentur, & Deos patrios, quos a maioribus acceperunt colendos ſibi diligenter, & retinendos arbitrantur, falſum diceres, non enim in affectu, nec in morum patriorum conſuetudine vera religio, vt eſt noſtra fundamenta habet, ſed in veritate ipſa religionis, & in eo, qui nobis eam reuelauit, qui eſt Ieſus Chriſtus generis humani Saluator, ſine quo nemo in vitam æternam ingredi poteſt, quemque ſalutis cauſa omnes cognoſcere tenentur. non enim alia ſalus eſt. nam ſatis conſtat in affectu multos errare, & erraſſe, & illi mores, & religiones retinendæ non ſunt, quæ animarum perniciem ſecum afferunt.

Neque Tacitum defendas, quoad Iudæos dicendo, quod alia in re dicit Balduinus de hiſtoriæ inſtitutione, nempe multarum rerum ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura, cum tanta ſit obliuio antiquitatis, tam obſcuri eius receſſus, tam profundæ tenebræ, & interea tã

infectæ ſint inſidiæ fabularum, & impoſtura tam aſtuta, eum quidem falſi ſit, & eſſe dieatur non tam immutatio, quàm imitatio veri, in hiſtoria obſcura eſt quæſtio facti, non ſolum alieni, ſed & abs noſtra memoria, vt ait Cicero remoti, & propterea prudentiſſimum quemquem in eo genere aiunt falli poſſe, ſcio enim ab alieni teſtimonij fide pendere, & rem propterea eſſe valde lubricam. Nã vt idem autor recte ſubiungit, ſed ſi cautiones tamen adhibebimus, quas, & debemus, & poſſumus, neque temere fallemur, neque in iuſtam reprehenſionem noſtra perſuaſio incurret. quamobrem impia hæc mendacia Tacitus vitare non poteſt, quæ nec Plinius, cuius epiſtolæ oſtendunt, eum non tantum abhorruiſſe a religione noſtra, ſed etiam iudicia exercuiſſe aduerſus Chriſtianos, & eorum nonnullos adhibitis tormentis ad eiurandam Chriſti militiam compuliſſe, nec Plutarchus, qui eaſdem, quas Tacitus de Moſe, & Iudæis fabulas habet, nec Quintilianus, qui contumelioſè de Moſe loquitur, nec Suetonius, qui in Nerone de Chriſtianis impiè ſcribit; Nec Vlpianus, Porphyrius, Simplicius, Auerroes, Galenus, Ammianus Alexandrinus, qui omnes alieno à Chriſtianis animo fuerunt. Ego autem credo Tacitum ob Iudæorum vetuſtatem initia vera, nec Romanos etiã, non habuiſſe, vel ſi habuerunt incenſa fuiſſe: Nam vt Liuius 21. lib. ait, & quod etiam ſi, quæ in commentarijs Pontificum alijsq. publicis, priuatisq. erant munimentis, incenſa vrbe, pleraque interiere, vel hiſtoria Moſis, cognitionem non habuiſſe. ſed hoc commune fuit omnibus hiſtoricis, qui autem vmquam hiſtoriæ ſcriptor hanc notam effugere potuit, apud vnumquemque enim vel aliqua fabula, vel aliquod mendacium, vel aliquod odium, vel aliqua ira, vel demum aliquis eſt affectus.

Neque ob id reijciendi ſunt ſapientiſſimi autores, nam ſi hoc tempore nihil legendum putamus, niſi quod cum Chriſtiana religione conſentiat, omittamus ſanè omnes inquit Muretus illos veteres Græcos, Latinosq. ſcriptores. ſed legendi ſunt, vt grana ex paleis colligamus, bonos ſequamur, vitia repudiemus malaq. vitemus, eos tamen, qui ab Eccleſia non ſunt damnati. An quiſquam noſtrum ita infirmus eſt vt periculum ſit, ne in fide Chriſtiana titubare incipiat, ſi Tacitum Chriſtianum non fuiſſe cognouerit, doleamus potius illius vicem, & grati aduerſus Deum ſimus, qui animos noſtros maiori luce perfuderit, vt inquit Muretus. Cæterum ſi hæc, quæ diximus mendacia exceperis, vera cætera eſſe reperies, nam quamuis ipſe lib. 1. hiſt. dignitatem ſuam a Veſpaſiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius prouectam affirmet, tamen & Domitianum damnat, & Veſpaſianum auarum appellat, nulliq. pro veritate dicenda parcit.

citi. Quod autem ipſe publicis munimentis conſignauit non coniectura, non falſa doctrina, ſed partim oculis, partim monumentis veterum, partim recentiorum ſcriptorum libris viſis, partim ſecretorum teſtium fide, omnia denique auxilio, & veritate ſummorum Imperatorum, quibus familiaris fuit, quique ei omnia apertiſſimè indicarunt. Othonem, Galbam, Vitellium, nec benefitiô, nec iniuria cognouit, a Veſpaſiano Galliæ Belgicæ procurator datus fuit, inde reuerſus a Tito quæſturam accepit. Ad Conſulatum verò illum Nerua euexit, cuius familiaris extitit. Quamobrem ego non miror ſi ex ingenti ſcriptorum, qui res Romanas litterarum monumentis prodiderunt, numero quiſquam eſt, quem meritò quis Corn. Tacit. anteponat, cum nullum genus ſcripti prophani ſit, ex quo aut plura, aut citius, & minori animi contentione diſcatur; ijs enim temporibus naſci, & vitam traducere ei contigit, in quibus omnia rerum ſcribēdarum præclara genera floruere. Scripſit enim ſub Imperatoribus, quorum nutu omnia regebantur, qui ad ſimilitudinem temporum noſtrorum maxime accedit, cum perpaucas nos habeamus Reſpublicas, quare in eo plura ſunt, quæ ediſci, quæ ad vſum conferri, quæ ad vitas, moresq. referri poſſunt, quàm in quolibet alio, qui bellica magis, quàm ciuilia poſteritati reliquerunt. ſterilitas autem bellorum, (quam Deus ſemper conſeruet) ſilentium ab habentibus poteſtatem indictum, quod, & publicæ vtilitatis cauſa iuſtè inhibetur, ſecreta dominandi ſcientia ſolum principibus nota, ipſorum principum auaritia, potentiū inſolentia, inuidorum inſidiæ, ſpes hominum fallaces, labores ſine emolumentis, nulla poſteritatis fama ſteriles ſcriptores reddit: quæ omnia nulla erant tempore quo Cornelius ſcripſit: Huic etiam accedit publicorum negotiorum adminiſtratio, & ætas longæua 80. nempè annorum, quæ multa concedere ſolet.

Finis autem Cornelij Taciti in iſtis quinque annal. libris eſt res geſtas Tiberij narrare, vt nouum regnandi modum nouo ſucceſſori, qui firmum adhuc non habeat Imperium oſtendat; populum enim ali principi aſſuetum difficile eſt docere, & regere, quod quidem implicitè facit. Quare concludendum Tacitum omnibus vtiliſſimum eſſe propter grauiſſimas ſententias, propter tot, tantasq. hominum illuſtrium actiones, propter tot varios caſus, tot diſcrimina rerum, atrocia prælia, diſcordes ſeditiones, proſperas, ac aduerſas pugnas, clades mutuas, ſupremas clarorum virorum neceſſitates, ac ipſam neceſſitatem fortiter toleratam, & propter multiplices rerum humanarum caſus, quos ille fœliciſſime narrat. Quare ipſe ſummus a ſecretis principiū eſſe deberet, cum ſit vtiliſſimus ſcriptor, & veriſſimus, quippe qui eo tempore ſcripſit, quo ſentire quæ voluit, & quæ ſentiret dicere lice-

bat,

bat, & vtinam ſit Regibus Tacitus tacitus, vt inquit Stephanus Paſchaſius

Quod Tacito rerum domino, gentiſq. togatæ
 Nominis alma mei ſollicitudo fuit.
Id quoniam gentile ſuis, noſtriſq. putaret,
 Hinc quam grande mihi nomen in orbe vides.
Verum quem Tacito Tacitum placuiſſe videbis,
 Regibus ò vtinam ſim Tacitus, tacitus.

At quoniam ab omnibus Tacitus iuris ſtatus peritiſſimus habetur, non ab re erit explicare.

Quid ſit Ius Status.

DIco primò ius ſtatus non eſſe artem, niſi nomen artis largiſſimè ſumatur, eſt enim ars propriè ex Ethicorum cap. 4. habitus certa ratione factiuus, factio autem eſt operatio productiua alicuius operis ad extra, cuius principium eſt in eo, quod efficit, non in eo, quod efficitur, eſtq. ab actione diſtincta, actio enim propriè eſt, quæ nullum poſt ſe relinquit opus, vt actus virtutis moralis, factio verò eſt, vt ædificatio. ars ergo propriè verſatur circa operationem externam productiuam alicuius externi operis, ex quo patet ius ſtatus non eſſe artem, cum nòn verſetur circa externam operationem relinquentem externum opus, ſed circa operationes voluntatis, & intellectus, quæ nullum poſt ſe relinquunt opus; neque dicas ius ſtatus ſtatuere, præcipere, vetare, exequi, præmio aliquem, vel pœna afficere, vt inde probes eſſe habitum factiuum, & conſequenter artem, operatio enim, qua eiuſmodi res fiunt, non eſt propriè factio, ſed actio, cũ nullius externi operis ſit productiua. quare etiam ſi ius ſtatus verſaretur circa operationes voluntatis, ac intellectus, quæ habent principium in nobis, vel in Principe, quæ eſt vna conditio, quæ requiritur ad artem ex Ariſt. loc. cit., non tamen eſſet ars, cum illi præcipua deſit, cum videlicet verſetur non circa factionem, ſed circa actionẽ.

Dico ſecundò, ius ſtatus non eſſe facultatem, facultas enim propriè eſt, vt colligitur ex 1. Rhethor. quædam poteſtas, ac habitus, qui, æquè verſatur circa contraria, vnde & dicitur facultas ex Alex. 1. Topic. initio, & quia poteſt in vtramque partem diſputare appellatur ab Ariſtotele ſæpe facultas contradictionis, quæ iuri ſtatus non poteſt conuenire, cùm Princeps in vtramque partem non diſputet, neque cùm aliquid lege ſancit, vel aliquid aliud efficit, diſputat, nec ſubditorum intereſt de eo, quod Princeps obſeruandum

uandum proponit diſſerere, nam nemo poteſt ei dicere: cur ſic facis? vt dicit Baldus in proem. feud. n. 34. nec quis audere debeat aduerſus id, quod Princeps facit, ſed ſibi imponi debet perpetuum ſilentium, vt idem in c. 1. ſi quis autem in prin. de pace conſtit. affirmat.

Dico tertiò, ius ſtatus non eſſe ſcientiam, propriè enim ſcire ex Ariſtotele nihil aliud eſt, quàm cum cauſam cognoſcimus, propter quam res eſt, quod illius cauſa eſt, & quod non contingit hoc ſe aliter habere, ſed ius ſtatus poteſt ſe aliter habere, ita vt ſubſtantia, quæ alijs in rebus non mutatur ab accidentibus eſſentialiter, in iure ſtatus accidentia potentia ſint totam eſſentiam mutare, ac corrumpere; quare, & poteſt ſe aliter habere, quod eſt contra ſcientiã, quæ eſt de incorruptibilibus, non autem de ſingularibus cuiuſmodi eſt ius ſtatus, quod ſæpe cauſas rerum non cognoſcit, quas conſtituit, nec earum certam, ac euidentem cognitionem habet, deinde non eſt gratia ſui, cuiuſmodi ſunt veræ ſcientiæ, ſed aliò dirigitur. Addi etiam poteſt ſcientiam infallibilem eſſe, non autem ius ſtatus.

Dico quartò, ius ſtatus non eſſe prudentiam, nam prudentia in ſuo vero ſignificatu ad nos, noſtramq. perfectionem refertur, ius verò ſtatus ad communitatem operationes ſuas dirigit. Latè autem accepta nempe prout eadem eſt cum ciuili ſcientia, fundamento, & re vna, ratione autem, & forma diſtincta, ita vt ſit vnus habitus vt ex Ariſt. 6 mor. Nico. cap. 8. Hoc modo ſumpta ius ſtatus ſecundum hanc latitudinem eſſet prudentia; nam ciuilis ſcientia eſt ea, quæ reſpicit tum familiam, tum patriam, & vniuerſam Ciuitatem. Diuiditur autem in domeſticam, & ciuilem, quæ ciuilis ſcientia cum adhuc duplex ſit, vel enim eſt prudentia nomothetica, hoc eſt ferendarum legum, quæ eſt domina, Princeps, & regia, cuius munus eſt leges condere, magiſtratus conſtituere, dominari, imperari, pœnas, & præmia decernere, vel eſt prudentia, quæ proximè in ſingulis hominum actionibus verſatur, & quaſi manibus negotia ad Rempublicam pertinentia tractat, & hæc communi voce vocatur ciuilis, quamuis enim re vera ea mereatur ciuilis dici, quæ eſt Domina, & ratio ferendarum legum, vt inquit Franciſcus Piccolomineus de virtute rationis grad. 5. cap. 37. tamen quia multitudo inſpicit non principia, ſed exitus, & poſtrema opera, propterea eæ ſunt ſolummodo abſolutè ciuiles, quæ in ſingulis magiſtratuum actionibus verſantur, illi enim ciuilia proximè tractant. Demum hæc in ſingulorum actionibus occupata prudentia etiam eſt duplex, vel enim eſt conſultrix, vel iudicans conſultrix in conſultatione, & deliberatione verſatur,

ſatur, cui omne actionum ciuilium genus, vt materies ſubijcitur, iudicans in iuditio ferendo poſita eſt, nam eius officium eſt iudicare, quomodo actiones ſint, vel non ſint conſentaneæ legibus, quibus pœnis, vel præmijs dignæ ſint. At neque his modis ſumpta ius ſtatus eſt formaliter prudentia, niſi ſecundario, ius enim ſtatus alijs rebus innititur, vt inferius oſtendemus. nam in tota ſua latitudine ius ſtatus multa comprehendit, quæ nullo modo prudentiæ ſunt. Sequeretur etiam, quod ſemper vir politicus eſſet vir bonus, cum omnis prudens ſit bonus, & ius ſtatus ſine viro bono poteſt eſſe; quamuis non ſine ciue bono, & ideo multi viri reperti viri probi, vel habiti ab antiquis, vt Anaxagoras, Empodecles, Thales Mileſius, & ſimiles viri, qui tamen populorum ignari fuere, & è contra multi reperti ciues boni, qui rectè admiuiſtrauerunt, iuſteq. communitatem rexerunt, qui tamen homines improbi fuere, ad publicum enim bonum regendũ ſufficit eſſe ciuis bonus, niſi improbitas viri communitati ſcãdalum præberet: tunc enim non ſufficeret eſſe ciuem bonum, ſed etiam eſſe virum bonum oporteret. Deinde prudentia ſequitur ius ſtatus, nam ſicut ius ſtatus Principem, ſic prudentia ius ſtatus ſupponit.

Dico quintò, ius ſtatus propriè non eſſe pædiam, hoc eſt contra Hieronymum Frachetam, qui eò, quod Xenoph. libros ſuos de pædia Cyri inſcripſit, ius ſtatus pædiã eſſe affirmat, at ius ſtatus pædia non eſt, nam quamuis pædiæ nomen ſit ſatis commune, & denotet congruẽtem omnem inſtitutionem ad quamuis diſciplinam conſurgentem a varijs, quæ addiſcendæ diſciplinæ conducunt, tamen propriè pædia dicitur ſumpto a pueris nomine, vt inquit Piccolomineus de virtutis ratione grad. 5. qui præſertim ea recta inſtitutione egent, & eſt nomen ab vno, quod primò denotat congruentem puerorum educationem, mox transfertur ad denotandam omnem rectam inſtitutionem, pro quauis diſciplina comparanda, hoc docet Plato in 1. de leg. nec non in principe 2. quibus in locis iam eſſe pædiam affirmat, qua in vrbe pueri, & adoleſcentes rectè moribus inſtituuntur, qua Ariſt. in procem. Nichom. egere iuuenes aſſeruit, vt reddantur congruentes auditores ciuilis ſcientiæ. ex quibus patet ius ſtatus propriè non eſſe pædiam, nec inſcriptioni librorum ſtandum, nam etiam libri de generatione Ariſt. inſcribuntur, attamen eorum obiectum non eſt generatio, ſed corpus generabile, & corrup. ſic Xenop. libros de Cyri pædia inſcripſit, quia principem inſtituere deſtinabat ad aliud vitæ genus, quod rectè ducere optabat maximi enim intereſt, dicere inſtituere Principem, & dicere ius ſtatus eſſe pædiam, & illud opus non ad hiſtoriæ fidem contexuit, ſed ad effigiem, vt ait Cicero iuſti imperij.

Dico ſextò, quando quidem ius ſtatus doceat quid agere, omniaq.

quæ

quæ ſub illo ſunt ad actionem dirigantur, eſt notitia practica eius in quo eſt: nam eſt de obiecto operabili ſuapte natura ab eo, in quo eſt talis notitia, poteſt tamen reſpectu ſubditorum eſſe ſpeculatiua, nam Angeli cœlum mouentes idcirco practicam notitiam habent illius motus, cum homines eiuſdem ſpeculatiuam habeant cognitionem, quia motus ille eſt operabilis ab Angelis, non ab hominibus. Pari autem modo Princeps habet practicam notitiam rerum ſuarum, & earumdem notitiam ſpeculatiuam alij habent, quia actiones illæ quas facit Princeps, vel Reſp. notæ ſolummodo ſunt ei. Quare is ſolus verè gubernat, quia obiectum, in quod tendit eſt operabile ex ſe, quare ſi obiectum illud v.g. quod Princeps vult non eſſet operabile ex ſe ab eo, in quo eſt notitia practica talis, notitia ex ſe non eſſet proximè, ſed remotè directiua praxis ſtatus, vt ſi Angelus me doceret aliquid facere, remotè dirigeret praxim illam meam, ego autem proximè per meã notitiam ex Angeli doctrina comparatam eandem praxim dirigerem (ad praxim enim propriè neceſſaria videtur proxima directio, & inſufficiens remota) pari modo, quando conſiliarij, vel ſtatus periti docent Principem aliquid facere, remotè docent, nam ille per ſuam eandem notitiam, ex illorum doctrina comparatam, eandem praxim dirigit, ſic quæ velit, conſtituit proximè ipſe, cæteris remotè concurrentibus.

Diximus enim ſuaptè natura, nam ſi obiectum aliquo modo impediatur, quo minus illud operari poſſit, id erit per accidens, ſi modo à tali ſubiecto ſit per ſe, & ex natura ſua operabile, adhuc enim practicam eius notitiam habere poterit, vt patet in arte ſaltandi, & pingendi in claudo ſaltem, eò quia claudus euaſerit poſt acquiſitam artem, & ſimiliter in pictore, cui manus præciſæ fuerint. Huius verò ratio eſt, quia cognitio practica Principis non idcirco dicitur, quia ſit electiua praxis, ſeu actionis, ſed ſolum, quia eſt illius directiua, quod ex ſe habere poteſt etiam in ſubiecto, quod ab actionis exercitio impediatur; ex his intelligi poteſt, quod ſi quis habet cognitionem quantumuis perfectam modi quo v.g. flores, vel fructus producantur, talis cognitio nequaquam erit practica, ſed ſpeculatiua, cum non ſit de obiecto ex ſe a nobis operabili. Quare ſi Principi Deus, vel Angelus reuelaret N. v. g. Regem aliũ bello victurum, talis cognitio non eſſet practica in Principe, cum non ſit de obiecto ab illo operabili. Quare de quocunque obiecto operabili a Principe, Princeps practicam habet cognitionem, ita vt quando aliquid facit, practicè facit. Loquor de Principe, vt Principe nempe, vt ad vtilitatem ſubditorum refertur, & de obiecto operabili, nam ſi obiectum non eſt rectè operabile, faciet non vt Princeps, ſed vt Tyrannus. Hinc naſcitur, quod

quis maiorem habet rerum experientiam, melior Princeps ſit, nam regimen in practica conſiſtit.

Aduertendum tamen eſt ad hanc practicam notitiam requiri, vt non ſolum obiectum ſit operabile ab eo,in quo eſt talis notitia,ſed etiã operabile notitia dirigente potentiam ad talem operationem; nam notitia v.g. qua ab eodem modo, quo potentia nutritiua in me, meum corpus nutrit, non eſt practica, ſed ſpeculatiua, licet illa nutritio ſit operatio a facultate illa, quæ in me eſt procedens, & non aliam ob cauſam, niſi quia illa mea cognitio non dirigit in me operationem potentiæ nutritiuæ, quod ſi Deus ſubderet potentiam nutritiuam Imperio voluntatis meæ,ita vt cum vellem,aut nollem meum corpus nutriretur, aut non nutriretur, tunc cognitio, quam haberem de modo nutriendi eſſet notitia practica, quia eſſet etiam directiua. Hæc omnia explicare voluimus, vt legenti innoteſceret ius ſtatus primo conſiſtere in notitia quadam practica, ac antea quam vlterius progrediamur notandum.

Primo eſt ex Botero lib. 1. de ratione ſtatus, aliud eſſe ſtatũ,aliud ius ſtatus, ſtatus enim eſt dominium ſupra populos, ratio autem ſtatus eſt notitia mediorum ad tale dominium fundandum, conſeruandum, & ampliandum, verum tamen, etſi abſolutè has tres partes amplecti illa notitia videatur, tamen formaliter conſeruationem amplecti videtur.

Notandum ſecundò ex eodem, rationem ſtatus Principem ſtatumque ſupponere, Principem tamquam artificem, ſtatum verò tamquam materiam, quæ nihil ſupponit, cùm eadem fundamentum ſit.

Notandum tertiò, ius ſtatus conſiſtere in fundando, ſed impropriè,in conſeruãdo,quod formaliter facit,in ampliando,& curando;nã cùm politica ſit ars Reipublicæ perficiendæ, cuius artifex is dicitur, qui ſcit fundare Rempublicam, & fundatam conſeruare, amplificare, & curare, aſſerere oportet ius ſtatus eſſe notitiam practicam ex multis habitibus conflatam,quam nullus alius rectè poteſt habere,niſi,qui Princeps eſt, & Reipublicæ adminiſtrator,nam ad comparandos habitus politicos multa neceſſaria ſunt. Sed notandum quartò eſt, ius ſtatus ſumi tripliciter poſſe, vel prout ius ſtatus ſtatum politiæ, vel monarchiæ,vel ariſtocratiæ reſpicit, at nos prout monarchiam conſiderat.

Notandum quintò propriè, & impropriè ſumi, propriè, quando ius ſtatus idem eſt, cum ratione boni regiminis,impropriè verò,quando ius ſtatus eſt ſine tali bono regimine, nos in priori ſignificatione accipimus.

Notan-

Notandum ſexto, ius ſtatus ſtrictè, ac largè accipi, ſtrictè, quandò bonum ciuile regimen ſolummodo conſiderat, largè quando, & ius belli, & rationem belli reſpicit, Eſt autem ius belli, quando bellum iuſtè, & cum omnibus bonis circumſtantijs ſuſcipitur; ratio autem belli eſt ipſa actualis belli adminiſtratio cum omnibus ijs, quæ ad gerendum bellum requiruntur. Nos autem hanc ſecundam ſignificationem conſideramus Iuſtinianum ſecuti, qui in proœmio Inſtitut. dicit Imperatoriam Maieſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam, vt vtrumque tempus, & bellorum, & pacis rectè poſſit gubernare, quæ duo ſunt nobiliores iuris ſtatus partes.

Notandum ſeptimò, ius ſtatus ſine bono regimine à Tyrannis inuentum fuiſſe, de cuius inuentione inferius dicemus, qui vt omnes leges præuaricari, & tranſgredi poſſent, hoc nomen inuenerunt ad occultanda facinora; ſæpe enim ſpecioſis rerum vocabulis mala cooperiuntur. ſed inter hoc ius ſtatus, & bonum regimen intereſt, nam verum ius ſtatus, publicum bonum, malum ius ſtatus commodum priuatum reſpicit.

His prænotatis, in Principe ius ſtatus non eſt aliud, quam notitia illorum habituum, quos comparauit, qui hoc, vel illud faciendum, vel non faciendum admonent, vel perſuadent. Quare in primis, qui hoc ius non habet, oportet, vt addiſcat. quod quidem fit præceptorum ciuilium cognitione & vſu eorūdem. Nam vt diximus, omnia ad actionem ciuilem diriguntur examine, & reſolutione exemplorum ciuilium, geſtis Principum, aliarumque perſonarum publicarum, & illuſtrium tempore pacis, & belli, rerum cognitione, legatorum renunciatione, functione, & exercitatione negotiorum politicorum, hominum peritorum informatione, doctrina, & diſciplina doctiſſimorum virorum, ſed vt nonnulla, quæ ad optimum ius ſtatus pertinent explicamus.

Dicendum eſt requiri in bono Principe bonā educationē, nam bonis opinionibus ſtatim imbuendus eſt Princeps, nam experientia compertum eſt, eos Principes, qui rectè inſtituti, quique præclaris artibus, & diſciplinis imbuti fuerunt, quiq. Eccleſiam audierunt fœliciſſimè regnaſſe, quia optima diſciplina verum ius ſtatus eos docuit: & è contra, qui auaros miniſtros, & perfidos conſiliarios ſecuti ſunt, quiq. ediſcere ad Reipublicæ gubernacula attinentia neglexerunt, iure ſtatus abuſi, ſibimet ipſis, ac ſuis perniciem attulerunt. Quare ſtatim, & ab ipſis incunabulis vacuum adhuc, & inde futuri Principis pectus ſalutaribus opinionibus erit occupandum, ac protinus in puerilis animi nouale iacienda honeſtiſſima, quæ paulatim ætate, & vſu rerum

ſup-

ſuppullulent, ac matureſcant, & ſemel infixa in omnem vſque vitam inhæreant. Nihil enim ita penitus inſidit, & inhæreſcit, vt quod primis illis inſeritur annis, in quibus, quid imbibamus, cum in omnibus per multum refert, tum verò in Principe plurimum. Nam ſi tanta ſollicitudine parentes, non omnino ſtulti puerum educant vnius agelli ſucceſſioni deſtinatum, quo tandem ſtudio, curaq. educari par eſt eum, qui non vnis ædibus, ſed tot populis, tot Ciuitatibus, imò qui Orbi inſtituitur, aut magno omnium commodo futurus vir bonus, aut magno omnium exitio futurus vir malus. Si ergo optimos inſtitutores habet, bonus erit, rectèq. iuris ſtatus regimine vtetur, ſin malos, magnum malum omnes expectabunt, quid enim boni efficere poteſt ille Princeps, qui ab ipſis ſtatim incunabulis, ſtultiſſimis inficitur opinionibus, enutritur inter ſtultas mulierculas, adoleſcit inter laſciuas puellas, inter colluſores perditos, inter abiectiſſimos aſſentatores, & inter ſcurras, & mimos, inter combibones, & aleatores, ac voluptatum architectos, iuxta ſtultos, ac nequam, inter quos nihil audit, nihil diſcit, nihil imbibit, niſi voluptates, delicias, faſtum, arrogantiã, auaritiam, iracundiam, tyrannidem, atque ab hac ſchola mox adhibetur ad Regni gubernacula, vt inquit quidam. Deinde grammaticam addiſcere debet, nam ſi legatos audire, ac intelligere velit, vt eum decet, ei grammatica neceſſaria eſt, ſicut enim in domibus veſtibula ſunt ante ianuam, & Vrbes habent ſua ſuburbia, per quæ adeuntur. Ita, & ante virtutem, vel doctrinam ciuilem grammatica ſita eſt. Carolus V. ſemper Auguſtus, quem magnitudo ſtatim rerum, & Imperij, tenerum adhuc a ſtudijs abduxit, & ſi amorem, tamen, reuerentiam non excuſſit; ac quondam cum Genuæ oratorem aliquem audiſſet latinè dicentem, nec plenè ſatis cœpiſſet, triſti, & ingenuo ore confeſſum Paulus Iouius ſcribit (is enim arbiter, & teſtis erat) confeſſum dare ſe nunc puerilis incuriæ pœnas, & præſagum Hadrianum præceptorem fuiſſe, qui hanc pœnitentiam ei prædixiſſet: neceſſe ergo eſt Principem ignarum, alienæ relationi aliquandò parũ fideli credere, ex qua malum regimen oritur.

Philoſophia Regibus conuenit, nam illud Platonis ſatis notum eſt, niſi Philoſophi clauum ipſi rerum publicarum capiant, vel qui nunc Reges dynaſtæ appellantur, legitimè, verèq. philoſophentur, fieri non poſſe, vt vnquam Ciuitates grauibus incommodis, maliſq. emergant. Hanc eandem Platonis ſententiam ſemper in ore habuit, vt Capitolinus ait, Antoninus Philoſophus, cùm identidem confirmaret florere Ciuitates, ſi aut Philoſophi imperarent, aut Imperatores philoſopharentur, nam ex Philoſophia hauritur iuris diſciplina, cùm ea, vt inquit Cicero de leg. 1. inuentrix legum fuerit, & vt Vincentius

Ca-

Caſtellanus lib. 1. cap. 14. diſusè probat; Princeps enim philoſophia imbutus, ſine doctorum auxilio, quæ leges bonæ, quæ malæ ſint, ſciet. item Mathemat. vt idem autor cap. 16. probat. Item eloquent. præſertim ſi Princeps belligerator eſt: Hinc enim maxima, præcipuaq. in exercitum commoda deriuari putat Onoſand. in ſtrategico; & vt inquit Leo Imperator de bellico apparatu, plus neceſſaria eſt Imperatori exercitus eloquentia, quàm infirmo medicus. turpe enim eſt Principi aliena facundia indigere, vt Nero Imperator, qui cum ad inanes diſcendas artes viuidum, vt inquit Tacitus lib. 13. annal. ingenium ab optimis, atque ſaluberrimis detorſiſſet, infans ipſe cum eſſet à Seneca confectam orationem recitauit, idq. non ſine infamia nota, quod primus omnium ex ijs, qui rerum Romæ potiti eſſent, aliena facundia indiguiſſet. Præter ſcientias Princeps, qui verè regere vult, tum quidem autoritate, & potentia, tum autem prudentia, & ſapientia, tum vero bonitate, & virtute præſtare debet. primum quidem per ſe, quòad eius fieri poteſt, deinde autem per ſuos, dum non modo potētiſſimorum, ſed & optimorū hominum comitatu ſemper ſtipatus incedat. Atque ab ijs quidem tribus, Aegyptij olim Reges ſuos Triſmegiſtros appellabant, quaſi ter maximos dixeris, quoniam non in alios ſummam regiam poteſtatem conferebant, quàm quos antè eximia doctrina, ac ſapientia, ad primum inter Philoſophos locum, eximia autem virtus, ac ſanctitas ad ſummum ſacerdotium euexiſſet, vt inquit Ioachimus Hopperus de Principis inſtitutione.

Non eſt prætereunda ethica, & œconomica; nam ea, quæ ſunt ad alterum, ſumunt originem ex ijs, quæ ſunt ad nos ipſos; nam etſi non requiratur tanta induſtria ad regendum ſeipſum, quanta requiritur in gubernatione familiæ, nec requiratur tanta prudentia in regimine familiæ, quanta in gubernatione Ciuitatis, & Regni; ordine tamen naturali decet Principem primò ſcire ſeipſum regere, ſecundò ſcire ſuam familiam gubernare, tertiò ſcire regere regnum, ac Ciuitatem, vt inquit Aegidius lib. 1. de reg. Principum cap. 1. quomodo enim alios reget, qui ſeipſum, familiamq. regere ignorabit. Franciſcus Patritius Principem Venatorem, & natatorem deſiderat, & pilæ luſorem, quæ exercitia non improbantur; imò natatio in Principe belligeratore neceſſaria eſſe videtur, Alex. Iulij Cæſaris, Marij, & aliorum ſummorum virorum exemplo, qui pericula natando euaſerunt. Alij in Principe Arithmeticam, vt Oſorius de reg. inſtitutione; alij Theologiam, & Medicinam, vt Caſtellanus deſiderant. At poſt ea, quæ diximus, & ſcientias, quæ caliginem paulatim diſpellūt, tenebraſq. diſcutiunt, aciemq. mentis illuſtrant, vt facilè Princeps poſſit vera, atque ſimplicia bona contueri, falſa autem, & inſidioſa

modis omnibus aſpernari, eſt prudentia, quæ ius ſtatus quodammodo perficit, & quæ ſola ducit ad rectè faciendum, & ſine qua quiſquam verè probus fieri non poteſt. Quare veriſſimè oculus animæ appellata eſt; nam præſentia ordinat, futura prouidet, præterita recordatur. Arcem viuendi 5. de finibus vocat Cic. & medicinam valetudinis, quæ fallere non vult, & falli non poteſt. ſine hac Princeps eſt cæcus. Quare Vegetius de re militari nullus eſt, cui ſapientia magis conuenit, quàm Principi, cuius doctrina omnibus debet prodeſſe ſubiectis. Et quemadmodum caput prima ſummaq. pars eſt in animali, ſecunda pectus, inguem tertia; rurſumq. in anima prima pars rationalis, ſecunda iraſcibilis, tertia concupiſcibilis. Ita, & virtutũ prima eſt, quæ circa præcipuum animæ, quod eſt rationale verſatur, & circa ſummum caput habitat prudentia, vt inquit Phil. Iud. lib. 1. leg. allegor. conſilium enim agitat, diſcernit bona, & mala, & omnia, quæ ſunt in vita ſequenda, & fugienda, honeſtè vti omnibus bonis, cum alijs rectè verſari, proſpicere occaſiones, ſolertèr verbis, & rebus vti, experientiam habere vtilium omnium docet. hac in factis habebis memoriam, in tempore cautionem, in moribus ingenuitatem, in labore patientiam, in metu cautionem, in diuitijs amicitiam, in oratione perſuaſionem, in ſilentio decorem, in mente iuſtitiam, in audacia fortitudinem, in actione potentiam, in gloria principatum, in natura ingenuitatem. Hac Duce legi parebis, Deum ſequeris, pro iuſto vinci ſuſtinueris, cum audiueris, intelligeris, in rebus gerendis opportunitatem cognoſces, tibimetipſi imperabis, diſciplinæ incumbes, gloriam ſectaberis, ſapientiam æmulaberis, ingenuitatem exercebis, abſtinebis malitia, propria cuſtodies, alienis abſtinebis, omnia audies, arte vteris, ingenium, & mores explorabis, res examinabis, in tempore reſpondebis, potentes timebis, prudenter periclitaberis, in cunctis, tam in proſperis, quàm in aduerſis idem eris, conſilia ſiue palàm, ſiue clàm ſuggeſta, diligentèr perpendes, & priuſquàm fides illis habeas, dijudicabis ne pro amico, vel ſalubri conſilio inſidioſum afferãt, examinabis conſilia, & non citò facili credulitate ad falſa prolaberis. Vt apes ex thimo aridiſſima, herbaq. aſperrimi ſucci, mel ſuauiſſimũ conficiunt; ſic prudentes, vt inquit Plutarchus de tranq. è rebus ipſis incommodis, ſæpe aliquid vtile, & ſibi accommodatum eliciunt. Tandem ſicut gubernator pro ratione ventorum, mutat nauigationis ſubſidia, non vno modo nauim dirigens, & Medicus non vno ad omnes morbos vtitur remedio, ac ne in vno quidem morbo, ſi is variet, ſed obſeruat intentiones, remiſſiones, repletiones, vacuationes, cauſarum mutationes, multa ad ſalutem variat, nunc hoc, nunc illud experiens, ſic Reip. moderator, prudentia erit multiplex, alius in

pace,

pace, alius in bello, aliter ſe paucis oppoſuerit aduerſarijs, contrà paucos conſtantèr aget, multos verò flectet perſuaſionibus, idem vbi periculum poſtulat, ipſe rem aget, miniſteria vero, quæ labore tantum indigent, cedet alijs, vt præclarè ſcribit Phil. Iud. lib. de Ioſeph.

His accedit, quòd Princeps prudentia ſciet ordinare Remp. artibus, & doctrina informare, necnon informatam regere, gubernare, & adminiſtrare, ac denique defendere, ac tueri perſonas, earumq. poteſtates, & officia, resq. Ciuitatis, & familiarium diſponendo, & diſtribuendo; at eum prudentia multa alia requiruntur, quæ paſſim in explicatione Taciti dicemus. longior enim hæc quæſtio Iliade eſſet conficienda, ſi hic omnia ſcriberentur. Ex his omnibus vnuſquiſque cognoſcere poteſt, ius ſtatus eſſe notitiam quandam practicam, ex pluribus habitibus (accipio autem habitus nomen largiſſimè) conflatam, quæ notitia ſi ex bonis eſt apprehenſa, ius ſtatus bonum, ac idem cum bono regimine, at ſi ex malis, ex falſis nempè opinionibus, vel perſuaſionibus, vel damnatis libris, ius ſtatus malum erit, ac periculoſum; quæ omnia paulo poſt explicabuntur. De hiſtoria dicam inferius.

At dices hoc modo artem imperandi, vel ius ſtatus eſſe admodum difficile, ac laborioſum. reſpondetur verum eſſe, nam difficile eſt imperare, proptèr diuerſa hominum ingenia, diuerſos mores, quibus Principes ſe accommodare neceſſe habent, vt ait Panorm. lib. 3. de reb. geſt. Alphonſ. reg. ſic Plato epiſt. 7. difficilimum arbitrabatur Remp. gubernare; ſic Xenoph. de pædia Cyri, opus eſſe maximum pulchrè imperare exiſtimabat, ſic Aurelianus, vt refert Vopiſcus, nihil eſſe difficilius, quàm benè imperare dicebat, ſic Nicephorus 18. hiſt. eccleſ. 6. maximum eſſe ſceptrum pro eo, atquè par eſt conſeruare aſſerebat, ſic Nazianzeno in apologetico, ars artium, & diſciplina diſciplinarum hominem regere videbatur, ſic Chryſoſt. in poſteriorem epiſt. ad Corinth. ſer. 15. artem artium omnium ſummam vocabat, ſic D. Tho. lib. 2. de reg. Principum cap. 15. regnum gubernare, atque vnicuique ſecundùm merita prouidere, tranſcedit virtutem naturæ. Quamobrē impoſſibile eſt, vt Reges ſæpe non errent, niſi ad conditorem, & gubernatorem omnium tota ſe mente conuertant. Tandem noſter Tacitus lib. 1. id oſtendit, nam Tiberius variè diſſerebat de magnitudine Imperij, ſolam diui Auguſti mentem, tantæ molis capacem, ſe in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didiciſſe, quàm arduū, quàm ſubiectum fortunæ, regendi cuncta onus. Quare Aug. lib. 2. de ordine, Pythagoram ſummis effert laudibus, quòd regendæ Reip. diſciplinam ſuis auditoribus vltimam tradebat, iam doctis, iam perfectis, iam ſapientibus, iam beatis. Quid ergo ſi Pindarus omnem

regiam, & aulicam phantaſiam, illuſtrē miſeriam eſſe cecinit. Quare plurimum perſpiciat oportet, qui vnus proſpicit omnibus, plurimū ſapiat neceſſe eſt, qui ſolus conſulit vniuerſis; nam quod cor eſt in corpore animantis, id eſt Princeps in Rep. ſi cor ſincerum eſt, quoniam ſanguis ſpirituum fons eſt, vitam impartit vniuerſo corpori, ſin vitiatum fuerit, exitum affert membris omnibus.

Verum operepretium erit, hanc ſtatus rationem diligentius explicare, quare ſciendum multa eſſe iura, vt naturalia, gentium, ciuilia, belli, & ſtatus. Principio homines ius naturale ſeruabāt, quæ obſeruatio durauit vſque ad Nēbrothis tēpora a diluuij diebus, qui primus in oriente Tyrannus, ius illud naturale dominationis libidine violauit; nam cum inter populos diuerſarum Ciuitatum, ac nationum diſcordiæ ſubortæ eſſent, alter alterius Imperium recuſans, bella adinuenta ſunt, & cum hac ortum eſt ius belli, quod naturali, ac ciuili contradicens, occupare ea cœpit, quæ iuſtè homines adſeruauerant. Quāobrem cum rectis circunſtantijs, ratione belli, poteſt quis alterius dominium occupare. Sed quia diuerſis accidentibus, diuerſa remedia adhiberi ſolent; hinc factum eſt, vt populi diſcordes, quocunque tempore, eos qui belli commercia tractarent, alio modo legatos, nullus moleſtaret; quare ex iure gentium ſedium occupatio, captiuitates, ſeruitutes, poſtliminia, pacis fœdera, legatorum non violandorum religio, & emptionis, & venditionis termini, & obligationes fluxere. Quid ſit ius naturale, ac ciuile omnibus ſatis conſtat, ius autem ſtatus non ita facile innoteſcit, a malis Principibus inuentum, qui priuatæ vtilitati ſtudentes, ſpecioſo vocabulo res nefarias cooperiebant. quod ius cum diù occultum permanſiſſet, impius politicus Macchiauelus renouauit, in quo explicando, ac docendo, plurimum laboris, ſtudijq. perperàm collocauit; nam eius doctrina ſubdola, & venenata eſt, ſic qui ex hac bibit, omnia ſiue honeſta, ſiue inhoneſta iuſta, ac iniuſta, dum tamen vtilia, nullo delectu adhibebit, facilimè ſentiet, non ita multo poſt, quantumcunque ſolidum principatum, Remp., Regnum, imperium conuelli, & cadere: Hoc ius ſtatus ita aliquibus Principibus inhæret, vt ab eis diuelli non poſſit. Nullum ſtatus ius datur, quin aliquid ſemper deſtruat. quod ſi in publicum beneficiū redundat, ſine tamen peccato, admitti poteſt, v.g. illud eſt bonum ius ſtatus, quod Tacitus lib. 12. Cæde Meſſalinæ conuulſa, principis domus orto apud libertos certamine, quis diligeret vxorem, Claudio cœlibi vite intonanti, & coniugum imperio obnoxio. Nec minore ambitu fœminæ exarſerant ſuam quaque nobilitatem, formam opes, contendere, ac digna tanto matrimonio oſtentare. Sed maximè ambigebatur inter Lolliam Paulinam, M. Lollij conſularis filiam, & Iuliani

Agrip-

Agrippinam Germanico genitam, huic Pallas, illi Caliſtus fautores aderant, at Aelia Petina è familia Tuberonum Narciſſo fouebatur. Ipſe modo hùc, modo illùc, vt quemq. ſuadentium audierat promptus, diſcordantes in concilium vocat, ac promere ſententiam, & adijcere rationes iubet. Narciſſus vetus matrimonium, familiam communẽ; (nam Antonia ex Petina erat) nihil in penatibus eius nouum diſſerebat, ſi ſueta coniux rediret, haud quaquàm nouercalibus odijs viſura Britannicum, & Octauiam proxima ſuis pignora. Calliſtus improbatam longo diſſidio, ac ſi rurſus aſſumeretur, eo ipſam ſuperbam, longèq. rectius Lolliam induci, quando nullos liberos genuiſſet, vacuam æmulatione, & priuignis parentis loco futuram. At Pallas id maximè in Aggrippina laudare, quòd Germanici Nepotem ſecum traheret; dignum prorſus imperatoria fortuna, ſtirpem nobilem, & familiæ Claudiæ, quæ poſteros coniungeret, ne fœmina experta fœcunditatis, integra iuuenta claritudinem Cæſarum aliam in domum ferret. Ex his ſermonibus vnuſquiſque colligere poteſt, vltimum excellentius fuiſſe; nam propter publicum bonum, ſatius erat, ne Cæſares alias in domos ferret eo tempore, quo vxori nuntium remittere licebat. At illud etiam Claudij, cui cum patria lex non permitteret, neptem carnalem in matrimonium ſibi collocare, ad ius ſtatus recurrit, legibus contradicens, ne vid. claritudo Cæſarum, in alienas familias feratur; nam ex numeroſa familia multi imperandi deſiderio flagrãtes, publicam quietem conturbaſſent. Hodie etiam hoc ius ſtatus eſt in vſu; nam iuſta de cauſa, & in certis gradibus ſummus Pontifex licentiam præbet; quare minor ratio, maiori cedit. Auguſtus etiam coërcere intra terminos Imperium deſiderabat, Romanorum conſuetudini contradicens, qui propagare Imperium ſemper curabant; at quia ex tanto Imperio, multa oriri poterant pericula, monitos ſucceſſores relinquere voluit. Quarę ſemper ius ſtatus aliquid deſtruit, quod licitè propter publicum beneficium deſtrui poteſt. At ad cognoſcenda, quæ ad publicum ſpectant, hoc opus, hic labor; Nam ſi Princeps doctrina vſu rerum, ac experientia, prudentia, & cæteris rebus, quas ſupra narrauimus non pollebit, haud quaquàm recti iuris ſtatus cognitionem habebit, ſed errabit, & diabolicum ius ſequetur. Quamobrem verum eſt, quod ſupra dicebamus, verum ius ſtatus eſſe notitiam practicam ex multis habitibus conflatam, ſed ſanam, ac bonam: Nam Princeps doctus, ac prudens ſciet quid agere debeat, quòad ius ſtatus ſe extendat, quomodo religio eſt illi ſuperior, & eiuſmodi, cum illa notitia eadem ſit, ac ius ſtatus actuale; & qualis erit notitia illa, quam ex multis rebus Princeps comparauerit, talis erit ius ſtatus. vt experientia patet. Princeps enim, qui malum habi-

tum fecerint, malum ius ſtatus, qui bonum, bonum ſequentur.

Ex dictis colligitur, propter publicum bonum Ciues incommodum priuatum, patienter ferre tenentur. ſed ius ſtatus debet recte intelligi. quare.

Aduertendum hic, verum ius ſtatus religioni non contradicere, imò illud ius ſtatus, quod religioni contradicit, eſt ius diabolicum; nam religio omnibus eſt præponenda, quod Romani ſemper fecere.

Poſthumius erat, & flamen, & Conſul, vt flamen exercitum in Africam conducere non poterat, vt Conſul tenebatur, res controuerſa fuit, tandem à Mettelo ſummo Pontifice vetitum, & vt dicit Florus, religioniq. ſummum imperium ceſſit. ſed vt etiam id dicamus, quod Scipio Ammiratus in diſcurſu 1. lib. 2. in Cornelium ſcribit. Campani a Samnitibus bello victi, multis ſtatus rationibus, Roman. perſuadent, vt eos in amicitiam recipiant. Rom. autem ſolius religionis reſpectu negant; præcipua autem iuris ſtatus rationes ſunt hæ, 1. Campani, & ſi fortuna præſens magnificè loqui prohibet, non vrbis amplitudine, non agri vbertate vlli populo, pluſquàm vobis cedentes, haud parua, vt arbitror acceſſio bonis veſtris, ſi in amicitiam venimus veſtram. Secunda eſt Equis, Volciſq., æternis hoſtibus huius vrbis, quandòcunquè ſe mouerint, ab tergo erimus; & quod vos pro ſocietate noſtra priores feceritis, id nos pro Imperio veſtro, & gloria ſemper faciemus; Tertia ſubactis ijs gentibus, quæ inter nos, voſq. ſunt, quod propè diem futurum ſpondet, & virtus, & fortuna veſtra continens imperium, vſque ad nos habebitis. Quarta. Capuã ergo, & campaniam omnem veſtris, an Samnitium viribus accedere malitis, deliberate. His vrgentibus rationibus non obſtantibus, cum conſultus Senatus eſſet, & ſi magnæ parti vrbs maxima, opulentiſſimaq. Italiæ, vberrimus ager, mariq. propinquus, ad varietates annonæ horreum pop. Rom. videbatur; tamen tanta vtilitate, fides antiquior fuit. Itaq. arma Deos, prius quàm homines violatura aduerſus Samnites vobis negamus. Vnde patet omnia iura ſtatus religioni cedere. debet etiam cedere manifeſtæ iniuriæ ius ſtatus, vt rectè Athenienſes fecerunt; nam cum claſſis Græcorum è diſceſſu Xerſis Pagaſas decurriſſet in portum, ibiq. hybernaret pro concione oſtendit, Themiſtocles Athenienſibus haberi rem ſe conducibilem ipſis, & ſalutarem, ſed non edendam in vulgus. Athenienſibus vt eam vni aperiret Ariſtidi, iubentibus, quiſi probaret exequeretur eam. Ita oſtendit Ariſtidi Themiſtocles claſſem Græcorum in animo habere ſe incẽdere, mox concionem hic ingreſſus rem ait, quam in animo haberet Themiſtocles nullam eſſe neque vtiliorem, neque iniquiorem, ita præcepit ei populus Athenienſis, vt ab iſto conſilio deſiſteret. Quare ius

ſtatus,

ſtatus, quando alicui legi, vel honeſtati contradicit, ſi beneficium, quod ab illo reſultat, non longè amplius damno exiſtit, miſſum eſt faciendum, quod ſine peccato mortali ſemper intelligitur. In conſilio Themiſtoclis rectè cognoſcitur, damnum maius eſſe beneficio. Ergo ius ſtatus eſt admittendum, quando legi diuinæ, vel naturali non repugnat, & beneficium damno, quod ſemper infert amplius eſt; alioquin cum contra id, quod diximus ſit, non ius ſtatus, ſed ſtatus flagitium eſt nuncupandum, vt appellat Tacitus illis verbis, cuncta eius dominationis flagitia, & de Agrippina loquens 12. ait nihil Domi impudicum, niſi dominationi expediret; etenim verum ius ſtatus a publico bono ſeparari non debet, etiam ſi mors eſſet ſubeunda, vt Otho, qui & ſi non dubitabat potuiſſe renouari bellum incertum victis, ac Victoribus, cumq. milites ſtrenuiſſimos, ac ſui ipſius accerrimos propugnatores, ac ſe vltro periculis obÿcientes haberet, attamen quia bellum attrox, & lugubre erat, nimisq. grande erat vitæ pretium, tanta bellorum ciuilium, ac illuſtrium virorum clade, tantum Romanæ pubis, tot egregios exercitus ſterni rurſus, & Reip. eripi non eſt paſſus. Ex hoc inferi poteſt, quod ſi dato caſu, quod Princeps etiã legitimus cum publico beneficio concurreret, publico ſemper cadere tenetur.

Notandum hic eſt, ſummum Pontificem ſub publico beneficio contineri, ita vt vnuſquiſque catholicus tenetur iure ſtatus, & præſertim Italus obedire, etiam in ÿs, quæ ad religionem non ſpectant; vt ſi vellet bellum aduerſus infideles gerere, vel fœdera inire, vel Principes contra communem hoſtem prouocare, vel quempiam iudicare, vel ſi offenſus eſſet ſe defendere, & eiuſmodi. Nam ſummus Pontifex eſt Dominus vniuerſi, & religio armata, & diues à nullo poteſt ſuperari. Langobardi, Gothi, Vandali, & aliæ barbaræ nationes, quæ Romam occuparunt, haud conſeruare potuerunt, ſed ſolummodo apoſtolici dominÿ nomen; & ſi ſummus Pontifex Romæ Dominus non fuiſſet, forſan iam corruiſſet: Quare omnes papatum, vt ita loquar defendere tenentur, & opulentum, & amplum, cum totius orbis Imperium in Romano Pontifice conſeruetur. Nulla natio amiſſum Imperium recuperare potuit, ſola; ſummi Pontificatus gloria remanet, qui tam magnus eſt, vt omnes Principes pedem eius deoſculentur, eſtq. omnium caput, cui cætera membra opitulari, & obedire debent. Verum de hoc alibi prolixius.

Ad publicum etiam pertinet, Principem ſe in poteſtatem illius dare, qui melior eſt, ac potentior. v. g. Princeps debilis, Turcis finitimus non poteſt ſine manifeſta ruina, ab illis ſe defendere, quare ſi cadendum eſt, ſaltem ſub meliori ideſt ſub Rege Hiſpaniarum, qui &

defendere omnes poteſt, & à quo meliores conditiones recipiantur. Nam Turca regiones vaſtat, vrbes propinquas diſtrabit, & dominandi libidine inflammatus, reliquas regiones facilius inuadit, fortunis Chriſtianorum ditatus, in dies ſperat maiores, & quod peius eſt, neceſſe eſt, vt homines, in quos Turca dominatur, maxima ex parte, non ita multos poſt annos, planè impij, & beluini euadant, atque non modo innocentem, & ſanctam vitam, quod Chriſtianos decet, ſed ne ciuilem quidem, quod homines rationis compotes agant; ſi quidem non niſi pauci è Tyranni familia inſtituuntur artibus, quibus ingenia ad fortunæ cultum excitantur, reliqui nihil diſcunt, præterquam Mohometis ſomnia. Verum quamuis hæc, bonis viris non poſſunt non eſſe grauiſſima, multò tamen grauiora pericula nobilibus familijs, & Magiſtratibus imminent, quibus deuictis non ſolum non parcit, quamuis primo impetu parcat nemini, ſed omnes crudeliſſimè trucidat, quippe quos timet nouis motibus excitatis, ſe de regno exturbari poſſe. Cæterum eos non vno modo tollit, vbi res ſuas videt firmas, ſtatim è medio omnes auferre ſolet, vbi non dum ſatis ſtabiles eos, qui ipſi aduerſi fuerunt, omnes necat, qui fauere ſunt viſi; tum quidem ſeruat, ſed non ita multo poſt etiam ipſos ceruices gladijs ſubmiſſuros. vt inquit Georg. Agric. orat. de bel.

E contra Rex Hiſpaniarũ omnia ſeruat, nobiles, ignobiles virtute præditi, eruditi, & Principes, exiguo ſoluto vectigali tuti manent, & cum eiuſdem ſint religionis, vt filij ab illo amantur. Et in Sicilia, in Regno Neapolitano, Mediolanenſi, in Flandria, Principes incolumes remanſere, etiamſi earum opulentiſſimarum prouinciarum Rex Hiſpaniarum ſit potitus; quamobrem apertè, non ſecreta vi, & ſtatus intima ratione coacti, ei opem ferre, & obedire deberent. Nam certum eſt nullum Principem Italum vniuerſi orbis dominij potiri poſſe, ſi Pontificem excipias, qui huic rei non ſtudet; neque ei rationi ſtatus eſt credendum, quæ iubet non eſſe patiendum adeò, cuiuſq. opes excreſcere, vt de manifeſta iuſtitia apud eum dubitari liceat, præſertim, cum vnuſquiſque potens, ius ſtatus iuxta voluntatem fingat, omniaque occupet vi, cui nemo reſiſtere poteſt, qua rationi innixi Gallo adhærent, ſicut Hiſpano ſi Gallus in Italiam dominaretur adhærerent. Verum hic conatus nullus eſſet, ſi familia Auſtriaca, in vnum vires ſuas congerere poſſet; Quamobrem inutili, ac noxia ratione freti, Principes nonnulli aſſerunt è re omniũ eſſe, Turcæ aliquarum prouinciarum potiri licentiam præbere, vt obſtaculum Auſtriacis ſit; & vt rerum imperiti Turcæ crudelitatem non ſentiunt, & Regnorum vaſtatorem inultum eſſe patiuntur, qui omnium Imperia, imò, totius Orbis terrarum crudeliſſimè ſubuer-

ſubuertere nititur, quique tot viribus pollet, vt omnibus diuiſim, non autem coniunctim ſuperior ſit, & ita rei maximè conniuent, vt quaſi ipſis quoque ab eo bellum non eſſet inferendum, ipſiq. aliquando damna atrociſſima accepturi. Vt enim, ſi qua orta contagio fuerit, non vnus, alterue patit, verùm multi ſimul moriuntur, nec tempeſtas, cùm inuaſit extra periculum ſunt ij, eodem impetu, qui nauigant, ita belli motus ad paucos primum quidem ſpectare videntur, paulò verò poſt vicinis, quoque imò integris ſæpe nationibus damni, detrimentiq. dare plurimum ſolent, vt inquit Hartmannus Loſcherius in oratione de auxilijs ferendis. At ſi Regem Hiſpanum quæſiuiſſent, eiq. opes ſubminiſtraſſent, vt communem hoſtem profligaſſet, profectò inclitæ adhuc Ciuitates non paucæ libertate fruerentur, quæ neglectæ, deſertæq. ab alijs malæ ſtatus rationis cauſa, acerbiſſimum ſeruitutis iugum ſunt ſubire coactæ, opibus, ac dignitate florerent, qui obſcuri nunc, atque extrema in paupertate viuunt, luce adhuc ſuauiſſima fruerentur, qui aliorum auxilio, præſidioq. nudati miſerè perierunt; quamobrem peſſima ratione ſtatus vtuntur ij, qui Turcam in præclariſſimas prouincias debacchari ſinunt, idque ea de cauſa, vt Hiſpanorum dominium fruſtra debilitent, & ij pariter, qui Hæreticis fauent, vt in Catholicos ſæuiant, quaſi tranquillius ſub vtriuſque vitam degerent, resq. ſuæ tutiores eſſent, & miſeri non cognoſcunt, quod Catholicorum potentiam labefactant, & ſeſe peſſum iri. Quot Reges deuorati fuere à Rege Aſſiriorum, qui ratione ſtatus Aſſuri ſe opponebant; Græci pariter, Ptolomæi, Attali, Philippi, Antipatri, Eumeni inter ſe contendentes, & Imperium Romanorum illudentes, præda Romanorum remanſere. Eodem modo ſi Principes Chriſtiani inter ſe contendent, inter litigantes, tertius, qui erit Turca gaudebit, & domitis proximis acceſſione virium fortior ad alios tranſibit, & proxima quæque victoria inſtrumenti ſequentis fiet. Sed his omiſſis concludendum eſt, verum ius ſtatus eſſe quandam notitiam ſanam, vt ſupra dicebamus, ex pluribus habitibus conflatam, quæ rectè gubernabit, quæq. præter alias cognoſcet principatuum regendorum, ac conſeruandorum optimam rationem in eo eſſe, vt Deum beneuolum, ac propitium habeamus, vt inquit Petrus Ribadenira aduerſus Macchiauellum, cæterosq. impios politicos, cuſtodienda eius lege, præceptis obſeruandis, colenda religione, adhibendisq. omnibus adiumentis, quæ Chriſtiana fides ſuggerit, & ſuppeditat, aut ſaltem cum Catholica diſciplina non pugnant; quam verò Macchiauellus, & farinæ eiuſdem politici tradunt, adulterinam, incertam, & fallacem eſſe conſtat. Conſtantis enim, & perpetuæ veritatis eſt, Imperij ſtatum à religione non rectè

diuelli,

diuelli, nec illius ſalutem, ſine huius incolumitate ſtare poſſe, vt vel ipſi Ethnici ſcriptores docuerunt, longè verò melius ſanctiſſimi Patres, Eccleſiæ Doctores, & lumina tradiderunt. Quos bonos autores ſi Principes ſequentur, omnibus virtutum numeris abſoluti, omnium bono nati erunt, imò datis videbuntur à ſuperis, ſubleuandis rebus mortalium, omnibus proſpicient, omnibus conſulent, quibus nihil erit antiquius, nihil dulcius Republica; noctes, ac dies nihil aliud agent, nitenturq. quàm vt optimi ſint omnibus. Si verò impij politici erunt, ac vt Tetra belua è Dracone, Lupo, Leone, Vipera, Vrſo, ſimilibusq. conflata, vndique ſexcentis armata oculis, vndique dentata, vndique metuenda, aduneis vnguibus, ventre inſatiabili, humanis ſaginata viſceribus, humano ſanguine temulenta, quæ peruigil omnium fortunis, vitæq. immineat, infenſa omnibus, ſed præcipuè bonis, fatale quoddam totius orbis malum, quam execrentur, & oderint vniuerſi, qui benè velint Reipublicæ, quæ nec ferri poſſit ob immanitatem, nec tolli ſine magna ruina orbis, ob præſidijs, & opibus armatam malitiam. Hæc enim mali Principis imago, vt inquit quidam, huiuſmodi portentum erat Claudius, huiuſmodi Caligula, huiuſmodi Poëtarum quoque fabulæ fingunt, Buſyridem, Pentheum, ac Midam, quorum nomina iam in publicum generis humani odium abiere. Malo Principi propoſitum eſt ſequi quicquid animo collibuit, non quod verum ius ſtatus dictat, bono contra, quod rectum ſit, & honeſtum. Tyranni præmium diuitiæ, Regis honos, qui virtutem conſequitur. Tyrannus adminiſtrat metu dolo, ac malis artibus, Rex ſapientia, integritate, beneficentia; Tyrannus ſibi gerit Imperium, Rex Rempublicam. Tyrannus barbarico ſatellitio, & conductitijs latronibus tuetur incolumitatem ſuam; Rex ſe ſua erga ciues beneficientia, & Ciuium erga ſe beneuolentia ſatis tutum putat. Tyranno ſuſpecti ſunt, & inuiſi quicumque Ciuium virtute, prudentia, aut autoritate pollent; At hos Rex vt Auditores, & amicos potiſſimum amplectitur; Tyrannus aut ſtupidis delectatur, quibus imponat, aut ſceleratis, quibus ad ſuæ tyrannidis præſidium abutatur, aut adulationibus, à quibus audiat, quod libenter facit. Contra Regi ſapientiſſimus quiſque gratiſſimus eſt, cuius conſilio poſſit iuuari; quo quiſque melior eſt vir, hoc pluris facit, quod huius fidei tuto poſſit credere, & liberos amat amicos, quorum conſuetudine reddatur melior, & Regis & Tyrannorum multæ ſunt manus, multi oculi, ſed longè diuerſa membra; Tyrannus agit, vt Ciuium opes ad paucos, eosq. peſſimos conferantur, & attenuatis ſuorum viribus, ſuam communiat potentiam; Rex hoc maximè in ſuo Fiſco eſſe ducit quod in ære ſit Ciuium. Tyrannus hoc agit, omnes ſibi legibus,

gibus, aut delationibus habeat obnoxios. Rex libertate Ciuium delectatur. Tyrannus metui ſtudet. Rex amari. Tyrannus nihil æque ſuſpectum habet, atque Ciuium bonorum, & Ciuitatum concordiam, qua præcipuè gaudent boni Principes. Tyrannus gaudet inter Ciues factiones, ac diſſidia ſerere, & ſimultates, fortè fortuna obortas, diligenter alit, ac prouehit, atque his rebus ad ſuæ tyrannidis communitionem abutitur. At hoc vnicum Regi ſtudium eſt Ciuium concordiam alere, & ſi quid ortum fuerit diſſenſionis, continuò rem inter eos componere, nimirum intelligens hanc eſſe grauiſſimam rerum publicarum peſtem. Tyrannus ſi ſenſerit florere Rempublicam repertis titulis, aut immiſſis etiam hoſtibus bellum excitat, vt hac occaſione vires ſuorum attenuet. Contra Rex omnia facit, ac patitur, quo pacem publicam reddat perpetuam, intelligens ex bello ſemel omnia Reipublicæ mala proficiſci. Tyrannus leges, conſtitutiones, edicta, fœdera denique ſacra, prophanaq. ad ſui capitis tutelam, aut inſtituit, aut pertrahit. Rex hæc omnia publico metitur bono. Hæc ſunt notæ boni, ac mali Principis. At quoniam malum regimen a Principe ignaro proficiſci ſolet, operepretium erit plurima, & vtilia axiomata, quæ ad iuris ſtatus cognitionem pertinent, quæq. Principibus maximoperè conducent, hic annotare.

Princeps patriam conſeruare omni diligentia curet; nam, vt inquit Cicero in ſomnio Scipionis, omnibus, qui patriam conſeruauerint, adiuuerint, auxerint; certus eſt in Cœlo, ac definitus locus, vbi beati æuo ſempiterno fruantur; nihil enim eſt illi Principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quàm concilia, cœtusq. hominum iure ſociati, quæ Ciuitates appellantur, harum rectores, & conſeruatores è Cœlo profecti, eò reuertentur.

Specialiter quærere debet duo, bonam conſcientiam quòad Deum, & bonam famam quòad homines mundi 22.q.1.c.nol.

Conſiliarios bonos audiat, nam Roboam perdidit Regnum ſuum, quia noluit audire conſiliarios ſuos ſapientes.

Rectè, & iuſtè gubernet, & ſciat Reges, ac Principes non illos eſſe, qui, aut a quocumque contigit electi, aut ſorte, aut violentia, aut deceptione aſſumpti fuerint, ſed qui regere ſciant. Xenoph. de dic. Socr. & eccl. 18. legitur, quod Princeps debeat iuſtè regere, aliàs Deus faciet amittere Regnum ſuum; nam ſcriptum eſt regnum de gente in gentem transferetur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.

Apud Homerum Reges paſtores populorum appellantur, quaſi qui eorum, non ſui paſtoratum gerant; idq. vt intelligamus quemadmo-

admodum paſtor quatenus eſt paſtor, non ſe ſed oues curat, quod proprium eſt eius opus, lac autem, & lanam quaſi acceſſionem quandā percipit; ita & Regem quatenus Rex eſt, non ſe ſed Remp. curare, quod proprium eſt eius officium, cui honores, & opes tamquam pro acceſſione ſunt.

Decet Principem, non ſolum nihil facere per iniuriam, ſed nec omninò facere videri. Nam priuatis quidem hominibus, ſatis eſt nihil delinquere, Principem verò decet, ne ſuſpectum quidem eſſe delicti. Dion. in orat. Liuiæ ad Aug., neque per vim, nihil enim eſt exitioſius Ciuitatibus, nihil tam contrarium iuri, & legibus, nihil minus ciuile, & humanum, quàm compoſita, & conſtituta Rep., quicquam agi per vim Cic. lib. 3. de leg.

Indoles Principis debet eſſe ſimilis Carolo V. Imperatori, ſemper Auguſto, cuius ingenium, vt ſcribit Gulielmus Xenocarus de Reip., vita, moribus geſt. & C. Cap. 5. lib. 1. erat humanum, mite, candidum, diſciplinarum capeſſendarum auidum, taciturnum, tractabile, pium & pietatis maximè ſtudioſum, clemens, honeſtum, magnanimum, audax, forte, reconciliabile, multum amicitiæ appetens, vindictæ non cupidum, liberale, largum, amabile, dulce, verſatile, ſuſpicax, prudens, ſapiens, prouidum, tardum, cunctabundum, non temerarium, non præceps, non effrene, modeſtum, moderatum, temperans, æquum, iuſtum, bonum, veridicum, triſtitiæ, & grauitati magis, quàm lætitiæ, aut leuitati deditum, rarò hilare, ſemper conſtans, atque tranquillum, vbiq. ſui ſimile nuſquàm, & nunquàm diſſimile, aut ſui immemor. Caueas ne maieſtas nimis grauis in omnibus ſit; nam expedit aliquoties meminiſſe magis, quid præſens tempus, & res poſtulet, quàm tua dignitas.

Virtute præditos reuereatur, in cuiuſcumque enim animo virtus ineſt, ei plurimum eſt tribuendum. Vellius lib. 2. hiſt.

Ipſe primus faciat, nam facere rectè, Ciues ſuos Princeps optimus faciendo docet; cumq. ſit imperio maximus, exemplo maior eſt, idem lib. 2.

Curet, vt in foro ſit fides, in Ciuitate iuſtitia, æquitas in iudicijs, autoritas in magiſtratibus, in Senatu maieſtas, & in iudicijs grauitas. Diſcordiam a curia ſummoueat, omnibus rectè faciendi, aut incutiat voluntatem, aut imponat neceſſitatem; dominium a latrociniorum metu ſeruet immune, fortuita non Ciuium tantummodo, ſed vrbium damna munificentia vindicet, honor dignis paratiſſimus ſit.

Nec ſolus cum muliere, etiam honeſtiſſima loquatur, nec cum ea familiaritatem habeat, recta fretus intentione; nam qui cum mulieribus habitant, & putant ſe caſtitatis obtinere triumphum, ignorant ſe apud

ſe apud Deum dupliciter reos exiſtere , dum ſeipſos in periculum adducunt,& alijs exemplum peruerſa familiaritatis tradunt,vt inquit D.Aug. de honeſt.mul. & plerunque procliuis mens, & curioſa manus languentem Venerem excitare ſolent . Xiphil. in Iulio Cæſare , & de ipſo Cæſare, & Cleopatra verba faciens ait , & forte cum id tẽpus cum fratre ſuo diſſideret,ac primùm cum apud Cæſarem per amicos cauſam ageret, deinde verè ab illis ſe prodi confirmaret,ipſa ſuam cauſam agere inſtituit, quam vbi vidit , & dicentem audiuit Cæſar , ſtatim captus,moxq. Ptholomæum accerſiri iuſſit, ab eaq. magis ſtare cœpit.

Errores vitet , nam vtì Solis defectus magnam mortalibus perniciem affert . Ita Principis error etiam leuis , magnam tamen in rebus humanis gignit perturbationem, Plinius lib.2.cap.20.

Querelas audiat , neque a Reip. adminiſtratione ceſſet. nam vt ſydera mundi, ſi vel paulatim ſubſiſtant, aut aberrent, ſummo id omnium malo fiat . Ita Principi ceſſare non licet, quod ſi facit magna omnium pernicie fit . Si inimicus Principis grauiter deliquit (ſemper enim habent aliquem,quem odio aliquo proſequuntur,& in animo ſcribunt, quæ ſuo tempore oblata occaſione promunt) ipſe ne iudicet, ne videatur id odio facere, & ne dicat Populus eum innocentem eſſe ; nam eſt graue præiudicium, & illud præiudicium eſt graue, quod nõ ſequitur aliud iudicium, ſed ipſum iudicij loco eſt.Quare ſi Princeps, præſeferat animum inimicum in quempiam , nullus eſt Iudex , qui ſecus auſit iudicare , & populus etiam addet , ò quàm miſerum eſt lædi ab illo, de quo queri , non eſt tutum .

In rebus dubijs eum vigilare oportet , non enim periculis dormitandum .

Incommodo ſciat præcauere ; nam non facile opprimitur incommodo, qui præcauet incommodum, & non facile opprimitur periculo , qui periculum obſeruat .

Si ipſe in actionibus infœlix eſt, negotia miniſtris mandet ; nã qui eſt infœlix in rebus ſuis gerendis, huic optimum eſt in otio viuere, & aliquando Deus miniſtris , non Principibus , ſicut & è contra , opitulatur .

Aliquandò negotia, & pericula eò redacta ſunt , vt numquam ſine alio periculo vincantur ; quare aliquo pacto audendum ; nam qui timet omnia, nunquam ſeſe explicabit, & in rebus dubijs, & periculis, multum audacia valet .

Mala caueat , nam certum eſt nullum malum, ſine concurſu alterius mali venire .

Caueat etiam, ne ſub ſpecie alicuius boni decipiatur; nam aliquando ita

dit, & tempus, & fortunæ viciſſitudo, vt ſæpe, quæ putaris bona, ſentias maximè nocere, & è contra; at malum illud eſt immedicabile, quod prætextu bonæ rei perſonatum eſt.

Si fortuna Principi in aliquibus fauet, diſſimulanda eſt; nam ea facit inuidioſos.

Principem oportet vacare perturbatione; nam ſicut in regione aeris altiore, nulla eſt nubes, infra generantur turbines, & tonitrua. Ita Princeps debet eſſe ſedato animo.

Tolerabuntur aliquandò in obſcuris hominibus perturbationes, at in Principibus ſunt omnino intolerabiles. Hec Pint. in cap. 48. Iſaiæ.

Naturam populi, quam regit perſpectam habeat; nam ſi qui equis, elaphantis, camelis, alÿsq. animalibus præſunt, obſeruant diligenter, quibus illa rebus oblectentur, & mulceantur, quibus teneantur, ſummoq. ſtudio illa perſequuntur, hæc vitant; quò magis idem faciendũ eſt ÿs, qui homines regunt. Muretus in com. Tac. lib. 2.

In omnibus tam extrinſecis, quam intrinſecis actionibus bonum ſe præbeat; nam indiligens pædagogus corrumpit puerum, malus præceptor vitiat diſcipulum, paſtor malus contaminat oues, Rex improbus populum corrumpit. P. Manut. in adag., & principatus propter ſalutem ſubiectorum conſtituuntur, vt ÿ nullum damnum ſentiant, non ſolum ab alienis, ſed neque a Rege, & a ſuæ gentis hominibus, Xiphilinus in epit. Dio. 47. & regum vitia, factaq., occulta diù eſſe non poſſunt. Xenoph. lib. 8 con. ſent.

Homines ſeditioſos a Ciuitatibus eÿciat; nam vt Medici membrũ ſæpe putrefactum incidunt, atque in totum eradicant, ne aliam corporis partem labefactare, aut corrumperè poſſit. Sic neceſſe eſt ſi Remp. ſaluam eſſe velit, vt perditiſſimos homines, ex vrbe penitus extirpet, ne corruptus integro, violatus caſto labem infigat Cic. in Verrem.

Dura vectigalia populo non imponat; nimia enim in exigendo tributo ſeueritas, & nimium ipſum tributum impoſitum, mouet ſubditos frequenter ad ſeditionem. Tac. lib. 4. annal.

Parta tueatur, & niſi vrgente neceſſitate, iuſta de cauſa bellum non excitet; nam gloria illuſtrior eſt cuſtodire partum, quam imperium ampliare, cum vnum ſit prudentiæ, alterum verò fortunæ; & ſi detur vtriuſque fortunæ eſſe, tamen difficilimum eſt retinere fortunam, ne mutetur; maior, ergo virtus eſt tueri parta, quàm parare, & ſi Principes verè exiſtiment ſibi pro ſua potentiæ, & dignitatis amplitudine, conuenire regionum ſubiugationem, tamen modus in omnibus rebus certus eſt, & probatur. Princeps ergo conſeruet, & tueatur illa, quæ Deus ſibi contribuit, quæ verò ad illum non pertinent,

tinent, & ad quæ non datur illis iuſtus acceſſus, illa ne concupiſcat. Ariſtæas in hiſt. 21.

Et ſi in ſecretis ſecretorum Ariſt. ad Alex. ſcribat, ne ipſe edat, dormiat, nec aliquid aliud efficiat ſine peritiſſimi mathematici conſilio, tamen eos miſſos faciat; nam, vt inquit Tacitus eſt genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, & Picus nullam gentem, magis eſſe iniuriam Cœlo, quàm aſtrologos ſcribit.

Fortitudinem conſilio magis, quàm periculis oſtendat, & ſapientiam re magis, quàm verbis exerceat. Secundis quidem in rebus contineat ſeſe, in aduerſis autem fiducia, bonæq. ſpei plenum ſeruet. Xenoph. de Agiſil. laud.

Vt nihil in penatibus ſuis venale, nihil ambitioni ſit peruium omnem adhibeat diligentiam.

Diſtinctè ſciat Ciuium, arcium, Ciuitatum, Oppidorum, & pagorum numerum, nam vt Tac. & Cic. de leg. lib. 3. eſt Senatori neceſſarium noſſe Remp. idq. quã latè patet, quid habeat militũ, quid valeat ærario, quos ſocios Reſpub. habeat, quos amicos, quos ſtipendiarios, qua quiſque ſit lege, conditione, fœdere, tenere conſuetudinem decernendi, noſſe exempla maiorum; neque dicas numerus Ciuium eſt infinitus, ergo ſciri non poteſt, nam non intelligitur, vt turba omnino, ac ſinguli numerentur, ſed vt certa illorum habeatur diſtinctio, neque dicas, quod Deus Dauidi ſuccenſuerit, quia populum ſuum enumerauerit, nam non ſuccenſuit, quòd populum numerauerit, ſed quòd affiſus diuina potentia, quæ pro Iſraele pugnabat, animum ad infirmitatem humanam conuerteret, vt inquit quidam. Ignotis ciuibus quis ordo, ignotis vrbibus quæ negotiatio, ignotis portubus, quæ propugnatio ab hoſte manet. Ariſt. de magnitudine Ciuitatis, quanta debeat eſſe, vtrum gentem vnam, an plures eſſe expediat, hominem politicum ignorare non oportere affirmat, & apud Aegyptios, vt ſcribit Herodotus in templo pacis omnia omnium ciuium, prouinciarum, vrbium, portuumq. nomina tabulis conſcripta, & appenſa fuerunt, quæ conſuetudo ab illis ad Rom. fluxit.

Ne ſe vlli contemnendum præbeat; nam dici vix poteſt, quantum homines auſint in eum Principem, qui ſe ipſum contemnendum præbeat. Franc. Guic. in Hyppom. polit.

Deum pura conſcientia colat, ac reueratur, & quia id ſine religione efficere nequit, maximam vtilitatem Principibus fortaſſe afferam, ſi aliqua de religione dicam.

De Religione.

OMnes tam boni, quàm impij autores voluerunt religionẽ Principi neceſſariam eſſe; at impij veram, vel falſam nullo diſcrimine probant, & tuentur; at dumtaxat catholica eſt probanda, vt quæ ſola vera ſit, ſine qua dignitatem ſuam a detrimento Principes non conſeruabunt; nam religio, & timor Dei ſolus eſt, qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem. Lactantius diu. inſt. lib. 12. ſicut enim ſtatera, ſi lancem loco motam habeat, pondera iuſtè non indicat, ita & anima niſi habeat rationis lancem ſtabilem, ac firmiter vi diuini amoris affixam, res ſincerè diiudicare non valet, ſed circumfertur iugiter, atque deprimitur. Chryſoſt. hom. 5. in ſecunda ad Timoth. Nulla alia religio, quàm vnius Dei tenenda eſt. Lact. 1. inſtit. cap. 20. & patrios ritus migrare, aut violare nullus Princeps permittat; nihil enim in rebus humanis religione eſt præſtantius, eamq. ſumma vi oportet defendere.

Morem in rebus omnibus Pontifici gerat, & in ijs præſertim, quæ ad Eccleſiæ diſciplinam, ordinem, inſtitutaque pertinent; & quoties de ijs, quæ ad religionem pertinent diſceptatur, ad Sedem Apoſtolicam omne iudicium ſemper referatur, nihil in illa inconſulta ſtatuatur, etiam pietate, ac bono zelo accenſus. Nã vt in domo benè inſtituta, in qua diuiſa officia, & munera, non licet vnicuique pro ſuo arbitratu omnia exercere; etiamſi ſingula in ſuo genere ſint præclara, quod qui tentant, quamuis id bono animo faciant, à patre tamen familias meritò reprehenduntur, quippe qui ſuo intempeſtiuo zelo, quod pulcherrimum eſt in domo nempè ipſum ordinem, ſine quo nulla domus diutius ſtare poteſt, quantum quidem in ipſis eſt tollunt, & prudentiæ eius, qui illum inſtituit ſummam iniuriam faciunt. Sic prorſus in Eccleſia Chriſti, quæ eſt domus Dei, in qua omnia munera ſunt diſpertita, & ſingula ſingulis diſtributa, vt inferiores ſuperiorum officijs non fungantur, & minus licet ordinem perturbare, quò maiore prudentia eſt ordinata Eccleſia, quàm de vlla domo cogitari poſſit; eſtq. ſemper grauiſſima in Dei prudentiam, ac ſapientiam iniuria. Paul. III. in admonit. patern. ad Carolum V.

Religio debet eſſe reuerenda, non vulgaris, & magis Deo, ac naturæ, quàm arti conformis.

Quæ communi politiæ repugnat eſt reijcienda; non enim poteſt durare, vt lutherana.

Eſt anima dominij, quare debet eſſe tota in toto, & tota in quali-

qualibet parte, ideſt omnes eoſdem articulos credere debent.

Præſumptionem eorum Deus acriter punit, qui a ſeipſis perſuaſi ad ſeipſos, & ſine vlla Dei recognitione omnia referunt.

Quod Ouidius poëta ſub nomine Palladis Aracnis, & Penthei, qui religionem contempſerunt oſtendit.

Religio eſt legis naturalis defenſio, amor enim, & timor Dei pœnarum, & præmiorum æternorum ſecuritas, compellunt ad legum obſeruationem.

Sicut ſine anima corpus interit, ſic Ciuitas ſine religione corrumpitur.

Religio, quæ politiæ naturali contradicit, non eſt admittenda, quare cum ſabbathi Die mille miſerijs Iudæi obruerentur, tempore neceſſitatis pugnare cum Pompeo, & alijs in illo die recuſabant: cum tamen aliter Doctores ſint interpretati, & aſſerant tempore ſummæ neceſſitatis pugnandum eſſe.

Neque ſcientia ea, quæ religioni noſtræ contradicit, cum religio non falli, ſicut ſcientia poſſit.

Secta Lutherana, & Caluiniana, quæ liberum arbitrium negat, fugienda; nam populus tuus reſpondere poteſt, ego non poſſum tuas leges ſeruare, cum fatum me ad peccandum impellat, nec puniri, quia voluntariè non peccaui.

Ciuitas eſt quoddam corpus animatum, cuius anima eſt religio; materia verò Senatus, bona externa militia, ſpiritus lex, oculi philoſophia, & ſcientiæ, aures mercatores, & exploratores, lingua concionatores, & oratores, manus milites, pedes artifices, & agricolæ pro ſuſtentatione animi, & corporis fortunæ, famuli commeatus, & nummi, quæ cum omnia pendeat ab ipſa anima, eius diligentem curam habere oportet.

Omnis Reſp. illis auſpicijs conſeruatur, atque viuendi ordinibus, quibus orta eſt, ſicut planta illa aqua, ac terra creſcit, quæ ei naturalis eſt, & languet, ac interit, ſi ſolium ei præter naturam accidat. ſic Reſp. ſi exteram acceptat religionem, durare non poteſt, id Hebræis notum fuit, qui quoties ritus, ac religionem mutarunt, in captiuitatem deducti fuere, & Græcia, Africa, Aegyptus, multiq. aliæ nationes idem expertæ ſunt. Nam mutatio religionis, breui temporis ſpatio, ſtatus mutationem ſecum afferit; ratio eſt, quia mutata religionis, ſine animorum mutatione eſſe non poteſt, & mutatis animis corpora mutantur, & fortunæ, ſine quibus ſtatus non permanet. Græci Spiritum Sanctum, a filio procedentem negantes, die Pentecoſtes in vindictã tantæ blaſphemiæ Conſtantinopolim amiſerunt. quare Hæreticos abijciat princeps, atque exterminet; nam ſicut meretrix

vxor virum ſuum ſe fingit amare, verè autem amat adulterum, & in facie quidem iſtius eſt, in corde autem alterius; ſic & Hæretici videntur eſſe Dei cultores, ſunt autem Diaboli amatores, & quidam Princeps cũ Hæreticos, & maleficos faueret, vt refert Iacobus Sprenger. 2. par q. 1. mal. malefic. & cum his quandam Ciuitatem indebitè aggrauaret, dum hoc ſibi a quodam familiari obijceretur, ille omni timore Dei poſthabito reſpondit, faciat Deus, quod in hoc loco moriar, ſi iniuſtè à me aggrauentur, cui verbo ſubito diuina vltio ſubſecuta eſt; nam ſubitanea morte expirauit, re vera in vindictam blaſphemiæ & fautoriæ hæreſis.

Regum libros in manus habeant; vt intelligant, qui Reges iuxtè vixerunt eos à Deo auctos fuiſſe, & ijs promiſſionẽ vitæ æternæ apud ipſum permanſiſſe, quot verò Reges à Deo defecerunt, rebellione ſua breui tempore interijſſe, iuſto Dei iudicio, & vita eos priuatos fuiſſe, & pro requie æternum ſupplicium conſecutos. Clemens Papa lib. 1. de conſt. apoſt. Religio vera vnica eſt, quæ vnum Deum habet autorem, & Ieſum Chriſtum, & eius Vicarium cognoſcit, cætere ſuperſtitiones ſunt, quare religioni veræ miſcere ſuperſtitiones periculoſum eſt. Aug. Steuch. de peren. philoſoph. lib. 8. quare deceret Principem Theologiam callere, vel peritiſſimos Theologos apud ſe habere; religionis enim imperitia vitia omnia conualeſcunt, & homines vulnerant animam inſanabilibus vitijs, quæ infecta quaſi venenis intumeſcit. Mercurius Triſmeg. in Aſcel. cap. 8. Noua religio ſtatum immutat, aut bona, aut mala hanc vim habet, ſicut anima bona, aut mala corpus mutat, quam mutationem propter falſam religionem Gentua, Germania, Heluetiorum pars, Anglia, Africa, Græcia, vt ſupra dicebamus experta eſt, & nouus orbis terrarum propter bonam, & ſanã paulatim mutationem ſentiet, quæ mutatio cum bona ſit, ſermonem de hac non habebimus, cum ſtatum conſeruet mutando, ſicut & illa corrumpit; nam vbicunque audietur illa opinio, quæ Dei prouidentiam, aut futurum ſeculum, aut arbitrij libertatem negat, neceſſe eſt ibi peſſimam fieri mutationem, cum ea populos ſeditioſos, Principes Tyrannos reddat, mentesq. populorum ad ſeſe illaqueat, vt in Germania vidimus. Quare poſt multas paſſas ruinas, poſt multas iacturas, neceſſe eſt vt ad veram religionem ſe ſe accommodent. Græci Epicureis receptis veram amiſerunt philoſophiam, & multa bello paſſi Chriſti fidem ſunt amplexi, & Germania ad nouam legem recipiendam, vel veterem credendam ſibi in animum inducit, cum amplius ei opinioni, quæ liberum arbitrium negat, fidem adhibere non poſſit.

Ciuitates liberæ ſi nouis opinionibus fidem adhibebunt, libertatem amittent; nam his temporibus nulla alia religio libertatem tuetur

huma-

humanam, quàm Romana. ſi cum Turcis, & Caluino liberum negas arbitrium, non ſolum Deus ad ſeruiendum te condemnat, verum etiam ipſemet libertatem vendis, belluisq. te ſimilem facis, iuxta illud, quia cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus. populi ſeptemtrionales ſpecioſo libertatis nomine illecti, principiò religionis, ac politiæ contradictionem non agnouerant, illa enim liberum arbitriũ affirmat, hæc vero negat, & re ipſa politicã, & leges obſeruant, quæ eos Principi obedire, & bonum operari impellũt, & non religio, quæ affirmat Deum eſſe, qui in nobis bonum operatur, quare in illis plus bona natura, quàm impia poteſt opinio, quod quidẽ contra naturam eſt; & vt Hiſpani, & Itali ſubtili ingenio præditi, non hoc animaduertunt. Quare cum populi audiunt Deum tam mali, quàm boni autorem eſſe, vt infernum, ac paradiſum libito ſuo impleat, ipſosq. nullam, aut rectè vel malè operandi poteſtatem habere, luxuria ſtatim diffluent, tuas ò Principes leges non obſeruabunt, aſſerentq. id fieri non poſſe, quandoquidem liberum non obtinent arbitriũ, cũ Deus ſit ille, qui nos contrarium tuis legibus facere cogit. Quare vndique homines præcipites huc, atque illuc furentes conſpicies. vidit autem ætas noſtra in Germania, ex ſemine Caluini ortos libertinos eſſe, qui cum hoc animo perpendiſſent, ſine vlla lege vbiq. graſſantur, vnumquemque ſuam voluntatem ſequi debere aſſerentes, cum id non ſit peccatum, quod Deus iubet. Et equidem non ſine cauſa id dicunt, iuxta eorum ſententiam, qui liberum negant arbitrium, nam attrocior blaſphemia eſt dicere Deum eſſe autorem peccati, quàm peccatum non eſſe peccatum affirmare, prima enim Deum Tyrannum facit, & proditorem, quia dicit bonum operamini, & deinde ea nos facere iubet, quæ non poſſumus, & ad malum nos inuitat animi iniquitate, ac voluptate. Hæc verò Deum excuſat. Quamobrem niſi timor legum ciuilium, ac catholicorum arma, & linguæ hanc furentem licentiam comprimerent, mundum illi contaminarent, & ſi ipſi per aliquod tempus durare videntur, id non perfidæ religioni, ſed catholicorum viribus, & ciuilis politiæ eſt adſcribendum, quos timent, & contra quos ſemper armati, veluti in acie ſtant. His de cauſis Principes veram a falſa religionem cognoſcant, quia ſi populi hæc audient, boni aufugient, praui autem tecum commorantes ad omnia flagitia perpetranda te excitabunt, & plus nocumenti perfidi Ciues, quàm hoſtes catholici, ac pij tibi attulerint; deinde non poſſes ſine aliquo capite autoritate pollente, ſeditioſas opiniones conciliare, quare vnuſquiſque ſuã ſequi voluerit. ex quo quidem æmulationes, inſidiæ, ſeditiones, rebelliones originem habebunt, ſi ad eadem credenda eos cogeris aquam in mortario tundes, quia liberum eſt credere, & impoſſibile eſt, vt omnes

eiuſdem nationis religionem nouam in ſecreto obſeruare; ſcient enim te à Deo miſſum non eſſe, martyria, miracula, prophetias non videntes, neque populus ſtatim nouam opinionem imbibit, neque ſubito animum, ac veteres ritus mutat, & ad arma facili de cauſa conclamatur. Item cogitabunt, vtrum eis expediat, ſummum Pontificem relinquere, ac religionem patriam deſerere. Quare.

Summo Pontifici eſt obediendum, & tenentur, qui ſalui eſſe volũt. Poteſt quidem Deus ex nihilo hominem facere, at quia alter alterius curam habeat, ex patre, matreq. naſci vult. Poterat in omni prouincia homines præcipuos creare, ſed vt omnes idem eſſemus, mutuiſq. officijs alter alteri opem ferret, vnum Adam, à quo omnes deſcenderet, ſolummodò in lucem edidit. Eodem modo in ſpirituali vita, poterat ſingulis prouincijs vnum Pontificem præficere, caputq. earũ abſolutum conſtituere, at ne inter illas opinionum diuerſitas, ac in politica controuerſia ſuboriretur, vnum tantummodo elegit, cuius obedĩtiæ, ac determinationi cedentes, vniformes, & futuri ſeculi, & in hac mortali vita ſine diſcordijs, ac bello tuti viuerent. Hoc caput Cephas appellauit, quod fundamentum Chriſtianæ religionis ſignificat, ac omnium Princeps, ac Gubernator tamquam pater eſt cognoſcendus, ac colendus ab omnibus, & præſertim ab ijs qui Reip. præſunt; nam benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio matris eradicat fundamenta, quia Pontifex eſt Vicarius illius, qui eſt dominus dominantium, iudex viuorum, ac mortuorum, & Princeps Regum terræ. Huic eſt parendum, cui omnes Principes terræ pedem deoſculantur, iuxta illa, adorabunt in conſpectu vniuerſæ familiæ gentium. Adorabunt eum omnes gentes terræ, omnes gentes ſeruient ei, & erũt Reges nutrices tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram dimiſſo adorabunt, & puluerem pedum tuorum lingent, ſeruiant tibi populi, adorent te tribus eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ, & alias autoritates, quas in vnum congerit Ioſeph Stephanus de oſculat. ped. Romani Pontificis. Quare quæ Reſp. hoc caput deſeret, meretrix erit, & quia meretrices non vno contentæ ſunt viro, ſed multos appetunt, ſic Ciuitates illæ, quæ ab Eccleſia deficient, Lutherum, Caluinum, & omnes hæreticos fornicationis filios adamabunt, & viris bellum inferent, vt adulteros, & amantes ſine periculo recipere poſſint. quare ſunt abijciendi lenones, qui Ciuitatum, ac Rerump. pudicitiam contaminare illecebris ſuis impiè conantur, neque illorum verbis eſt credendum, qui multas Citates, vt Geneuæ, Heluetiorum, ac Germanorum liberè viuere dicũt; nam hæc meritricia eſt libertas, & poſtquam multos experti fuerint, tandem quod diſcrimen ſit inter virum, ac adulterum cognoſcent.

Nulla

Nulla enim eſt alia libertas, quàm illa, quæ à ſancta Romana Ecclesia defenditur, quæ ſolũ durabilis eſt, & nulli corruptioni ſubiecta; nam ſicut impoſſibile eſt, vt vera religio omnino tollatur, ſic eſt impoſſibile, vt illud caput abÿciatur, imò eum habeat hæreditatem gentium, gens, & regnum, quod illi non ſeruierit, peribit. Poteſt quidem Eccleſia perſecutionem pati, at non deleri, quia portæ inferi aduerſus eam non præualebunt, quia in neceſſitatibus ſemper Deus aliquem, qui eam liberet excitat, vt multoties factum eſſe legitur. Nã dum populum Dei in Aegypto crudeliſſimè Pharao exerceret, Moyſes voluntate diuina defenſor, & liberator extitit, ſic in terra promiſſionis afflictus Septe, & Gedeon, & Sanſon, & cæteros, qui illum à ſeruitute infidelium liberarunt, ſic etiam in populo Chriſtiano, & in Eccleſia non ſolum defenſores eſſe voluit, ſed etiam, vt illam defenderent, qui prius eam grauiſſima moleſtia afficiebãt, vt de beato Paulo patet, & de martyribus, qui eam aduerſus perſecutores Imperatores auxerunt, de quorum numero excitauit Conſtantinum numquã ſatis laudatũ, quo auſpice omnia quieta remãſere. eius exemplũ Reges imitati, falſa deſerta religione, veram induerunt. Verum cum Diabolus, vt inquit Iacobus de Valentia in explicat. hym. S. Ambroſij, & Aug. noua bella, & diuerſas perſecutiones contra Eccleſiã ideſt deteſtabiles ſectas hæreticorum ſuſcitaſſet, Chriſtus de numero Philoſophorum excitauit Origenem, qui numerum ingentem Philoſophorum ad Chriſtum conduxit, & complures non ſolum Philoſophorum, ſed etiam hæreſiarcas ad lucem veritatis reconciliauit, vt inquit Hieronymus in lib. illuſtr. virorum, & Euſebius lib. 6. de Eccleſ. hiſt. Cum deinde Eccleſia vim Hæreticorum iterum pateretur, de numero Philoſophorum, ac Hæreticorum Deus excepit Aug. qui omnem humanã curioſitatem confudit extinxit, vt dicit Poſſidonius ſcrip. hiſ. D. Aug. At cum ſuperioribus annis turbulentiſſimæ hæreſes ſubortæ eſſent, quas non ſermone, ſed armis tueri conabantur, ne tantus rumor, ac præceps licentia vlterius ſe extenderet Carolum V. Imperatorem ſemper Auguſtum, ac religionis exemplar excitauit, qui cum Imperij Romani, & Ieſu Chriſti ducem ſe eſſe cognoſceret vita quieta, ac tranquilla derelicta nunc mare nauigans, modo pertranſiens, nunc in Africam, modo in Panoniam ſe conferens ad labores impiger, ad pericula fortis, ad vſum, ac diſciplinam peritus, ad conſilia prudens, ad caſus, fortunamq. fœlix, impios Hæreticos partim proſtrauit, rebelles caſtigauit, ac inſanum multorum Romanæ Eccleſiæ hoſtium furorem eluſit.

Regnum cum ſacerdotio optime debet eſſe concorde; nam populi ei libenter obediunt, quem à Deo dependere apudq. illum interceſſorẽ

eſſe credunt. quare Sacerdotes ſunt omni veneratione digniſſimi. Etenim aſſiduam erga Deum pietatem exercent, ei ſacra facientes, illum ſummis laudibus celebrantes, illi gratias diù noctuq. agentes, ei ſua ſanctitate amici facti, ad eum in publicis calamitatibus feruidis orationibus, & ſacrificijs confugientes, pacem populis, & tranquillitatē imperant, cunctosq. homines ardent caritate complexi, eos optimis diſciplinis præcipuè ſacris inſtruere, & Dei verbum paterno affectu, diuinoq. ſpiritu inflammati, ad eorum ſalutem publicè prædicare non deſinunt. In priuatis verò colloquijs iuuentutem, populumq. omnem à vitijs, à peccatis, in quibus humana fragilitas perpetuò volutatur reuocantes, cœleſtiq. virtute expiantes ad veram æternamq. beatitudinem dirigunt. Vt populi, qui eiuſmodi religioſis abundant, eosq. colunt, & reuerentur, verè beati dicendi ſunt, cum eorum potiſſimū ope Deo gratos fieri, & diuinam eius miſericordiam in præſenti, ac futura vita conſequi poſſint Adou. Gual. lib. 15. de ciuili facultate.

Vt cor eſt veluti medium inter animā & corpus, ſic ſacerdos medius eſt inter Deos, & homines, eorum enim opus ſemper opportunum eſt, & præſertim neceſſitatis tempore; nam ſicut pluuia ſemper bona eſt maximè eſt grata tempore ſiccitatis, & viſitatio amicorum ſemper quidem ſuauis eſt; multo tamen ſuauior tempore luctus, ſic, & conſolatio ſacerdotis ſemper opportuna eſt; maximè autem tempore perſecutionis.

Ante omnia Principem decet ſacra tractantibus aſſurgere, & ſupremum honorem exhibere, vt Ciues multum pudoris induent ſi ad eam reuerentiam præſtandam ſegnes extiterint, atque aſpero, & abſciſſo caſtigationis genere in eos vtatur, qui ſacra, & ſacrorum antiſtites petulāter, temerariè, ac procaciter impugnare pro nihilo habuerint, iuſta enim, aut neglecta, aut violata religionis cenſura nihil Deo gratius, nihil acceptius. Deum namq. zelotem nouimus, nihilq. poſtremò efficacius, atque conducibilius ad ſuſtinendū regnum eſſe probatur. Ioannes Bernardus Gualandus de optimo Principe.

Nihil ritè, nihilq. prudenter auſpicantur homines ſine Dei immortalis ope, & conſilio. Itaq. rerum agendarum initia a præcationibus ſunt capienda.

Qui vobis perſuadent non eſſe religionem ſummoperè colendam, abijcite, qui dicunt Reges cum immodica eſt, dignitatem nullam habere, minimè decere Principem inſtar cuiuſdam vetulæ, multam operā in precibus, ac in votis, & in procuranda religione conſumere, multā religionem a ſtudio dignitatis Regem abducere; nam id falſum eſt, & dicunt, vt paulatim omne pietatis ſtudium reſtringatis, & perficiunt quantum poſſunt, vt vos a Dei religione diuellant. & nihil

aliud

aliud optant peruerſi, quàm omni diuino, ac humano præſidio vos nudare, & ſummo ſcelere, perfidia, & humanitate obſeſſos tenere, ne poſſitis vllo modo ſalutari ope, & auxilio liberari, niſi quod intelligāt hæc omnia fore impedimento, quo minus tyrannidem ſuam diù tueri, & ſimplicitate Principis poſſint. Oſorius lib. 3. de reg. inſt.

Eos etiam, qui dumtaxat religionis cauſam ſuſcipiendam, quòad neceſſaria eſt ad Imperij ſtatum retinendum, vel augendum exterminate; nam ea doctrina impia eſt, ac ſceleſta à Dæmone profecta, diuinæ, & naturali legi repugnans, a more apud omnes nationes, etiā barbaras iamdudum recepto abhorrens, a ſapientiſſimorum philoſophorum ſententia, conſenſuq. diſſidens, & prudentum, & laudabiliū Principum aduerſa. Ribadeneira in princ. chriſ. lib. 1. cap. 17.

Princeps Chriſtianus ſi nomini ſuo reſpondere velit, officioq. perfungi Hæreſes indulgentia quadam permittere non debet, nec in ſuo Regno, aut Principatu diuerſarum, ac inter ſe pugnantium ſectarū homines pati, ſed potiſſimum in eam curam incumbat, qua Dei cultum integrum, purumq. conſeruet, idem loc. cit. quare omnis, qui dixerit præter ea, quæ tradita ſunt, quæq. catholica Eccleſia aſſerit nulla fide dignus ſit tametſi ieiunet, tametſi virginitatem ſtruet, tametſi ſigna faciat, tametſi prophetet, lupus tibi appareat in grege ouium corruptionem faciens. Ignatius in epiſt. ad Hieronem. Nam quemadmodum ſerpens Euam ſeduxit, promittens ei, quod non habebat, ſic Hæretici prætēdentes maiorem agnitionem, in mortem demergunt ſibi credentes.

Timorem Dei præ cætera habeant, nam quemadmodum qui corporis membra clauis transfixa, ad actionem quamlibet immobilia retinent, ſic hi, quorum animam occupauit Dei timor, omnem prorſus importunam peccati, & obſtreperam occaſionem vitant.

Intelligant, attenteq; perpendant oportet Reges, ac Principes ita defendendam ſibi Chriſtianam religionem, vt re circa eam dubia, vel noua, & perplexa ſe ſe offerente aliqua difficultate, iudicum partes non aſſumant, nec temerè definiant, quod eos non concernit; Cuſtodes enim ſunt diuinæ legis, non interpretes, miniſtri ſunt Eccleſiæ, non Iudices, gladium portant; vt Hæreticos per duelles ſacrilegos, & quot quot perſequuntur, aut pacem turbant ſupplicijs coerceant, ſed in rebus Eccleſiaſticis, nec legum latores ſunt, nec diuinæ voluntatis exploratores, aut internuncij. Ribadeneria lib. 1. c. 19. & in grauiſsimum laqueum inciderunt, qui temerè, quod ad ſacerdotum officium pertinebat ſupplere ipſi auſi ſunt, vt Dat. & Abiron, atque Cor. & alij, qui ægrè ferentes in ſancto populo vnum præ cæteris dignitate ſummi ſacerdotij fulgere ſe tam Moyſi, quàm

Araoni oppoſuere cum dicerent ſufficit vobis, quod omnis multitudo ſanctorum eſt, at in ipſis eſt dominus, quid eleuamini ſuper populum; licet verò hac verba contra ambos dicta videantur, tamen Moyſe interprete didicimus, omnis eorum indignitatis cauſam ſummum ſacerdotium Aaraonis fuiſſe. Non enim vbi omnis multitudo eſt ſancta, virum aliquem eminere dignitate aquum eſſe cenſebant. quam verò grauiter hæc res diſplicuerit Deo, inſigne in eos diuini iudicij, & ſeueritatis exemplum oſtendit, quos terra dehiſcens vnà cum vniuerſa ſupellectili, & omnibus bonis viuos abſorpſit. Hæc verò vetera nunc reticeo, quia, vt inquit Apoſtolus in figura contigebant illis, ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerunt, vt diſcant omnes ſi in ſacerdotio, quod deſeruiebat tabernaculo, & vmbra quodq. vna cum tabernaculo abolendum diuina prouidentia ſtatuerat, tantam curam Deus oſtenderit, vt ne minimam quidem in ea mutationem ab humano ingenio inultam permiſerit, quantò maior reuerentia tribuenda ſit illis ſacerdotibus, qui non amplius ſeruiunt typo, & vmbra abolendis, ſed ipſi verò tabernaculo, quod nunquam transferetur? quanto ne minus de mutatione, vel minimæ ordinationis, quæ ad eos pertinet cogitare debeant? quantò denique grauius, ex magis intolerabili ſuperbia putabimus, eos in diuinam prouidentiam peccare, qui vel hanc confundere, vel ad ſe transferre poſtulant, vel alio modo de illa ſtatuere volunt, quam longa Eccleſiæ conſuetudo fundata in teſtimonijs ſcripturarum promittit, & declarat. Quocunque verò modo, quacunque ſpecie pietatis propoſita hæc tenentur, radicem quidem mali ſuperbiam Deo ſemper odioſam eſſe non eſt dubium, ſed quod maximè declarat Oziæ Regis exemplum, in quo ſimul, & radicem huius mali, & grauem illius vindictam ſcriptura nobis exprimit. Hic autem Rex alias laudatiſſimus; idq. teſtimonio ſcripturæ in hoc tantum ſuperbiæ arguitur, quod incenſum ad altare thymiamatis adolere voluerit. Quis verò hanc voluntatem non piam potius, quàm ſuperbiam iudicaſſet, ſed ſpiritus Dei in ſcriptura, cum ad huius facti narrationem peruenit, eleuatum (inquit) eſt cor Oziæ, in quo verò eleuatum nempè, quod alieno miniſterio fungi voluit, de quo poſtquam à Sacerdotibus admonitus, nec illis paruiſſet, ſtatim a Deo lepra eſt percuſſus. Hæc verò recenſemus, vt intelligant Principes, ſi ſuperbum fuit Oziæ factum in adolendo incenſo ſuper altare thymiamatis, quanto ſuperbius eſſe, hoc tantum adolere incenſum ſuper altare corporis Chriſti, cæteraq. quæ religionē ipſam comitantur, perſequi. Quare Pontifici obedientes eſtote. Nam Deus omnes illos caſtigauit, qui ſummum Pontificem ſpreuerunt, quòd ſi aliquos inultos reliqui, id ea ratione factum a diuina prouidentia

dentia ſancti Patres piè exiſtimauerunt, ne ſi omnes hi impij caſtigarentur, nullum aliud tribunal diuinæ iuſtitiæ reliquum eſſe homines iudicarent, nec verò ſingulos tantum homines, vt ex hiſtorijs conſtat, vltio diuina caſtigans, eorum inobedientiam erga hanc principem ſedem eſt peruagata, ſed in nationes etiam, & prouincias, in quibus videmus eos grauiſſimè omnium fuiſſe caſtigatos, qui Chriſtum Dominum habere recuſarent; proximum miſeriæ locum eos ſortitos eſſe, qui Vicarij Chriſti autoritati reſiſtere. Duas verò nationes a Deo in primis caſtigatas, atque afflictas videmus, quæ olim florentiſſimæ fuere, quarum vna pertinax in negando Chriſto permanſit, altera aliquandiù præ cæteris omnibus contendit. Illa eſt Iudæorum, quæ nulla maiori miſeria eſt oppreſſa, hæc verò Græcorum, quæ proximè ad miſeriam Iudæorum acceſſit, quia proximè ad eorum impietatem acceſſerat. Quare ſi ipſe Chriſtus in cæteris Imperatoribus, Regibus, populis, & nationibus nunquam inultam tulit Vicarij ſui ſpreti autoritatem ea interim perpetua ſucceſſione conſeruata, ſi tam ſeueris iudicijs eorum inobedientiam caſtigando odioſos ſibi ſemper fuiſſe huiuſmodi conatus oſtendit; quantò in Principes catholicos, qui ex illis originem fortaſſe duxerunt, qui non plus honoris Sedi Apoſtolicæ detulerunt, quam ipſi ab ea receperint. P. III. in admonit. pater. ad Carol. V.

A fallacibus eorum perſuaſionibus ne credat, qui in ore ſemper habent reformationem Eccleſiæ, & occultos hæreticos diligentiſſimè quærat, ac puniat, quia poſſunt data occaſione ſtatum perturbare; nam vetus Hæreticorum conſuetudo eſt, quamdiù Catholicorũ ope, & auxilio egeant, tamdiù ſubdolè humilitatem, & religionem ſimulent, ſed vbi optatis, & expetitis potiti ſunt, ſtatim in ſuam impietatem reuoluantur. Ioſeph Stephanus in cauſ. Henrici Borbonij. Et errantes admoneat, & coërceat; nam vbi quiſpiam cœperit excutere timorem, & honorem Dei, vel diuini numinis reuerentiam, omnia ſibi licere putabit, dummodo latere homines, quæ male agit arbitretur, mala bonis confundet, ſi opinione præmium bonorum, aut malorum pœnas effugerit, non eſſe crediderit numinis vindictam, aut beneficia. Ita Plinius, vitam noſtram religione conſtare dixit, & quod in religionem committitur, in omnium fert iniuriã. Omnibus, quibus animæ immortalitas conſtat, animæ etiam ratio prior habetur, & potior, cũ anima ſit plus, quàm corpus, & pretioſior; quamobrem, qui religionis alicuius, quæ ad animæ ſalutem pertinere putatur rationem, & dogma ſibi proponunt, vt religionem conſeruent, alias omnes res, tam proprias, quàm alienas parui faciunt, mortalia pro immortalibus contemnentes, & inde furibundæ, & implacabilis propemodum ſeditiones,

nes, rebelliones, & bella, quæ pro religione ſuſcipiuntur, dicta ideo bella ſacra acerrima, vbi pugnatur pro aris, & focis. Tholoſ. de Rep. lib.12.cap.4.

Monuit ſapienter Mæcenas vir grauis Cæſarem Octauianum apud Dion.lib.52. hiſt. Deum ſemper, & vbique cole, vt moribus patriæ eſt receptum, ad eundemq. cultum alios compelle, peregrinarum verò religionum autores odio, & ſupplicio proſequere, non modo eorũ gratia, quos qui contemnunt, haud dubiè nihil quoque magni faciunt, ſed propterea, & iam quid, qui noua numina introducunt, multos ad vtendum peregrinis legibus alliciunt, hinc coniurationes, coitiones, & conciliabula exiſtunt minimè principatui commode res. Hac quoque cura etiam Romanis fuit, ne daretur in religionis cauſa, licentia vagandi in quamlibet partem, eaq. multa mala inde ſuborirentur, vt experientia ſæpe docuit, fuitq. occaſio ſæpe reformationis, & inquiſitionis in habentes libros peregrinæ religionis, eosq. comburendi, ſicut liquet ex Liuio, ex Suetonio, & ex lege duodecim tabul. quæ apud Ciceronem de legibus.

Commercia inter tuum populum, & Hæreticos ne permittas; nam populus ad mutandam in bonum, vel malum, ſententiam, & opinionem ducitur, anteaquàm rem ſerio perpendere poſſit, facilis, & a religione non accuratè exculta, ad ſuperſtitionem via, & ſpecioſum religionis nomen a pluribus vſurpatur ad tegendas impoſturas impietatis, & ſceleratam idololatriam. Qui periti ſunt pro veritate contẽdunt iuſtè, qui errore contra imbuti ſunt pertinaciter, & ſæpe ex malitia ſubſiſtunt; ſeipſos prædicant humanis aliquando doctrinis validis, falſa pro veris obtrudunt, ſimplices veritatis amatores contemnunt, interim factiones fiunt, ſchiſmata oriũtur, pugnæ ex ſcintillis diſcordiæ incenduntur, quæ non niſi poſt multas clades extinguuntur. Tholoſ.lib.12. de Rep.cap.4.

Quare occurrendo initio erit, antequàm ſerpat incendium, primò docendo magis, quàm iubendo, monendo, quàm minando. Concionatores optimos, ac erudititiſſimos habeat, vt multitudinis credentium ſit cor vnum, & anima vna, nam multitudo non freno facilè poteſt regi, & acerbis in vniuerſam plebem animaduerſionibus Ciuitates magis vaſtantur, quàm corrigantur, vt inquit Salluſtius ad Cæſarem. experiendum deinceps aduerſus errantes, & Hæreticos, malèq. de religione ſentientes, num per eccleſiaſticas cenſuras, & pœnas redire poſſint ad gremium Eccleſiæ, quibus ſi illis contemptis noluerint ſatisfacere, addendæ erunt pœnæ legum ſecularium, ac canonum, & cum gladio ſpirituali temporalis iugendus erit. Tholoſ. lib. 4. de Repub. cap. 4. & Principes habent, quem imitentur, Philippum

pum III. Hiſpaniæ Regem potentiſſimum, qui ſubditis ſuis Hæreticis paciſci noluit, & nullius aliam magis curam habet, quàm hoſtes Eccleſiæ profligare. Et profectò habent Hiſpaniarum Reges, vt dicit Ioſeph Stephanus in quadam ſua oratione, & cum eis vniuerſa prouincia præter militarem virtutem, ac laudem, qua maximè nobilitantur inſitam, ac quaſi innatam fidei pietatem, per quam omnia ſuſcepta conſilia ad ſanctam referunt ſedem, vt in ea tamquàm infirmiſſimis totius Regni viribus, ac munimentis inſiſtant, quod & confirmat ſanctæ inquiſitionis officium inſtitutum, ſub quo non patitur Hiſpania illos fluctus, & turbines, quibus multæ prouinciæ magna, & miſerrima fortunarum, & fidei naufragia pertulerunt.

Sine Religione non Princeps officium ſuum, non ſubditi facient, ſine ea ſocietas non erit, quia non fides, non iuſtitia, non virtus, ſed fraus, licentia, proteruitas, & vno verbo, confuſio hominum, ac rerum. quod frenum erit peccaturis, qui metus ſatis validus, nam externum illum, qui à pœnis, aut morte eſt contemnunt, & deſperatio impetus, aut iracundia eò ducunt. Eſto igitur vinculum, & firmamentum Reipublicæ religio, ac Princeps ipſe habeat, quo gratia eum, & gratitudo vocant. Rex es à Deo habes, & quo maior, altiorque plura benefico illi numini debes & per cultum igitur, venerationemque eius agnoſce. Rex es, vt diù, & fœliciter eſſe poſſis, & ſcito tollere poſſe, qui tribuit, & euertere, qui ſublimauit. Vetus & à maioribus acceptus hominibus eſt ſermo, quod omnia à Deo per Deum nobis ſint conſtituta. Qui hoc imbibit religionem quomodo non habebit.

Prima mihi debes, animi bona ſanctus habere.

Ex quo ſequitur, vt virtutes etiam habeas, & maximè modeſtiam, ac clementiam, quæ religioni maximè adhærent. Addo quòd tutior ita eris, amor enim ex iſto, & veneratio erga ipſos Principes innaſcitur, nec facilè exteri, aut ſubditi lædent, cui nomen amicum, & propitium arbitratur. Quid quod ipſi ſubditi ita meliores, tranquilliorésq. nulla res magis animos, & mores componit, quàm religio, & illa vbi in pectus demiſſa virtutum agmen ſequitur. In primis manſuetudo quædam animi, ac tranquillitas bona imperantibus, & quæ faciles, obnoxiosq. præceptis reddit. Denique externa fœlicitas eò vocat, quod ab omni æuo obſeruatum Deum, qui ſe colunt attollere, & pijs, religioſisq. Principibus proſpera plurimum eueniſſe alia alijs. Lipſius in monit. & exempl. polit. cap. 2.

Gentes dominia diſtinxerunt ad hunc finem, vt ſinguli commodius curarentur, ideoq. & commodius, & abundantius religioni ſeruirent

uirent finis verò, & ratio dicitur anima actionum quarumlibet, iuriumq. & legum. Sic igitur gentes, eatenus homines voluerunt eſſe rerum dominos perfectos, quatenus ijs vterentur ad virtutes, ad religionem, Deumq. cognoſcendum, & amandum. Quamobrem nulla gens id habuit pro lege, vt impij caderent à dominio rerum ſuarum, & alijs præterea pœnis afficerentur. Cur ita quòd putabant, & ſuam religionem veram, & dominia pendere à religione, cuius præceptum eſt primum inter præcepta iuris gentium, vt Pomponius Iuriſconſultus teſtatur, & hinc liquet, quòd religio prior fuit, quàm diſtinctio dominiorum, nam colebat Adamus religionem, priusquàm filios haberet. Conceſſeruntq. itaque cunctæ gentes à vera religione pendere ſingulorum dominia, ob id ab illa, quam ſuam putabant deſciſcentes, dominio rerum ſuarum ſpoliabant. Quare vaſtitates, ac ruinæ temporalium naſcuntur ob defectum religionis, ſapientiæ, & amicitiæ Dei, à quo ſunt, mouentur, conſeruantur, augentur cuncta, vt ipſum quantum fert eorum natura participent, & iccirco reducantur in ipſum, à quo omnis boni multiplicatio, & perpetuitas emanat. Thomas Bozius lib. 1. de ruinis gentium, & Regnorum. Ac in Gallia, & Germania miros tumultus obortos, multas coniurationes initas, multos exercitus profligatos, multas vrbes direptas, multa templa diruta, multum ſanguinem effuſum, multa inhumana perpetrata ob defectum religionis omnes non ignorant.

Non eadem iuſtitia, non eadem lex, non ijdem habitus, non eadem fortuna, non eadem arma, non eadem vitia, non eadem virtus, ſed eadem religio multas, ac diuerſas nationes vnit, vnde Catholici vnum ſolum Romanum Pontificem agnoſcunt. Tandem, vt plurima omittamus, quæ dici poſſent, concludemus cum Plutarco in Numa Pompilio populum ſine religione peſſum iturum, & eos, qui religionem contemnunt Motorem quendam Siculum, & Philoxenum Eryxidis filium ventris, & gulæ mancipia, quo cæteris conuiuij nauſeam facerent, & ſoli omnia fercula deuorarent, narium mucum ſolitos in catinis emungere imitari; grauiter enim in Eccleſiæ facultates inuehuntur, in ſacerdotum auaritiam, & flagitia ſpuunt, vt ſoli tēplorum auro potiantur, vt liberè Veneri ſacra faciant, & impunè voluptatibus ingurgitent ſeſe, inceſtamq. libidinem expleant. Eò ſpectat animorum acerbitas, qua in cœlibatus, & continentiæ vota debacchātur, ij præſertim, quos ſacerdotalis, & monaſticæ diſciplinæ faſtidiū inceſſerat; nam cum ardeant æſtu libidinum, & iureiurando cœlibi ſe vitæ deuouiſſent, quærunt cuneum, quo nodum illum ſoluant, & ſpeciem aliquam periuro, quo cœlibatus, & continentiæ iugum excutiant. Egregij veteratores præclara ſpecie, & prætextu Aeſopicam

animo

animo vulpem agitant, quæ cum abſciſſa caudæ pudore laboraret, in aliarum vulpium caudas inuehebatur eas, vt præciderent hortata, quo ſuum dedecus communi turpitudine velaret. Adamus Blacuodeus in apolog. pro regibus. His paucis, ſed ſalubribus de religione notatis, ad alia quædam accedamus.

Ciuitates propugnaculis, & vallis fulciat, & ſemper tempore pacis exercitum diſperſum alat; nam præterquam quod hæc militia pacis tempore ſummopere iuuat, quibuſcunque belli occaſionibus in promptu eſt, obedientiam ſubditorum conſeruat, tumultus impedit, vel obortos quieſcit, hoſtium inopinatos impetus reprimit. Singula certè aget, ſi quod iuſtum eſt erga omnes conſeruet, ex eo quod ſtatuat omnem cogitationem ſuam Deo notam eſſe, & in primis ſi cum timore Dei actiones ſuas incboet. amicos, & beneuolos retinebis, ſi viderint illi te magnam curam hăbere illorum cætuum, quibus præes. tu verò ita hoc facies, ſi conſiderabis quomodo Deus iuuet genus humanum, qui valetudinem ipſis alimenta, victum, & alia omnia præparat temporibus ſuis.

Mores in regia adminiſtratione neceſſarij ſunt, vt quis ſe ſeruet immunem ab omnium munerum corruptione, vt ſit ſobrius maiori vitæ tempore, vt iuſtitiam rebus omnibus præferat, & eius amatores amplectatur ſingulari beneuolentia, quia & Deus amat iuſtos. maximum autem in gubernatione eſt, vt ſubditi habeant perpetuā pacem, & celeriter conſequantur in iudicijs ſuum ius, quæ quidem tum fiunt, quando qui præeſt imperio eſt oſor improborum, & proborum amator, ac maximi facit hoc, vt animam hominis conſeruet. Ariſtæas in hiſt.

Sit famæ ſuæ curioſiſſimus, & requirat ad verum, quod quiſque de ſe dicat emendet, quæ benè reprehenſa videntur.

Ne noua moliatur, niſi prioribus firmatis, & rebus maximis obuius ſtatim eat; nam nullus cunctationi locus eſt in eo conſilio, quod non poteſt laudari niſi peractum Tac.

Temporibus ſapienter vtatur; nam puncto ſæpe temporis maximarum rerum momenta vertuntur. Liuius.

Non quotidie ſui copiam faciat, continuis enim aſpectus minus verendos magnos homines ipſa ſatietate facit.

Multos potentesq. non offendat; nam in Regno qui ſe læſos eſſe putant, diffidia concitant, & interitum, vel Regi, vel Reip. moliuntur, & non mediocre malum exiſtimandum eſt, cum multi de Regis iniuria queri meritò poſſunt.

Fieri quidem non poteſt, vt Princeps omnibus ex æquo ſatisfaciat, id tamen illi prouidendum eſt, quòad fieri poterit, ne quiſquam iuſtis

quere-

querelis vtatur; aliter enim neque ſuum officium faciet, & homines induſtrios, quorum opera plurimum iuuari potuiſſet alienabit.

Subditos otioſos eſſe nullo modo permittat; nam vtique pernicioſa, vbiq. negligentia, ac ſocordia eſt. Vtilis contra, atque fructuoſa cura, ac ſedulitas. Videmus immotam facem torpeſcere, ac tandem extingui, flammam recipere agitatam, lucemq. prabere alijs. Videmus etiam natura fertiles, atque vberes agros, niſi cultura diligens acceſſerit, aut exqualere, fructusq. nullos proferre, aut lappas tenaces producere, aut ſegnes procreare carduos, aut lolium infœlix gignere, aut auenas edere ſteriles. Videmus homini magni illius miraculi, & minoris mundi ingenium cariem quaſi atque ſenium otio contrahere, eodem corpus corrumpi, vtrumq. exarcitatione conſeruari, atque vires acquirere. Opulentiſſima Regna, Imperia potentiſſima, florentiſſimas Reſpublicas tam hoſtium vi euerſas, quàm ſocordia, ignauia, luxu perditas, deletasq. funditus legimus.

Ne populus Principem in aliqua re obſcœnum conſpiciat; nam hæc conditio Principum eſt, vt inquit Quintilianus decl. 6. vt quid quid faciant præcipere videantur, ac vitia non ſolum ipſi Principes concipiunt, ſed etiam in Ciuitates infundunt, plusq. exemplo, quàm peccato nocent. C. 3. de legib.

Non decet Principem in alijs audiendo, ſpectandoq., & vſu caterorum ſenſuum eſſe ſimilem, ſed tantum debet in ratione viuendi excellere, quantò eminentiorem fortuna illum conſtituit, ſemper, & vbique maieſtatis meminiſſe tanquam paſtorem, gregi præpoſitum, & vndecũque dictis, factisq. in melius proficere debet. A natura in puppi celſa collocatus ad gubernacula regat nauem, qua generis humani ſalus vehitur, non aliunde magis voluptatem capiendo, quàm a ſubditis per illum adiutis aliquo beneficio. Ab alijs enim alia exiguntur, vel priuatim, vel publicè; A Principe propriè expectantur bona conſilia, quorum executio proſit ſubiectis populis, vtq. larga manu, ac mente ſua bona impartiatur, his tantum exceptis, quæ ob incertos caſus ſeruari prouidentia poſtulat. Philo iud. de leg. ad Caium.

De quacunque re perturbationem fugiat; nam quemadmodum, qui ſecatur, aut vritur præ doloris magnitudine non poteſt ab eo, quòd ſit cogitationem auertere, ità qui perturbatione aliqua torquetur, non poteſt inde cogitationem auocare, perturbatio enim rationem ad ſe totam rapit, & in naturam propriam conuertit. Nilus in lib. aſcetico.

Clementiæ ſtudeant, parcant afflictis, non ſolum hoſtibus; verum etiam animum vincant, iracundiam cohibeant, affectus doment, imperent cupiditatibus. A natura odio ſæuitiam proſequimur, deteſtamur

mur crudelitatem, quare ipſi dent ſalutem, non adimant, defendant, non oppugnent, conſeruent homines, non perdant. Vitam eripere facilè eſt, & cuiusuis, at ereptam ſemel reſtituere, non ità procliue eſſe nouimus. Exempla Principes tenent eorum, qui pœnæ nimis acris, atque præproperè pœnituiſſe ſæpè in hiſtorijs ſciunt.

Graue, minimèq. laudandum videtur præſtitæ antea fidei, atque obedientiæ omnem ex animo memoriam abijcere, tam in innocentes, quàm nocentes animaduertere, repudiare prorſus eos, qui humiliter ſe ſe ſubmiſſèq. gerant, qui errata ſua agnoſcunt, qui ſupplices ad clementiam Principum confugiunt, & vt ſibi ignoſcatur, orant. Vlricus Frieduuirtim in oratione de animaduerſione, & pœnis.

Onus Imperij per ſe graue, lene reddit manſuetudo, atque clementia, quæ firmam cuſtodiam præſtat omni, & vitæ, & regni omittendi metu, atque ſollicitudine liberat, in qua ſubditorum fide, atque beneuolentia deſtitutum quouis momento verſari neceſſe eſt. Vt enim celſis montium iugis, vt altis turrium apicibus, vt ſublimibus ædiũ culminibus, horrenda fulgorum vis magis, quàm tuguriolis minatur; ita & in dignitate aliqua conſtitutis viris plura, maioraq. ſemper, quàm priuatis pericula metuenda, quibus niſi ſubditorum fide, & amore occurri nullo modo poteſt. Gaſpar Benedictus in orat. pro clem. & manſuetud.

Cum Reip. anima ſit Princeps, Principis verò corpus Reſp. non minus is profectò eam fouere, ac ſuum corpus debet. Quòd ita demũ rectè perficiet ſi operam dabit ſedulò, ac diligenter, vt Reſp. opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, virtute honeſta, omni denique rerũ copia ſit fœlix, ac beata. Nicolaus Reuſtrerus Imp. Sym. 3. claſ. 1.

Quinque ob cauſis, magis pij eſſe debent Principes ſubditis ſuis, quos regunt; primo, quod plura ad peccandum habeant incitamenta, & occaſiones, ac ſciant ſe ab hominibus non facile, ſed immediatè à Deo punitum iri. Secundo, quod plura poſſunt amittere, quam ſubditi. Tertio, quod hi illorum exemplo doceantur. Quarto, quod Deo maiorem rationem cæteris ſint reddituri. Quinto, quod fauor fœlicitas, vel infortunia ac mala à nemine ipſis effulgeant, quam ab ipſo præpotenti, & iuſto Deo. Antonius de Gueuara in horologio Principum ex emendatis.

Abſit, vt peſtis à Principe auaritia; nam amor pecuniæ, vt fera quædam, ac crudelis domina, corda poſſidet, & tyrannica dominatione deuincit. Sæuit, vt barbarus, ferues crudeliter, vt Tyrannus debacchatur impudenter, vt meretrix nuſquam miſeretur, nuſquã pudet. Chryſ. hom. quod nemo læditur, niſi à ſeipſo, & ſubditi Principes auaros odiſſe conſueuerunt.

Con-

Conſiliarios non ſolum rerum, hominumq. peritos, ſed & eos diligat, qui graues, fide conſtantes ſint, qui non ſapere ſeſe ſolos, cæteros quaſi vmbras volitare exiſtiment, qui non habendi cupiditate flagrent, qui non ambitione, rixis, iurgijs cæteros magis turbent, & dubios, atque incertos reddant, quàm erudiant, erigant, confirment eos, a quibus in conſilium adhibentur. quidam in oratione de quatuor virtutibus.

In omnibus rebus non ſolum prudentes ſint, ſed etiam prudenter agant; ſi verò deſiderant eſſe prudentes, non debent vanitatibus intendere, ſed maiorem partem vitæ ſuæ debent expendere in cogitando, quæ poſſunt eſſe ſuo regno proficua, quod ſic non intelligendum eſt, vt nullas recreationes corporales habere debeant, ſed debent eis adeò moderatè vti, vt non impediantur in regimine Regni ſui. Seipſos ergo poterunt prudentes facere, vt naturaliter Regnum regant, excogitando primo tempora retroacta, ſub quibus temporibus regnum melius regebatur, propter quod habeant memoriam præteritorum, ex quibus ſcire poterunt, quid agendum ſit in futurum. Nam ſemper debet ſuum regimen conformare regimini retroacto, ſub quo Regnũ tutius, & melius regebatur. Nam ſicut in ſpeculando, & cogitando, quæ antiqui Philoſophi conſcripſerunt, ſumus ſapientiores in ſpeculabilibus, ſic Reges, & Principes cogitando acta ſuorum prædeceſſorum, fiunt magis prudentes in agibilibus. Secundo debent diligenter intueri futura bona, quæ poſſunt eſſe proficua Regno, & mala, quæ poſſunt eſſe nociua. Nam ex hoc habebunt prouidentiam futurorum, vt poſſint mala expeditius vitare, & bona facilius adipiſci. Tertio debent ſæpe recogitare bonas conſuetudines, & bonas leges; nam talia ſunt maximè principia agibilium, ſicut intellectus principiorũ eſt. Quarto ſæpe ſæpius excogitare debent, quomodo per eiuſmodi bonas leges, & conſuetudines debitè Regnum regãt, eliciendo ex eis debitas concluſiones agibilium. Quare oportet ipſum eſſe memorem, prouidum, intelligentem, rationabilem, ſolertem, docilem, expertum, & cautum, præterea quatuor conſiderare, videlicet bona ad quæ dirigit, modum per quem dirigit, perſonam dirigentem, & gentem quam dirigit.

Non decet Regem in omnibus ſequi caput ſuum, nec inniti ſemper ſolertiæ propriæ, ſed oportet ipſum eſſe docilem, vt ſit habilis ad capeſſendam doctrinam aliorum, acquieſcendo doctrinis, & conſilijs baronum ſeniorum ſapientium, & diligentium regnum. Aegid. de reg. Princ. cap. 9. & 10.

Ordinem in Rep. ſeruet, ordo autem hoc in primis requirit, vt ſuo quidq. loco ſtatuatur, vt Deo ſuus cultus, Principi ſua obedientia,

legibus

legibus ſua autoritas, æquabilis omnibus iuſtitiæ adminiſtratio, Eccleſiaſticis ſua dignitas, nobilibus ſuus honor, plebeis, & infimis ſuæ immunitates, delinquentibus pœnæ, benemerentibus præmia, ipſi denique Reip. amplitudini, quod ſuum eſt tribuatur. Dydimus Veridicus in apologia pro Rege Cathol. Phil. II.

Viliſſimis hominibus ſummos honores, rapaciſſimis magnas opes, truculentiſſimis ſummam potentiam, otioſis honorificos titulos, laſciuis, & vnguentum redolentibus, publica munera, aleatoribus, & ganeonibus magna auri pondera, velut Tyrannus non diſtribuat; qui ex altera parte veram virtutem colentibus, ingenuas artes ſectantibus, ſtrenuam operam in re bellica nauantibus, nihil præter verba illuſoria indulget; nam hoc modo faciet, vt præſtantiora ingenia, quæ honoris cupiditate ducta nullis laboribus, periculis, ſumptibus parcant, aliquid Principi, vt ſua gratum faciant mercede deſtituti, & inopia ſimul, & mœrore tabeſcant.

Filius Principis in minoribus ſe exerceat prius, vt maioribus deinde præeſſe poſſit. Reges enim cognominantur paſtores populorum, non contumeliæ, ſed honoris gratia. Imò quantum ego intelligo, non iuxta vulgarem opinionem, ſed rei veritatem veſtigans (rideat, qui volet) ſolus poteſt eſſe Rex vndequaque perfectus, qui bene callet artem paſtoritiam, & curando minora animalia didicit, quomodo debeat præeſſe præſtantioribus. Philo Iud. lib. 1. de vita Moſes.

Eſt poteſtatis ſummæ officium eligere aliquot adminiſtrationis, reddendiq. iuris ſocios. Vnus enim non ſufficit, quantumuis alacris, fortisq. corpore ſimul, atque animo in tanta mole negotiorum, ac multitudine quotidie alijs affluentibus; ſuper alia proinde aſſumendi ſunt optimates ſelecti, ſpectata prudentiæ, fortitudinis, iuſtitiæ, pietatisq. incorrupti, & ante omnia infenſi ſuperbiæ; nam huiuſmodi viri maximè idonei ſunt ad ſubleuandum ope ſua, bonum, honeſtumq. Principem. Præterea cum aliquando res magnæ, aliquando minores tractandæ ſint, ne in exiguis conterat operam Princeps, ſub præfectis eas delegabit; maiores verò ipſe examinabit diligentiſſimè; maiora dico negotia, non vt quidem exiſtimant controuerſias, quæ inter claros diuites, potentesq. incidunt, ſed quoties priuati, egeni, obſcuri premuntur a potentioribus, cum nulla præſidij ſpes ſit, niſi in Iudice. Quæ dico patent exemplis ſacræ Scripturæ, a quibus non decet diſcedere, fuit enim aliquando tempus, cum ſolus Moſes præſidebat iudicijs occupatus, & laborans a mane vſque ad veſperam, tum ſocer eius ſuperueniens, & animaduertens, quanta mole premeretur, confluente ad ipſius tribunal multitudine optimè conſuluit, vt Vicarios eligeret, qui minora tractent negotia, ipſe verò maiora curet inter quie-

ſcens nonnihil. Id conſilio adeò placuit, vt mox probatiſſimus quiſq. delectus ſit in ordinem iudicum, reſeruatis propheta grauioribus cõtrouerſiys. Delatum eſt etiam hoc in ſacra volumina, vt haberent, quod imitentur poſterorum Principes, primum, ne aſpernentur Conſiliarios, quaſi poſſint ipſi deſpicere omnia, cum ne Moſes quidẽ aſpernatus ſit amicus Dei ſapientiſſimus, deinde vt ſibi Vicarios ſecundæ, tertiæq. note ſubſtituant, ne ſolicitudinem impendendo rebus vilioribus, negligant maiora negotia. Impoſſibile eſt enim vnum hominem obire omnia munia. Diximus magnas cauſas eſſe perſonarum humilium, vt ſunt viduæ, pupilli, aduenæ. His debet ſuum ius ſummus Princeps reddere, qui poteſtatem habet nemini obnoxiam, quandoquidem autori Moſi credimus, ne Deum quidem rerum omnium Regem grauatur cauſas talium cognoſcere; ſic enim Vates laudat eius virtutes dicens, Deus magnus, fortisq., qui nullius perſonam reſpicit, qui ſine corruptelis iudicat. Philo Iud. de creatione Principis.

Et equidem Deus contrarium ægrè fert, nam in ſacra Scriptura Principibus præcipit, vt viduarum, ac pupillorum, maximam curam habeant. Exo. 22. 21. Viduæ, & pupillo non nocebitis, ſi læſeritis eos vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum. cap. 27. 19. maledictus, qui peruertit iudicium aduenæ, pupilli, & viduæ, & dicet omnis populus, Amen. Eſaiæ 123. Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. Matth. 23. 14. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hyppocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium. Malac. 3. 5. Et accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficiys, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.

Principi ſi ſe dignum titulis præſtare velit, danda eſt opera, vt ad diligendos miniſtros ſui principatus ſummam perſpicaciam, & optimam in delectu aliorum in omni genere miniſtrorum adhibeat. Præuidendum enim illi eſt, quam multi ambitioni ſuæ, vel auaritiæ, vel aliæ prauæ affectioni, potiuſquàm ſuo muneri ſeruiant. Hæc autem perſpicacia a Deo, ſummis votis eſt illi expoſcenda.

Principi comparandos eſſe primum amicos, ita quidem, vt prima cura ſit eos diligendi, quos & conſiliarios habere poſſit. Cauendum ei ab ijs eſt, qui blandientes, & vt vulgo dicitur palpum obtrudentes, ſatis ipſum ſapere dicant, ideoq. conſiliarijs indigere negent.

Amici Principi neceſſarij ſunt, quare magno in eorum delectu eſt opus

opus iudicio . Nihil æquè in ijs eſſe requirendum a Princ ipe, ac iſta duo, vt honeſta, libera, & veraces eorum ſint linguæ . quidam .

Principi videndum,ne in eius amicitiam irrepant, qui quum amicorum nomen ſibi tribuant,ſunt tamen adulatores, ſeu aſſentatores .

Cautè ſe gerere debeat in aperiendis ſuis arcanis, vel ijs, qui ſunt a ſecretis, vel alijs, & licet viros quibus cuncta arcana te committere poſſis eſſe nactum arbitreris, in hac autem parte te cautiſſimè geras, caueasq. ne quid detegas, quo conſcio, ille quisq. ſit te obnoxium reddat, nam Principi grauius nihil eſſe poteſt .

Reip. expedit, vt aliquando Princeps tribunal non dedignetur, ſed in eo, & ipſe ius aliquando reddat; magna enim corruptelæ forenſis pars poteſt illorum præſentia tolli .

Suis oſtendat, ſe a litigioſis ingenijs abhorrere, & mulctare velle, qui temerè litigant, ſeq. dare operam velle, vt lites breuiori temporis ſpatio finiantur . quidam .

Non robori, non potentiæ, non diuitijs fidat, nam ſi cor Regis in manu Dei eſt, non ſeruatur armorum robore, ſed diuino adminiculo, ac ductu. Aug. prou. 21.

Optimum Principem decet, in ſuis quidem peccatis eſſe acerbum Iudicem, & minimè ignoſcentem, at in erratis ſubiectorum placidum, & ad ignoſcendum facilem . Damaſcenus.

Corporis tui cuſtodiam, tutiſſimam exiſtima eſſe amicorum virtutem, & aliarum Rerump. beneuolentiam, tuamq. ipſius prudentiã; his enim rebus, & conſeruari, & parari regna maximè poſſunt. Iſocrates.

Regem benefungentem ſuo munere decet iuſtum, & magnanimũ, & veracem, & liberalem in largiendo eſſe, atque quauis cupiditate maiorem, ſupplicia leuiora delicto, gratiam autem beneficio maiorum referre tum ſubiectis, tum amicis . Diodor.

Præcipuum Regis optimi munus eſt pauperes tueri, & Rex qui iudicat in veritate pauperes, thronus eius formabitur in æternum . è contra Deus in eos acerbè animaduertet, qui perſonam pauperis accipiunt, iuxta illa Prou. 22. non facias violentiam pauperi, quia pauper eſt, neque conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus cauſam eius, & configet eos, qui confixerunt animas eius . Amo. 2. 6. ſuper tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quattuor non conuertam eum pro eo, quod vendiderit pro argento iuſtum, & pauperem pro calceamentis 4. 3. Audite verbum hoc, vaccæ pingues, qui eſtis in monte Samariæ, qui calumniam facitis egenis, & confunditis pauperes . Quæ dicitis dominis veſtris afferte, & bibemus . iurauit Dominus Deus in ſancto ſuo, quia ecce dies venient ſuper vos .

Subditos, nec deſperatos, nec malè contentos habeas; vtrique enim, ſed diuerſimodè nocent, illi enim nihil niſi ſtatus mutationem cogitãt, eamque, vel ſub periculo accerſunt; hi, formam etſi imperandi non probent, & nouas res deſiderent, occaſiones tamen mutationum minimè attrahunt, verum donec vltro ſe offerant, expectant.

Decet Principes ſubditos anteire non dolo, & otio, ſed prouidentia, & induſtria. Xenoph. lib. 1. de pædia Cyri.

Non ſe bonum præſtare dumtaxat, verumetiam pro ſubditis diligentiam gerere, & quàm optimi ſint futuri. lib. 2. de pædia Cyri.

Bonus Princeps nihilo differt a bono patre, nam & parentes filijs prouident, vt bona his nunquam ſit defutura. lib. 8. de pædia Cyri.

Iure in alios imperium geret, ſi operam dabit, vt ſubditis declaret ſe omnium eſſe virtute ornatiſſimum; Cyrus enim rectè exiſtimabat neminem imperare decere, qui melior ſubditis non eſſet. Lib. 8. de pæd. Cyri.

Non conuenit Principi cum priuatis decertare, qui ſi vicerit, tantum abeſt, vt ſit admirationi, vt magis ſibi conflet inuidiam, vt qui ex multorum domibus faciat impendia. Cæterùm ſi victus fuerit omnium maximè deridetur. ibidem.

Semper aſſiduus ſit, & quemadmodum, qui ſcalas conſcendere cœperint, non prius deſiſtunt ab aſcenſu, quàm ſupremum attigerint gradum, ſic & ille, in bonis ſemper altius ſcandendo affectus ſit. Agapetus.

Poteſtatem da prudentibus liberè dicendi ſententiam, vt ſi quibus de rebus dubitas, præſtò ſint, qui illas vna tecum examinent.

Diſcerne eos, qui arte aſſentantur ab illis, qui te ex beneuolentia colunt, ne improbi melioris conditionis ſint, quàm boni viri. Iſocrates.

Quidquid aggreſſurus es, eius initium primò, tum quid deinceps ſequatur, conſidera, atque ita rem aggrediare; Id ſi non feceris, nunquam ipſam promptè aggredieris, nihil eorum cogitans, quæ futura ſunt, poſtmodum verò cum quadam apparebunt turpia, pudore afficieris. Epictetus.

Principes tales præſtare debent ſeipſos, quales videri volunt, & veritate, iuſtitia, magnificentia præſtare debent, & prudentia tantùm alios ſuperare, quantùm viri pueros. Plato epiſt. 3. ad Dionyſium.

Principes ſapienter honorent ſapientes, libenter principibus conſulant, morale præceptum eſt apud Platonem, nam ſapientia ſine potentia paucis prodeſt, & potentia, remota ſapientia obeſt multis, & quò maior, eò pernicioſior. Marſil. Ficinus in epiſt. 2. Plat.

Non

Non omnia voluntate ſua exequatur, nam Principibus nihil infœlicius eſt, quàm velle agere quæcumque poſſunt. Franc. Patritius lib. 2. de regno. cap. 1. quamobrem.

Nec ſibi, nec vni ſeipſum credere debet, ſed plures conſultores habere, & admodum ſenes, quos experientia rerum diuturna docuerit, quorum mores conſtantiſſima fama commendet, ac Reſpublica ipſa manifeſtiſſimè probet. Marſilius Ficinus in Plat. de leg. dialog. 4.

Indolem populi mutare non licet, at ſi fortaſſe expediret, non ſubitò eſt faciendum, Tiberij exemplo. Qui enim ſtatim conantur fingere mores populi, eiusq. indolem mutare, rem ij tentant, neque facilem, neque tutam, ad quam præterea, & temporis multum, & magna requiratur potentia. Sed quemadmodum vinum, initio bibentis ingenio obſequitur, dum ſenſim calorem diffundens, ac corporis temperiem occupans, bibentem iam mutet, moresq. eius fingat, ita qui ad Rempublicam ſe contulit, is donec gloria ſua, fidesq. vim ſibi ad ducendos populi animos ſufficiet, conciliet interim ſe eorum, quos ſubiectos habet, moribus accomodare, eosq. ſibi ad ſequendum propoſitos habere debet, non ignarus eorum, quibus ij gaudent, quibusq. duci ſolent. Plutar. de Reip. geren. pracep.

Vera Principis ars, eſt homines agnoſcere: multa enim ingenia ſocordia videntur, quæ callida ſunt: multa honore digna, ſed tam modeſta, vt parum effugiant, ne digna videātur, multorum fama peruagatur, quæ reuera non eſt, ſicut è contra. De Agricola in Tacito legitur, vt plerique quibus magnos viros, per ambitionem extimare mos eſt, viſo, aſpectoq. agricola quererent famam, pauci interpretarentur. Multi etiam ſub ſpecie virtutum, vitia eius ſimillima obtegunt. Multi in negotijs publicis gerendis excellentes, in familiaribus autem infœlices, ſicut & è contra. Quare ſubditorum ingenium notum Principi eſſe debet.

Patres filijs aliquem virum ſenem, & in multis expertum, grauem, maturum, & autoritate pollentem, amicum, & conſultorem, & ferè ſocium relinquere deberent. Principes enim cùm non habeant, quem obſeruantia aliqua proſequantur, malam poſsunt ſortiri fortunam, vt Nero, qui matre interfecta, ſe in omnes libidines effudit, quas malè coercitas, qualiſcunque matris reuerentia tardauerat; & Tiberius interfecto Seiano, in ſcelera ſimul, ac dedecora prorupit, poſtquàm remoto pudore, & metu ſuo tantum ingenio vtebatur. Et Cato optimè exiſtimabat Carthaginem delendam non eſſe, ne metu ablato æmulæ vrbis, luxuriari fœlicitas vrbis inciperet.

Principes eos imitentur, qui certè elaborarunt, vt digni eſſent Im-

perio, non autem eos, qui curant magis, vt imperent, quàm vt Imperio digni ſint .

Princeps debet aſſimilari igni, quæ enim in phyſica de igne tractātur, ad Principem rectè accommodantur, igne excepto, omnia putreſcunt, ignis ſegregat ea, quæ non ſunt eiuſdem generis, & congregat ea, quæ ſunt eiuſdem generis, & congregatio eſt per ſe, diſgregatio per accidens, talis & debet eſſe Princeps, qui in vitijs putreſcere non debet, ſubiectos in pace congregare, diſcolos per accidens ſeparare; ignis in tenebris viſitur, non quia ignis, & calor, ſed vt participat quodāmodo quinti elementi, ſeu ætheris incorrupti. Talis Princeps eſſe debet, & lucere, & regere non ex calore iracundiæ, aut crudelitatis, quæ in igne eſt dominari, ſed vt particeps poteſtatis quinti, & ſupremi ætheris incorrupti. Tholoſ. de Rep. lib. 6. cap. 20.

* *Sapientes exiſtima non eos, qui de rebus minutis curioſè rixantur, ſed, qui de maximis rebus egregiè dicunt; nec eos, qui alijs fœlicitatem pollicentur, cum ipſi multarum rerum inopia laborent; ſed eos, qui etſi mediocria de ſe profitentur, tamen & negotia dexterè obire, & inter homines verſari commodè poſſunt, nec in vita mutationibus perturbantur, ſed pulchrè, moderatèq. ferre tam ſecundas res, quàm aduerſas didicerunt. Iſocrates.*

Principes aſſimilari debent humeris, ſecundum illud, factus eſt principatus ſuper humerum eius.

Primo humeri ſunt ad ſpiritualium membrorum defenſionem, vnde humeri ſunt ex varijs oſſibus compoſiti, quorum præcipua duæ ſpatula dicuntur, & fuerunt neceſſaria hæc oſſa, vt pectus, & coſtas defenderent, ne a poſteriori læſionem acciperent, & in illis duabus ſpatulis, ſunt duæ concauitates, quæ vocantur oculi, vnde vocantur ſpatulæ oculorum, quod nomen ex officio aſſumpſerunt; nam ſicut oculi totius anterioris corporis ſunt defenſores, ne ab aliquo lædatur, ſic iſti a poſteriori pectus, ac coſtas defendunt. Principes ergo ad modum humerorum ſpiritualium, & religioſorum virorum, præcipuè debēt eſſe patroni, & defenſores, ne ab aliquo lædantur, & debent conſtare ex varijs oſſibus, ideſt fulciri varijs virtutibus, ſed præcipuè iuſtitia, & clementia debent vigere, in eis quaſi duæ ſpatulæ in humeris, vna ad dexteram, ſcilicet iuſtitia, altera ad ſiniſtram, ſcilicet clementia; & hæ habent duos oculos, quia iuſtitia reſpicit culpam, clementia verò naturam, & iſtis virtutibus Principes firmati ſunt validi, & potentes ad ſubditorum defenſionem ſecundum illud Prou. 20. Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius. Pſal. 138. Nimis confortatus eſt principatus eorum.

Secundo humeri ſunt ad brachiorum, & coſtarum pectoris defenſionem,

ſionem , & oſſium concatenationem , vnde duæ ſpatulæ habent retrò duo acumina, per quæ eadem ſpatula furculæ eſt connexa, ne a ſuperiori totum ſuum exeat . Interius verò ad hoc nomen,ponit alterum, ne ſubtus exiret acumen armorum, furculæ autem adhoc fuerunt neceſſaria, vt armos ligarent, & a pectore differre facerent , quorum oſſa ſunt rotunda exterius , interius verò concaua , & eum teneritudine pectoris ante colligata , retrò verò cornu roſtro , & ſunt eorum ligamenta, oſſa cartilaginoſa, quæ vocantur ſpatularum capita ; ad hoc tamen poſita, vt facerent concatenationem armorum, ſiue humerorum . Principes ergo ad modum humerorum,adhoc ſtudere debent, vt brachia, ideſt viros artifices, & laborantes, & coſtas pectoris, ideſt mulieres, quia mulier ex coſta viri formata eſt, & oſſa , ideſt maiores,& fortiores adinuicem concatenata teneāt, ſcilicet in catena pacis , & veritatis .

Tertio,humeri ſunt ad oſſium ſpondilyum, & colli ſupportationem, oſſa autem colli , vel ſpondilyum ſunt prælati , ac clerici , & viri eccleſiaſtici,qui ſunt medij inter Deum, & populum ; ſicut collum inter caput, & corpus , quos Principes ſeculares non opprimere , neque perſequi debent, ſed benignè ſupportare, & reuereri .

Quarto, quia humeri ſunt ad ponderum diuerſorum ſupportationem, licet enim poſt caput, & collum alijs membris ſupereemineant , omnium tamen onera portant, & pro aliorum offenſa , ſæpè ſpatulæ verberantur, ſic quamquàm ſeculares Principes,poſt caput Eccleſiæ, quod eſt Papa , & collum , ideſt prælatos eccleſiaſticos ipſis ſecularibus, & temporalibus principentur , tamen pro omnibus ſibi ſubditis debent vtilitèr laborare, & pro eis tuendis,& regendis onera laboris, & expenſarum portare, ipſi etiam pro ſuis ſubiectis habent Deo reſpondere, & frequenter ab eo pro ipſis flagellantur . Ioannes a ſancto Geminiano in ſum.de exempl. lib.6. de homine, & membris eius cap. 56. tandem,vt multa miſſa faciamus,ætas enim nobis deficeret,ſi omnia, quæ autores de Principe tractant,ſcribere vellemus, debet Princeps imitari magnum Stephanum Poloniæ Regem , qui , vt refert Bonifatius Vannotius in Miſcellaneis epiſt. fuit

In templo pluſquàm Sacerdos .
In Rep. pluſquàm Rex .
In ſententia dicenda, pluſquàm Senator .
In iudicio,pluſquàm Iuriſconſultus .
In exercitu, pluſquàm Imperator .
In acie, pluſquàm Miles .
In aduerſis perferendis,iniurijſq. cōdonandis, pluſquàm vir.
In publica libertate tuenda, pluſquàm Ciuis.

In amicitia colenda, pluſquàm Amicus.
In conuictu, pluſquàm familiaris.
In venatione, feriſq. domandis, pluſquàm Leo.
In tota reliqua vita, pluſquàm Philoſophus.

Explicato iure ſtatus, & ijs, quæ ad ius ſtatus pertinent, videndum eſt nunc de iure belli.

An ius Status, a iure belli differat.

DIcendum ius belli, a iure ſtatus non eſſe diſtinctum; ſed ſub illo contineri; nam eadem notitia ex pluribus habitibus conſtata, quæ eſt ius ſtatus, eadem eſt ius, & ratio belli; ſi militiæ applicetur; cum ius ſtatus in ſuo totali eſſe ſine iure, & ratione belli exiſtere non poſſit; ſicut nec corpus ſine anima. Verum quidem eſt, vnum ſine alio exerceri poſſe, cum non ſemper ad bellum Princeps deueniat. Sed ſicut homo enſem fert, at non ſemper eo vtitur, niſi occaſione oblata, & iuſta de cauſa ſe defendat, vel noceat, ſic ius belli Princeps ſcit, vel ſcire debet, vt eo opportuno tempore vtatur, vel vti poſſit; nã vt inquit Imperator, Imperatoriam maieſtatem non ſolum armis decoratam; ſed etiam legibus oportet eſſe armatam, vt vtrunque tempus bellorum, & pacis rectè poſſit gubernari.

Differt autem, vt in ſuperiori quæſtione dicebamus ius belli, & ratio belli, nam hæc ipſam belli actualem adminiſtrationẽ ſignificat, illud autem iuſtitiam, ipſumq. belli apparatum præſefert. Multa enim Principem bella ſuſcepturum animaduertere oportet, an bellum ſit illicitum, an habeat conditiones ad illud requiſitas, quæ ſunt autoritas indicentis bellum, cauſa iuſta, & intentio recta; legitima autoritas indicendi eſt ſolum penes Remp. perfectam, ideſt penes magiſtratum, a quo illa gubernatur, ſiue is ſit vnus aliquis Princeps, ſiue Senatus aliquis optimatum, pro ratione regiminis cuiuſque Reipub.; cauſa iuſta debet contineri aliqua iniuria, quæ per bellum iuſte vindicanda, & compenſanda ſit; recta intentio debet eſſe hæc, vt ſcilicet ſuſcipiatur ſtudio boni communis, & pacis, & non ob alios ſiniſtros fines, vt dicit Aug.lib.22. contra Fauſtum, & Theolog. At quia ſuperiùs multa, quæ ad pacem pertinent diximus, non ab re erit, hic multa ad bellum ſpectantia enarrare, ab vniuerſalibus enim ad ſingularia facilius deuenitur. Quare Princeps.

Niſi neceſſitate coactus bellum non ſuſcipiat; nam Deus diſſipat gentes, quæ bella volunt. Phal.67. & bello iuſto Deus fouet, & illud bellum eſt iuſtum, quod pro defenſione patriæ, non pro commoditate

tate dominandi geritur. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. Dei.

Cautè conſultet, omnia ponderet, & Regem Hiſpaniarum Philip. II. imitetur, qui, vt aſſerit Hieronymus Conneſtagius in hiſt. de vnione Regnorum Luſitaniæ, & Caſtellæ, in bello aduerſus Luſitanos, anxius, & ſcrupuloſus fuit Regis optimi animus, adeò vt rei examinandæ nullum ferè modum, aut finem fecerit; cæterorũq. omnium iudicio doctiſſimorum hominum, prius ſatisfactum fuerit de illius cauſæ iuſtitia, quàm vnius Regis conſcientia ſatisfieri potuerit, & deinde Regno potitus, quàm amanter, quàm piè, quàm paternè gentem illam vniuerſam complexus ſit, quantisq. eos beneficijs, & amoris ſui, & fiduciæ, ornauerit, vniuerſi mundi oculis perſpicitur, vt inquit Andreas Philopatrus in reſponſ. ad edictum Reginæ Angliæ ſect. 2.

Cum potentioribus, & fœlicibus bellum non gerat; vt cum Rege Hiſpaniarũ, nam ei fortaſſe Deus mundi dominiũ deſtinauit. ſi enim conſideraueris poſt mundi creationem, nullum dominiũ amplius Hiſpanò extitiſſe, obſtupeſces. Aſſyrij orientalem Indiam occupauerunt, & minorem Aſiam; Ilium huius Imperij particula fuit. Medi. 127. prouincias habuerunt, ſucceſſere Perſæ, qui etiam Africæ partem tenuerunt. Alex. Mag. Macedoniam ad Indiam vſque, & nonnullas Europæ nationes in ditionem habuit. Romani has ſuperauere Monarchias, Turca in multa quidem Regna dominatur, ſed eius dominium Alex. Magn. potentiam non excedit. At Hiſpanum Imperiũ tam magnum, tam admirabile eſt, vt vix credi poſſit, & fabulà coſmographiæ ignaris videatur. In Europa multorum Regnorum potitur. In Africa ab occidente, vſque ad meridiem 40. Regna, ferè omnes Aſiæ meridionalis inſulæ in eius ditione ſunt. Et in hac parte centum poſſidet Regna a d. Laurentij inſula, vſque ad Iapponem incipiens; nouus orbis terrarum ſine vlla contentione totus eius eſt, denique ipſe habet, quod nemo habuit nempe continuũ ſolem, qui diu, noctuq. in Hiſpana ditione luceſcit. Sed de hoc imperio infra.

Neque dicas Turcam ad mundi Imperium aſpirare. Nam Roma, & Cartago potentia pares inter ſe certarunt, vtra natio ius gentibus daret, ac Romanis, vt melioribus, ac fœlicibus ceſſit. Et potentia, occaſio, accidentia, conſilium, ac paſſiones, quæ ſunt acquirendorum dominiorum cauſæ, ipſis ſolummodo ſunt Hiſpanis notæ, fortuna quadam altiori duce, ideſt Deo ipſis fauente, & omnia iuxta ſuam voluntatem diſponente. Prima monarchia Aſſyriorum fuit, quæ annis 123. durauit. Secunda Medorum, quæ 300. minus octo. Tertia Perſarum, quæ annis 230. & menſibus quinque. Quarta Macedonum, quæ 153. menſes octo durauit. Deinde ſucceſſerunt Romani,

qui

qui diutius imperium mundi tenuere. In præſentia Hiſpanorum monarchia eſt; quæ fortaſſè vſque ad finem mundi durabit; eſt Regina Gentium, ita eſt viciſſitudo omnium rerum, vt quæ olim Italiæ parebat, nunc maiori parti leges det, quam autores cæleſtem vocarunt, & Reginam mundi, & rerum dominam, vt Rutilius gentium dominam, Mamertinus beatiſſimam totius Europæ. Dion. Roſæus, totius orbis optimam. lib. 1. Alicarnaſſ. omnium præſtantiſſimam, quàm Plinius, Polybius 2. Varro de re ruſtica 1. c. 2. Strabo ſub finem lib. 6. Virgilius varijs in locis maximis laudibus extollunt, nunc ferè ſeruam videmus.

Hæ laudes ad Hiſpaniam referi poſſunt, cui maxima regna ſunt deſtinata, non autem Turcæ, vt nonnulli putauere, nam ad tempus Turcæ promiſſum eſt Regnum, quia manus eius contra multos per aliquod tempus. Deinde manus omnium contra eum.

Si Dei voluntate bellum inter homines quandoq. concitatur, decet ſub initium illis totis incumbere viribus, inde eò peracto ſi poſſibile eſt, quàm celerrimè ſoluere. Xenoph. lib. 6. de reb. Græc. ac ad perfectionem redactum, non deberet renouare, ſi id fieri poteſt. Nam vt grauius ægrotant hi, qui cum leuati morbo videntur, in eum de integro inciderunt, ſic vehementius nos laboramus, qui profligato bello, ac penè ſublato, renouatum bellum gerere conamur. Cic. lib. 12. epiſt. ad Cornific.

Sciat belli maximam aleam eſſe, & aliquando victorem depauperari.

Sine cauſa, ſolummodo gloriæ deſiderio flagrans, bellum nullo modo gerat, iactantiſſimi enim ingenij eſt dicebat Cæſar Aug. ardore triumphandi, & ob lauream coronam, ideſt folia infructuoſa, in diſcrimen per incertos euentus certaminum, ſecuritatem Ciuium præcipitare. Neque Imperatori bono quicquam minùs, quàm temeritatem congruere, ſatis celeritèr fieri, quicquid commodè gereretur. Armaq. niſi maioris emolumenti cauſa, nequaquam mouenda eſſe, ne compendio tenui, iactura graui petita victoria, ſimilis ſit hamo aureo piſcantibus, cuius abrupti, amiſſiq. detrimentum nullo capturæ loco penſari poteſt. Sextus Aurelius Victor in vitis Imperatorum.

Omne bellum ſumitur facile, cæterum ægerrimè deſinit, nec in eiuſdem poteſtate initium, & finis eſt. Et quantumuis opibus tuis confidas, non debes certa pro incertis mutare. Salluſtius in Iugur. & bello inſtituto neceſſarium eſt Principē malè audire, & culpari ob damna. Thuc. 5. nam bellorum conditio iniquiſſima eſt, proſpera omnes ſibi vindicant, aduerſa vni imputantur, quare maturè bellum eſt conſiderandum. Tac. in Agric.

In ni-

In neceſſitate bellum ſolummodò ſuſcipiat, diuini ſubſidij ſpe fretus, & cauſæ æquitate nixus, fortitudinis, & conſtantiæ armis prius pectus ſuum muniat, vt quidquid bello gerendo, vtile viſum fuerit, id acritèr, ac ſtrenuè faciat. Adamus Kellerius lib. 11. cap. 30. de off. iurid. polit.

Cum imminet hoſtis externus, operæpretium eſt, bene perpendere, & prudenter intelligere, an fœdus pangendum cum hoſte, an vero ſint arma ſumenda, & vtra pars fortior ſit, iuxta conſilium Chriſti dicentis. Luc. 14. Rex iturus committere bellum aduerſus alium Regem, ſedens prius cogitat, ſi poſſit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe, alioquin illo longè agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis ſunt. Idem.

Belli tempore nullo repentino tumultu terreatur, ſemper enim paratus ſit, & milites dicto audientes habeat, & omnes alios ſtudio obſequentes. Eo quippe tempore, nemo munia ſpernere, aut imperata detractabit; ſed omnes vltro obediendi ſedulitatem præſtabunt. Franc. Pat. lib. 9. de Regno, & reg. inſt.

Vires proprias habeat; nam miſera Reſp. eſt, quæ tota auxilijs alienis inhæret, nullas autem ad ſe tuendam vires, ipſa per ſe habere poteſt, quæ ſuam ſalutem extraneis hominibus, non ſuis ciuibus committit, quæ tota ex alieno nutu, & fide pendet, non ex torga & naturali affectu ſuorum Ciuium. Lipſius lib. 5. c. 9. Polyb. id ipſum latius oſtendit pulchris rationibus, ac exemplis.

Ad gerendum bellum, tria requiruntur, arma, pecunia, & commeatus; niſi enim arma iam ante, & ex præparato habebit, fruſtra cogitabit de bello, prius enim eſt parare bellũ, quàm exercere. Quint. lib. 12. inſt. imò diù apparandum eſt bellum, vt vincas celerius, ex præparato, copiæ bella magis ſuſtinent, quam violentæ collationes. Pericles apud Tuc. lib. 1.

Pecunia adeò neceſſaria eſt, vt quemadmodum medici negant, ſine neruis homines ambulare, ita ne bellum vſquam progredi ſine iſta; eſt enim ſpiritus belli vitalis, & plereque res conficiuntur conſilio, & vi pecuniarum. Thuc. 2. bellum enim non in armis eſt maximè, ſed in expenſis, & ſumptibus, per quos efficacia arma, & vtilia fiunt.

Poſtremò annona, nam qui frumentum, neceſſariumq. commeatũ non præparat, vincitur ſine ferro. Veg. 3. cap. 26. & reliquis caſibus, poteſt in tempore ſubueniri, pabulatio, & annona in neceſſitate non habent remedium, niſi ante condita. idem 3. cap. 3. Mendicitas enim ad omnem deſperationem vocat armatos. Lamprid. in Alex. cum diſciplinam non poſſit ſeruare ieiunus exercitus, vt ait Caſſiod. lib. 4. var. cap. 1. ex Lipſio lib. 5. de ciuili doctrina cap. 6.

Prin-

Princeps, in conſultatione de bello ineundo, debet ipſos Conſultores perpendere, qui ſint, qui ſuadent, quiuè diſſuadeant. Sunt in aula furiæ, facesq. belli nobiles, quibus in pace durius ſeruitium eſt, quo tempore coguntur duris legibus obtemperare, & a quibus in belli licentia, ſe liberant, ſunt inquieti, qui neque ipſi inquieſcunt, nil alios quieſcere ſinunt, ſunt exules, qui in eos, a quibus pulſi ſunt, meritò metu pœnarum cunctantem Principem in arma impellunt; ſunt qui prætextu publicæ cauſæ, vel ſeipſos de inimicis vindicare, vel diteſcere ſtipendijs, & ſumptibus Principum, & ex rapina in ſubditos cupiunt. ſunt plures, qui de bello peragendo conſilium facile dant; ſed periculum poſtea ſubire detrectant. Sunt qui præſentia tantum reſpiciant, & iram excandeſcentem implere deſiderent, ſed mala publica, & priuata non conſiderant, quæ omnia tamen Princeps prudens, vel Reipub. Gubernator, prius expendat, quàm aggrediatur.

At vt conſilia ſunt neceſſaria bellantibus, ſic ſilentium eorum magis obſeruandum, & cauendum, ne deligantur. Inde enim irrita fiunt Ducis decreta, & contrarijs conſilijs prœuentum, in clades maximas conijciunt exercitus. Tholoſ.lib.11. de Rep.c.2.

Bellum prius indicetur, quàm inferatur, vt ſi alia ratione negotium componi poſſit, vel illud euitari, non fiat. Idem.

Sapientes viros, & optimos rerum publicarum gubernatores, finem magis in rebus humanis ſpectare, & prius quàm ad arma, bellaq. prorumpant experiri omnia conſilio decet. Plutarchus in Annibale.

Cum nunquam oporteat Principem, præcipiti eſſe conſilio, tum haud alibi cunctatior, quàm in ſuſcipiendo bello; quòd ex bello ſimul omnium bonarum rerum naufragium oritur; omnium malarum rerum pelagus exundat. Sextus Aurelius ex Iacobo Simanca lib.9. de Rep.cap.15.

Virorum prudentum eſt, ſi non laceſſantur iniuria, quieſcere, bonorum autem ſi iniuria afficiantur, pacem bello mutare, ac ſi bene ceſſerit, iterùm pro bello pacem inire, & neque belli ſucceſſu efferri, neque pacis tranquillitatis captos iniuriam pati eos decet.

In maximis rebus, medias vias inutiles eſſe ſciat; verum enim eſt, quod Liuius ait, Regum maieſtatem difficilius a ſummo faſtigio ad medium detrahi, quàm a medijs ad ima præcipitari. Nam tertium nullum conſilium eſt, & non mirum, vt inquit Ammiratus in Tacit. eſt, ſi ab hominibus prudentibus, illud tertium conſilium contemnatur, quandoquidem Deo diſplicet media via, iuxta illa, & mandauit mandata ſua cuſtodiri nimis; Vtinam frigidus, aut calidus eſſes, ſed quia tepidus, neque calidus, neque frigidus, incipiam euomere te ex ore meo. Apocal.cap.3. huius rei explicationem hic ponerem, ſi ad rẽ

noſtram

noſtram facere videretur, ſed legat Franciſcum Valleſium de ſacra philoſophia cap. 90. id confirmat Tacit. illis verbis de Vittelio loquēs, mox vtrunque conſilium aſpernatus, quod inter ancipitia deterrimum eſt, dum media ſequitur, nec auſus eſt ſatis, nec prouidit, & P. Seruilius medium ſequendo, vt inquit Liuius, nec plebis vitauit odium; nec apud patres gratiam inijt.

Multi ſunt, qui gratiam Regis inire ſtudent, cum ad bellum ſe ſatis inflammatum ſine cauſa excitantes, laudant enim Ciues, animū extollunt, virtutem admirantur, vnumq. eſſe prædicant, quem opinentur homines ad ſummorum Imperatorum gloriam peruenturum. His ſermonibus elatus, vt inquit Oſorius, & inflatus præceps amentia fertur, & ab omni ratione, & humanitate deducitur, nil aliud, quàm arma, & claſſicum ſomniat, & in eam cogitationem totus incumbit, vt pacem turbet, & bellum quamuis nefarium, & iniuſtum moliatur. quare ſi inanibus ſermonibus Princeps fidem adhibebit, bellumq. ſine cauſa ſuſcipiet, interibit, Regnumq. amittet, vt accidit Seb. Luſit. regi, de quo plurima, & pulcherrima ad hoc attinentia dicit Hieronymus Conneſtagius loco citato. Officium enim Regis non eſt cauſas belli quærere, ſed pacem conſeruare, bella non niſi neceſſaria ſumenda eſſe, nec enim pacem ad bellum conferendam, imò bellum cum neceſſe fuerit ſuſcipiendum, vt pax, & otium cum dignitate patiatur; ſatis magnam gloriam conſequi eos Reges, qui Regnum ſuum cum iuſtitia, atque dignitate tuentur, animoq. patrio ſubditis ſuis, & regia benignitate proſpiciunt. Bello ſæpe turbari diſciplinam, violari religionem, frangi vires, opes conſumi, innocentiā vexari, improbitatem excitari, omniaq. rapinis, cædibus, ſtupris perturbari, atque commiſceri. Addat deinde Martem belli communem, & ancipites prœliorum euentus, & quàm ſæpe multi Principes audaces, & impigri, opibusq. ſummis inſtructiſſimi ex eo bello, ex quo victoriam, & decus ſperabant, inſignem cladem, & ſummum dedecus acceperint. Oſorius lib. 2. de reg. inſt.

Diligentiſſimè obſeruet, quicquid afferat tempus, populorum ingenium, ac modus.

Præſtat arduum, & difficile bellum euitare; honeſtis conditionibus hoſti conceſſis, quàm ſe cupiditati vindictæ, vt in incertum Martis euentum ſe conijcere. Tac. lib. 12. ann.

Vicinos prælio, & bello inter ſe certantibus, vicina vtrique loca noſtra valido paratoq. ſubſidio firmanda, ne victoria vicinus elatus, noſtram partem tollat. Tacit. ibidem.

Bella non ſemper his locis, quibus putantur geruntur, nec eos exitus habent, qui ſperabantur. Itaq. non ſic poſt longam deliberationem,

nem, ſunt ſuſcipienda, & rebus in omnibus in vtrunque euentum paratis. Polyb. lib. 3. hiſt.

Fœlices ij eſſe Principes, & Magiſtratus iudicantur, qui pacem omnium ſuauiſſimam, atque iucundiſſimam diuini muneris, ampliſſimiq. beneficij loco habent, eandem obuijs, quod aiunt vlnis amplectuntur, ſub quorum gubernatione opibus, atque facultatibus ſuis quietè, quiſq. fruitur, agros, vineaſq. colit, rem familiarem honeſtis conditionibus auget, & amplificat. Quemadmodum viciſſim nullius mali illa expers regio eſt, quæ bello ardet, & vt Propheta ait marte regnante, ſic in medio terræ, ac populorum ſolitudinis, & calamitatis ſunt, ſicut oleæ eſcuſſiones, atque racemi quando vindemmia finita fuerit, ſubditi præterea diuturna annonæ caritatis, rerumq. omnium difficultate, eſcurſionibus crebris, atque varijs exauſti, magnoq. ære obruti remanent; agri, vineæ, non coluntur, commercia iacent, negotiationes conquieſcunt, certè vna cum vxoribus, ac liberis ſuis ad extremam paupertatem, egeſtatem, ſtipem denique oſtiatim colligendã redigi neceſſe eſt. Cum tandem etiam illud conſideramus, quam difficile ſit bellum gerere, quantas id copias deſideret, vt periculoſum militi, præſertim externo, atque mercenario fortunas, ac facultates; imò vitam committere, quantum res hæc pecuniæ, ad ſtipendia ducibus, atque exercitibus ſoluenda requirat, quantum commeatus, & annonæ militaris poſcat, quantum armorum poſtulet, quantùm cæterorum flagitet in eam cogitationem deuenimus, vt ſecundum Comici illius præceptum, omnia prius ratione, & conſilio experiri, quàm armis prudentem decere ſtatuamus. Ita Georgius in orat. de bello ſuſcipiendo. Plura hic de hac materia non dicemus; nam in explicatione Taciti, multa commodiùs explicabuntur, ſed tantummodo catalogum eorum, qui ex profeſſò de iure ſtatus conſcripſerunt, referemus, vt vnuſquiſque locupletiorem poſſit de iure ſtatus notitiam habere. Plato de Rep. de leg., & alijs in locis.

Iuſtus Lipſius de monitis, atque exempl. polit.
Idem de politica.
Marc. Ant. Muretus in V. annal. Tacit.
Idem in Salluſtium.
Philo. Iudæus de creatione Principis, de monarchia, & in multis ſuis operibus.
Philip. Cauriana in Tac.
Scipio Ammirat. in Tac.
Melchior Iunius in quæſt. polit.
Petrus Gregorius Tholoſanus de Rep.
Matthæus Burnius de priuilegijs militum.
D. Thomas de regimine Principum.
Idem in polit. Ariſt.
Ariſtoteles in politica.
Fabritij Burlei de Imperatore eligendo.

Orauus

Oranus de Principe Chriſtiano .
Ioannes Althuſius de politica .
Georgius Obrecthus diſp. de militari diſciplina .
Matthias Agritius in epiſt. in encomio Auroræ .
Ludouicus Viues in epiſt.
Franciſcus Petrarca in epiſt.
Idem de victoria .
Ioannes Franciſcus Condò in quæſtione, vtrũ liceat Imperatori noctu pugnare.
Marſilius Turlius quomodo exercitus minor poſſit ſuperare maiorem .
Gabriel Purmius de hoſte inſidiando .
Aegidius de reg. Principum .
Iulius Ferettus de antiqua illuſtrata, & inſtaurata militia terreſtri .
Synneſius de regno bene adminiſtrando.
Iouianus Pontanus de Principe .
Salluſtius de Rep. ordinanda ad Cæſarem .
Caſtillus Bouadilla de politica .
Io. Ant. Valtrinius de art. milit. vet. rom.
Io. Mariana de Rep. & Reg. inſtit.
Hieronymus Oſorius de reg. inſtit.
Gregorius Nunnius de optimo Reip. ſtatu .
Renatus Cophinus de ſacra politia .
Bernardinus Rocca de facinoribus, & erroribus militaribus .
Antonius Gueuarra in horolog. Principum ex emendatis .
Idem de Imperatoris officio .
Artemidorus de militia .
Petrus Bellus de re militari .
Bernardinus Excalantes de arte militari .
Capola alicubus in locis, at præſertim in epiſ. de vita, & reg. bon. Princ.
Antonius Parminius de modo cognoſcendi exploratores .
Laurentius Ahomius de arte tranſeundi flumina.
Leo Imperator de inſtituenda acie, & de belli apparatu, & de alijs.
Antonius Franciſcus Nigritius de aquis, an veneno ſint infecta cognoſcendis .
Antonius Ruldanus de electione militum .
Io. Serr. Montanus de reip. inſtit.
Rudal Goclenius in quæſtio polit.
Petrus Crinitus de honeſt. diſ. lib. 4. cap. 1.
Alexander ab Alex. in lib. gen. dierum .
Cælius Calcagninus aliq. in oper. lec. antiq.
Iulius Barbaranus in ſua officina .
Cardinalis Beſſario. contra calumn. Plat.
Xenoph. in omnibus ferè ſuis opuſculis :
Iacobus Bornitus de nummis in Rep. percutiendis .
Idem in partitionibus polit.
Adamus Kellerius de officijs iuridico politicis .
Agapetus de off. Reg.
Arnoldus Clam. de arcan. rerump.
Frid. Furius Cerielanus de Principis inſtit. eiuſque conſiliarijs .
Iacobus Senderus de incremento Imperiorum .
Petrus Chriſtitus de conſilijs hoſtium explorandis .
Orlandus à Vallibus de inſidijs hoſtium vitandis .
Martinus Leumus de eloquentia Imperatoria .

Remig.

Remig. Florent. in conc. milit.
Philippus Merlanus de modo ſoluendi obſidionem.
Idem de modo defendendi obſeſſam Ciuitatem.
Franciſcus Scaphonus de exercitio militum.
Idem de electione militum.
Idem de pœnis militum.
Sebaſtianus Niger de transfugis, de proditoribus, de exploratoribus, de cura militum, de belli prognoſticis.
Mar. Ant. Lappus de occultandis conſilijs bellicis.
Thomas Gariloppa de modo cognoſcendi militum affectus.
Vida de Reip. dignitate.
Acchilles Marozzus.
Oneſander Platonicus in ſtrate.
Bruſſonius de militia.
Dominicus Cillenius in ſerm. ſuper veterem, ac nouam ſcien. mil.
Coruinus in apophot. egregij ducis.
Franciſcus Panigarola in clipeo belli.
Ioannes Carnutenſis de re militari.
Hieronymus Vrea de vero militum honore.
Maffaus Vegius de re militari.
Sanctus Maximus de bello, ac pace.
Petrus Lagnerius in Imperatore à Cicerone excerptus.
Antonius Poſſeuinus in milite Chriſtiano.
Laurentius Grimalsius de optimo Senatore.
Franciſcus Valdes de diſciplina militari.
Antonius Lupicinus de arte militari.
Franciſcus Petrarca de titulis bellorum.
Thomas Campeggius in offic. Princ. in Eccleſ.
Lelius Zechius de Principe.
Idem de Rep. Eccleſ.
Franciſcus Serdonatus de prærogatiua milit.
Acchilles Tarduccius de machinis antiquis, & recentioribus.
Camillus Agrippa de modo inſtituendi aciem.
Hermogenes de politijs.
Liuij Pantani de Reg. ſtat.
Iacobus Lantherus de offenſ. & defenſ. Ciuit.
Hieronymus Zanchius de ijſdem.
Iacobus Marzarus in elect. document. propter diſ. qui in term. incumb.
Coſmus Bartolus in diſcur. hiſtoricis.
Cyrus Sponto de Reg. ſtatus.
Henricus Siluius de milit. Rom.
Io. Leo in regni adminiſtr.
Idem de ciuili polit.
Idem in Chriſtiano Principe.
Paulus Iouius de bello.
Philelphus de Rep.
Gruterus in Corn. Tacit.
Barnabas Briſſonius de Regno.
Marſilius Ficinus plurimis in epiſt. in Plat.
Epictetus in Enchirid.
Iamblicus in diuerſis Epiſt.

Ber-

Bernardus Gualandus de optimo Principe.
Marij Salamonij de Principatu.
Buridanus in polit. Ariſt.
Thomas Filiarchus de bello.
Paulus Paruta de perfectione vitæ polit.
Idem in diſcurſ. polit.
Cæpolla de imper. milit. deligendo.
Annibal Scottus in Corn. Tacit.
Carolus Paſchaſius in Corn. Tacit.
Iſocrates, ac Æſchines in diuerſis orationibus.
Cicero, & Demoſthenes in diuerſis orationibus.
Iacobus Simanca de Rep.
Sopater in epiſt.
Volaterranus lib. 36. philologia tit. de politijs.
Beroaldus de optimo ſtatu Reip.
Franciſcus Patritius in paral. milit.
Idem de Regno, & de Reip. inſtit.
Idem de liber. Ciuit.
Hieronymus Fracheta in idea reg. ſtatus.
Idem in Principe.
Io. Boterus in ratione ſtatus.
Franciſcus Antonius de modo opem ferendi militibus.
Io. Geneſius de honeſt. prof. mil.
Simon Vallambertus de fortitudine, & induſtria militum.
Hieronymus Garimbertus de regimine publico Ciuit.
Augenius Griffenius de re militari contra Turcam inſtit.
Platina de optimo Ciue.
Comes Venayſſim in diſcurſu de bello.
Ariſt. in ſecretis ſecretorum.
S. Chriſ. pluribus in locis.
Plinius in Panegyrico.
Oſorius in epiſt.
B. Greg. in epiſt.
Brieſius in Rep.
Baſilius Imperator ad Leonem filium de boni, Principis officio.
Laurentius Manorbius de obſidione.
Antonius Seminus de prudenti Imperatore.
Mentonius Zirlius Medici Gadaunſis de militum ſanitate tuenda.
S. Bernardus ad Eug. de offic. Pont. Max.
Iulius Pollux Commodo Imperatori, qui deſignat Imperatoris, ac Regis conditiones, ac dotes, quibus præditus ſit neceſſe eſt.
Edmundus Augerius in pedagogo ad arma.
Robertus Valerius de re militari.
Antonius Gueuara in admonit. gratioſ.
Mambrinus Roſeus de Principe Chriſtiano.
Robertus Cardinalis Bellarminus de poteſtate Pontificis, & de electoribus Imperij.
Robertus Epiſcopus Ramorenſis libro de monarchia, & de orig. & different principatus.
Vincentius Dinus in 1. lib. 3. dec. Tit. Liuij.
Hermolaus Barbarus de legatione.

Octauianus Maggius de legato.
Franciſcus Topius de poteſtate Principis ſæcularis.
Io. Baptiſta Pigna de Principe.
Franciſcus Patritius in declarat. militiæ Romanæ,
Polybij, & Dionyſii Alicarnaſſ.
Philippus Huraltus de legato.
Hippolytus à collibus in conſil.
Idem in Aulico.
Durus de paſcolo in aulice polit.
Robertus Valtur. de vniuerſa re militari.
Melchior Soyterus de Turcarum ſtratag.
Modeſtus in vocab. rei militaris.
Orbiccius de nominibus, atque ordinibus militum, de Ducibus, ac ordinibus exercituum.
Polyenus in ſtratag.
Stobæus de militia, de corporis viribus, de conſilys belli, de iuramento militum.
Iulius Africanus de prof. milit.
Iſidorus de re militari.
Hieremias Patauinus de arte belligerandi.
Hanapus de victorijs diuerſorum bellorum.
Ioannes Surgenus in Enchirid. milit.
Ioannes de Indagine de bello iuſto, & iniuſto.
Iacobus Mag. in Sopholog. reg. milit.
Franciſcus Guicciardinus in conſid. polit.
Franciſcus Lottinus in ijſdem.
Franciſcus Sanſouinus in ijſdem.
Langes de diſciplina militari.
Thomas Morus de optimo Reip. ſtatu.
Georgius Agricola in orat. de bello aduerſus Turc.
Franciſcus Bozius de temporali Eccleſia monarchia.
Idem de Imperio virtutis aduerſus Macchiauellum.
Idem de ruinis gentium aduerſus impios polit.
Idem de antiquo, & nouo Italia ſtatu aduerſus Macchiau.
Idem de iure ſtatus.
Vegetius de re nauali.
Albertus Durerius de muniendis caſtris.
Sextus Iulius Frontinus de re militari.
Vegetius de re militari.
Ælianus de inſtruendis aciebus.
Iuſtus Lipſius de milit. Rom.
Nicolaus Crag. de Rep. Lac.
Franciſcus Patritius de Rep.
Philelphus, ac Robertelus in polit. Ariſt.
Gulielmus Barclaius de Regno.
Robertus Valtrinus contra Macchiauellum.
Sebaſtianus Foxius de inſtit. regni.
Ventura Cigus de Rep. & Principe.
Sueſanus de Principe, de Tyrannide, de regnandi peritia.
Alexius Salmonenſis de Rep. Chriſtiana.
Dux Vrbinatum in milit.

Fabius Albergatus aduerſus Ioannem Bendinum.
Aldus Manutius in diſp. ſuper Liuium.
Sanſouinus de Rep.
Alphonſus Aluerez de poteſtate Principis.
Gabriel Simeon de tribus campi partibus.
Seluagius de pugna.
Polybius de modo caſtrametandi.
Dionyſius Carthuſ. de vita militari, de bello, de milite.
Antonius Lupicinus de architectura militari.
Marcus Antonius Natta de Principum doctrina.
Franciſcus Petrarca de vſu victoria.
Antonius Seneburgenſis, qui librum de tuenda militum ſanitate conſcripſit, Cracouia impreſſum.
Vincentius Caſtellanus de officio Regis.
Bernardinus Rocca de belli diſcurſ.
Petrus Maria Contarinus de curſu belli.
Iulianus Tabeticus in paradoxis Regum.
Georgius Baſta de caſtro. praefect.
Bartholomaus Pelliciarius in admonit. belli.
Franciſcus Fiammellus in milit. interrog.
Bernardinus Mendozza in theorica, ac practica belli.
Hieronymus Fracheta in diſcurſ. ſtatus, ac belli.
Hippolytus à collibus in palat.
Laurentius Duccius in arte aulica.
Antonius Poſſeuinus de Nue militis Galli ſcriptis, qua illos diſcurſus politicos, & militares inſcripſit. &
De Ioannis Bodini methodo hiſtoria lib. de Rep. &
Philippi Mornei de perfect. Chriſt. de Nicolao Macchiauello in iudicio.
Plutarch in polit. in lib. num. ſen. gerend. Reſp. in lib. ad Princ. indoctum de pracep. regend. Reip. & alijs in locis.
Multi etiam tractant de hac materia apud Melchiorem Iunium, qui multas orationes in vnum collegit.
Io. Matthaus Cicogna in tract. milit.
Franciſcus Ferrettus de arte militari.
Andreas Alciatus de mag. ciuil. mil. offic.
Petrus Belluga in ſpeculo Principum.
Andreas Thomaranus in 5. ann. Taciti.
Aliqua Tobias Paur Meiſterus de iuriſd. Imp.
Franciſcus Fanan. de inſtr. bellicis.
Iulius Ferrettus de re nauali.
Andreas Velaſius de arte nauig.
Iaſon de Nores de breui inſt. opt. Reip.
Iacobus Middendorpius in quaſt. theolog. ac polit.
Mutius Iuſtinopolitanus de princ.
Stephanus Pighius in Hercule Prodycio.
Franc. Loauayee de legato.
Albertus Gentilis de legation.
Heraclides de Rep. veterum.
Nicolaus Damaſcenus de antiq. polit.
Bernardus Saccus de Principo.
Starbeus de polit.

Iulius Bellus in polit.
Iacques Herault de off. ſtat.
Ioannes Ferrarius de Rep. inſtit.
Nicolaus Sanderus de viſibili Monarchia.
Aug. Ferrentillus de autorit. leg. à latere.
Carolus Paſchalius de legato.
Celſus Mancinus de iuribus principatuum.
Claudius Coterarius de iure, & priuil. mil.
Conradus Brunus de ſeditionibus.
Henricus Farneſius de ſimulac. Reip.
Petrinus Bellus de re milit.
Petrus Magnus de conſilio.
Barthelomaus Caualcantus de opt. reg. Rerump.
Franciſc. Ant. in tract. de re milit.
Martinus Eguiluz de militia diſcur. & regul. milit.
Hieronymus Maggius de munien. caſtr.
Henricus Sauil de milit. Rom.
Petrus Laurus in aliquibus ſuis epiſt.
Beliſarius Aquiuiuus de principum liberis educand.
Idem de re milit.
Michael Marullus de principum inſtitut.
Manuel Paleologus in pracept. educ. regia.
Antonius Seminus in ſex diſcurſ. ſuper diuerſas ciuiles materias.
Lelius Demnus de regim. regni.
Laurus Gorgietius in tract. de bello mil. &c.
Nicolaus Vitus de ſtatu Rerump.
Gulielmus Roſſeus de iuſta Reipub. Chriſtiana in Reges impios, & hareticos autoritate.
Alexander Sardus in diſcurſ. de imp.
Auerroes ſuper lib. de Rep. Plat.
Renatus Luſinges de orig. conſeruat. & declinat. ſtatuum.
Io. Tatius de opt. regimine magiſtratus pratory.
Raphael Volater. de princ. offi.
Petrus Bacherius in ſpeculo milit. Chriſt.
Marcus de Frata in diſcurſibus principum.
Iacobus Omphalius de ſuſcep. Chriſt. Reip. propugnat.
Lucius Paulus Roſellus de vero regim. princ.
Hippolytus à collibus in Princ.
Iacobus Tapia de triplici bono.
Franciſcus Iniurioſus de penetrand. Principum arcanis.
Remigius Florent. in conſid. ciuilibus.
Lipſius de Machinis.
Conradus Brunus de legation.
Andreas Daderius de pracipuis modis fundandi Reſp.
Petrus Bellicottus de Rep. Plut. & Ariſt.
Martinus Nuſpuba de ſecretis polit.

Prater hos ſunt vndecim, qui Tac. notis, & commentarijs illuſtrarunt. Multi etiam, qui Ariſt. polit. interpratati ſunt, inter quos recte textum explicat Obertus Giphanus; aliqui etiam Platonis libros

de Rep. inter quos Foxius mentem Platonis intelligit; ſunt prætereà 14. qui varia de hac materia conſcripſerunt, ſed ab Eccleſia ſuſpenſi, & tredecim ab eadem iuſtiſſimè damnati, cum impietatem Principes doceant. Hi ſunt autores, qui duriſſima conquiſitione collecti ad noſtram notitiam peruenerunt; ſcribit elegantiſſimè, & ferè in promptu ſunt doctiſſimus vir, Bonifacius Vannotius de hac materia quadam volumina, quæ principibus neceſſaria ſimul, & vtilia ſuadent.

Explicatis ijs, quæ ad ius ſtatus pertinent, ad explicationem Taciti nunc accedamus.

Vrbem Romam a principio Reges habuere libertatem, & Conſulatum L. Brutus inſtituit. &c.

Vtrum liceat libertatem inſtituere, quę Reſp. magis libertate fruatur Veneta, an Genuenſis, & cur primus Brutus libertatem inſtituere, vltimus autem non potuerit.

Notandum primo, omnes natura libertati ſtudere, & ſeruitatem odiſſe.

Notandum ſecundo, aliquas nationes vnius Imperium, aliquas vero libertatem facilius amare, vt Hiſpani monarchiam adamant, & Galli, ſicut libertatem Liguria Aemilia, ac Illyria, vt aſſerit de his tribus D.Thom. de reg. Principum.

Notandum tertio, ex Tacito lib. 2. & ex Carolo Paſchaſio, quod aliud eſt eſſe ſine Domino, & aliud eſſe in libertate, quippè ſine domino dicuntur eſſe ij, qui aſſueti ſunt imperio vnius, qui etſi è medio ſublatus eſt, tamen propediem futurum eſt, vt alius quiſquis ille futurus ſit in demortui locum ſuffectus, imperitet. In libertate verò ij ſunt, qui ita affecti ſunt animis, vt mortalem ſupra ſe agnoſcant eſſe neminem, præter vnum Magiſtratum, & leges.

Notandum quarto, ex Alberto Magno, de cauſ. & proceſ. vniuerſi. a cauſ. pri. lib.1. trac.3. libertatem quattuor modis accipi; ab obligatione, coactione, ineuitabilitate, & a neceſſitate poſitionis. libertas ab obligatione, a defectu eſſe materialis eſt, obligatio enim per materiam eſt, vt homo obligatur ad comedendum. A coactione, a defectu cauſæ efficientis eſt, coactio enim per cauſam efficientem eſt; vt ne-

ceſſitatem habeat lignum, vt comburetur: Ab ineuitabilitate, eſt a defectu cauſa formalis, vt hominem non volare. A neceſſitate poſitionis, eſt cauſa finalis defectu, vt neceſſe eſt aliquem ſecari, ſi velit ſanari. Sed nos non intelligimus de his libertatibus ſermonem habere, ſed de ea, quæ eſt in natura intellectiua per virtutem eius, quod principale eſt in ea, & intrinſecum agit in finem proprium ſecundum illud idem, quo modo accipit. D.Tho.in 7.polit. Ariſt.cap.5.

Notandum quinto, ex Marſilio Ficino in Plat. Theol. lib.2. cap. 12. libertatem abſolutam non eſſe in ijs, in quibus hæc tria, eſſe, intelligere, velle re ipſa inter ſe diſcrepant, quoniam in rebus huiuſmodi modus volendi ſequitur intelligendi normam, hæc eſſendi conditionem, eſſe, denique ſequitur eum, qui dedit eſſe, at in Deo idem eſt re ipſa eſſe, intelligere, velle, & ita eſt per voluntatem ſuam intelligentia, eſſentiaq. ſuæ compos, vt non modo ſicut eſt, & ſicut intelligit ſuapte natura, ita quoque velit, & ſicut vult ita intelligat, & exiſtat.

Notandum ſexto, libertatem in monarchia formaliter non eſſe, nam multa exequi homines non poſſunt, etiamſi nec vi, nec lege prohibeantur, quæ in Rep. facerent, & facere tenerentur. nec in populo, cum is realiter pareat in Ariſtrocatia; quare formaliter eſt in optimatibus, ac intrinſecè; extenſiuè verò, ac ſecundum quid tantummodo in populo, cum nullam habeat Reip. adminiſtrationem, & in Democratia Populus rectè gubernare neſcit, ex quo ſequitur in eo libertatem impropriè ineſſe. At in Ariſtrocatia formaliter eſt, ac propriè libertas, & in tota Rep. eſt libertas analogicè, nam ſimpliciter, & eſſentialiter in patritijs libertas exiſtit, denominatiuè tantummodo populus liber vocatur, vt in Veneta, ac Genuenſi Rep. notum eſt, clauum enim imperij ipſi nobiles tenent.

Notandum ſeptimo, libertatem non in ſolo corpore, non in ſola anima, vel voluntate, ſed integraliter in vtroque conſiſtere, quod apertiſſimè patet, non enim is ſolum libertatem aufert, qui membra ligat, vel prohibet, vel cogit agere, ſed & is, qui voluntatem, vt nequeat velle, quæ placent, aut nolle quæ diſplicent. & in ſingulis noſtris operationibus, quæ ad finem aliquem tendunt, primum rerum agendarum cognitione opus eſt, & omnino recta ratione, quam prudentiam dicimus, non abſolutè, ſed quatenus ad eorum notitiam attinet, quæ ad illum finem perducunt; præterea ſanitate, quæ corporis perfectio eſt ad animæ imperium commodè exequendum; vt enim cognitio impellit voluntatem, ita voluntas corpus ad operandum, vt inquit Odouardus Gualandus lib. 6. de ciuili facultate cap. 13. ſi corpus ſanum non eſt operari non poteſt, quod libertas voluntatis ei dictat,

ſtat, quæ libertas ſi eſt ab aliquo ex teriori impedita, manca eſt. His prænotatis.

Dicendum primo in Monarchia, in qua naturalis Rex, vel benè, vel malè gubernat, nemini licere libertatem inſtituere Principis eade. prior pars patet, nam ſine cauſa mutatio ſtatus maximam adfert populo perturbationem, ac exitium. Nam cum Monarchia cæteris præſit, ſi mutaretur, in peſſimam abiret formam, nam ſecundùm Ariſt. mutatio optimi eſt peſſima.

Secundo nulli eſſent termini mutationis ſtatus, qui quinque ſunt, occaſio, conſilium, accidentia, paſſio, & potentia, & hæc vltima ſine accidente, vel occaſione nihil agere poteſt.

Tertio, datis terminis, mutatio fieret in peius, nempe ſi plebs præualeret, & nulla Ciuitas fuit vnquam à plebe ritè conſtituta, vt affirmat Oſorius lib.1.de ciuili nobilitate; nam vt plurimum eſt temeraria, & improuida, animiq. nimis abiecti, atque dimiſſi. poteſt igitur temeritate, & furore patriam labefactare, non tamen vnquã incolumen conſeruare, neque collapſam in priſtinam dignitatem reſtituere, neque ob alud fuit Romana Reſpub. funditus euerſa, quàm propter temeritatem multitudinis in nobilitatem concitæ. Itaq. Imperium illud, quod per Reges primo, deinde per optimates, & principes partum, & amplificatum erat, breui vulgi furore, & amentia diſſipatum fuit.

Secunda pars probatur; nam nulla lex iubet Principes malos, ſubditos occidere, & Deus eos permittit, vt in peccata populi animaduertat, iuxta illa, qui regnare facit hominem Hypocritam propter peccata populi. dabo vobis Regem puerum, &c. Dabo tibi Regem in furore meo. Quare cum ſubditi præmuntur à ſuis Principibus, nihil potius excogitari poteſt, quàm ad Dei miſericordiam confugere, & eũ orare ſummis præcibus, vt nobis delictorum gratiam faciat, ſcelerum, & flagitiorum pœnam prætermittat, & populum ſuum a calamitatibus; ac miſerijs vindicet, vt inquit Vincentius Caſtellanus lib.3.de offic. Reg. cap.11. Nec dubium eſt, quin nobis hanc ſit daturus veniam, modò peccata corrigentes noſtra ad bonam frugem nos recipiamus; alioquin in deteriorem tyrannum, etiam ſi prior ſublatus ſit, incidet populus. Cor Regis in manu Dei eſt, & quocunque voluerit inclinabit illud; aliquando enim obſtinatos perdit, vt Pharaonem, vnde eſt in Eccleſ. Sedes Ducum ſuperborum deſtruxit Deus, ſedere facit mites pro eis. Nam certum eſt tandem peccatis Regna diſſipari. vt Amos.9.8. Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans, & conteram illud a facie terræ. Hiere.50.24. Illaqueaui te, & capta es Babylon, & neſciebas, inuenta es, & apprehenſa, quoniam dominum

prouocaſti. Dan. 2. 21. Ipſe mutat tempora transfert regna, atque cōſtituit; quare ſubditi non ſolum obedire Principi bono, debent vt dicit D. Paul. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non enim eſt poteſtas, niſi a Deo, quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt, ſed etiam malis, iuxta illud 1. Pet. 2. 13. Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi, quaſi præcellenti, ſiue Ducibus, tanquàm ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

Reſtringitur a nonnullis hæc concluſio; nam ſi Princeps eò veſaniæ procederet, vt omnes morte afficeret, atque humana, ac diuina confunderet, & quotidie nefaria, ac flagitioſa ſcelera moliretur, præſertim is, qui vi, ac dolo dominatum inuaſiſſet; Scotus, & Caietanus, & Syluester d. ſecuti Thom. non eſſe ambigendum confirmant, quin cum is hoſtis patriæ ſit, nec aliter poſſit deijci imperio, a quolibet priuato, iurè poſſit trucidari. ſed potior ratio videtur, colligere noſipſos, agnoſcereq. ſcelera, quæ ipſi admiſimus, & Deum precemur, vt Caſtellanus dicit, vt vſus in nos miſericordia, calamitatum noſtrarum finem faciat; quod ſi diutius calamitates durant, dicendum eſt peccata populi attrociſſima eſſe, & Deus non in vno ictu, vt in exercituū clade, aut peſte, ſed pluribus in homines animaduertere velle, quod a Tacito cognitum fuit, nam cum infamias Neronis infinitas, ac cædes illuſtrium virorum, crudelitates inauditas, populi oppreſſiones Imperij miſeriam recenſuiſſet, ſubdit; Ira illa numinum in res Romanas fuit, quàm non vt in cladibus exercituum, aut captiuitate vrbium ſemel editam tranſire licet. Quare cum Deo nemo reſiſtere queat, omnia conſtantiſſimè ſunt toleranda, & peccata miſſa facienda, ne congreget ſuper populos mala, & ſagittas ſuas cōpleat in eos. Solet Deus vſitatis peccatis, pœnas nouas infligere, cum ordinariæ non iuuant; nam vt D. Baſilius ait, Deus cum ob ſcelera homines caſtigare velit, non modo nouos morbos, verum etiam incredibiles, & irremediabiles peſtes nobis immittit, vt de morbo gallico patet; quæ pœna adhuc durat, & durabit, quicquid dicat Mercurialis tractatu de morbo gallico lib. de cognoſcend. & curand. hum. corp. affectibus, cuius ſententia eſt, futurum eſſe, vt quandoq. hæc peſtis finiatur, infirmis nixus rationibus, nam homines & ſi longo rerum vſu edocti ſunt, tamen hoc contagium aufugere neſciunt. Tunc finiet, quando homines a mulieribus ſe abſtinebunt. nec dicas Deum eſſe cauſam malorū, nam ſicut praui, ac pernicioſi humores in præcordijs, ac inteſtinis lateant, non accuſatur Medicus, quòd eos ipſe fecerit, ſi arte eos in cutem, vt appareant traxerit, ſed effecit quidem illos inordinata dieta, traxit autem in manifeſtius non imperitus Medicus, ſi cum mala dolores, ac

cruciatus, factos audimus intelligere decet, a nobis ipſis, initia, & cauſas earum vexationum fuiſſe, vt egregiè inquit Gregorius Nicænus in myſtica Moſaycæ vitæ enarratione; imò eiuſmodi pœnæ neceſſariæ videntur; nam vt præclarè Cic. quemadmodum Domus, nec Reſpub. ratione quadam, & diſciplina deſignata videatur, ſi in ea nec rectè factis præmia extent, vlla nec ſupplicia peccatis, ſic mundi diuina in homines moderatio profectà nulla eſt, ſi in ea diſcrimen nullum eſt bonorum, ac malorum.

Sed dices, corpus politicum propter ſanitatem omnium membrorũ, poteſt caput præcidere, quia caput a corpore poteſtatẽ habet. Reſpond. verum non eſſe de omni corpore, quia in corpore eccleſiaſtico poteſtas capitis eſt a Chriſto, non a corpore, deinde ſcindi ſine totali partium ruina non poteſt, quare ſimilitudo non rectè procedit.

Dicendum ſecundo in Remp. liberam ab extero, vel a proprio occupatã libertatem introducere non licet inuito populo, & præſertim ſi per plurimos annos illo non repugnante aliquis gubernauerit. nam in eiuſmodi rebus ſtandũ eſt maiori parti, quæ eſt populus, & melius eſt regimen vnius, quàm plurium in rebus publicis, præcipuèq. diſcordijs ciuilibus feſſis, vt affirmat Tacit. non aliud diſcordantis patriæ remedium fuiſſe, quàm vt regeretur ab vno. his addi poteſt, quòd crebræ mutationes ruinæ ſunt gentium. Et multi diſcordias ſeminãt ciuiles, non vt libertatem patriæ reſtituant, ſed vt ipſi principatum inuadant; nam homines ambitioſi in ſuas trahere partes populum conantur, & plebem primum in ſuos Principes commouere. dehinc velut ad pileum, & libertatem eos prouocare, non in fauorem verè ipſius populi, ſed ſui ipſius vtilitatem, vt Duces fiant rebellium, & poſtea principatum armati inuadant, dulce nomen democratiæ, ſed vtilior monarchia, vt inquit Tholoſan. de Rep. lib. 12. Neque in magnis, & arduis negotijs potuit Democratia Romanorum ſibi plene conſulere, quin neceſſario poſtquàm popularis adminiſtrationis variam aleam experta eſt, coacta ſit ad monarchiam redire, & ita deſiſtens ab ea monarchia, per gradus ſemper lapſa eſt in peius, & poſt tentatas alias ſpecies, tandem redijt ad eam tanquam neceſſariam, & faciliorem; vagus populus primum ad Romulum, & ſequentes confugit, poſtea excuſſo iugo regio, prætextu ſuperbiæ, & luxuriæ Tarquinij tentauit per Conſules regimen inire, & per comitia rurſum per decem viros, & his quoque faſtiditis, redijt ad Conſules, & ex Conſulibus neceſſariò ad vnius Dictatoris imperium ſemeſtre, poſtea ad Conſules, & Tribunos, Prætores, & tandem ad illam regiam dignitatem, cuius quidem nomen exoſum habebant, ſed vtilitate compulſus ſub alio titulo Imperatoris ſub Aug. eandem recepit, & omnem poteſtatem in eum

tran-

tranſtulit, ad tempus primum decennij, poſtea in perpetuum, vt aſſerunt Hiſtoriographi, quare conſtat non licere introducere libertatẽ in tali caſu, id eſt in populo vago, & fluctuante; vno enim dominante ceſſant inter patres, plebemq. certamina in Ciuitatibus, ac foras tentamenta ciuilium bellorum, ceſſant hominum diſcordia, & populi rabies.

Dicendum tertio, liberas Ciuitates, quæ propter ciuium inteſtina odia, ciuilesq. diſcordias, ſeſe alicui fidei per aliquod tempus dederunt, elapſo tempore poſſe priſtinam libertatem recuperare, quod euidenter patet, cum ſtandum ſit pactis, quæ a tempore franguntur. nec vlli ſit iniuria, ſi res ſuas opportuno, & debito tempore aliqua Ciuitas recuperat. Ampliatur hoc etiam, ſi pactum ex aliqua ſolum parte ſit infractum; nam eadem eſt ratio de parte, ac de toto, vt v.g. ſi Princeps contra pacta, aliud caput prouinciæ inſtituere vellet, in ipſius præſertim Reip. ignominiam, poteſt contractus reſcindi; quare nemo dilaudat, imo hiſtorici, & poëtæ, inter quos Arioſtus præcipuẽ Andream Auriam virum celeberrimum, quo non ſolum Liguria, verum etiam Europa in rebus maritimis clariorem non vidit, maximis laudibus extollunt, quia patriam a Rege Gallorum, qui in Genuenſium ignominiam, ac damnum Vrbem Sauonam ab eorum dominio ſegregare volebat liberauit.

Quod ad ſecundum dubium attinet, notandum eſt primo, tum in priuato, tum in Ciuitate nimiam libertatem noxiam eſſe; ex nimia enim libertate, ortæ ſunt peſtiferæ ciuiles diſcordiæ, quæ Reſpub. labefactarunt, vt videre eſt in Genuenſibus, qui vt ait Tholoſanus lib. 23. de Rep. cap. 3. cuncta quondam maria peruagati, relictis clariſſimis vtique victoriarum monumentis, cæteras gentes omni tempore nauali gloria ſuperauerant, cum domi ſeditioſi, atque diſcordes eſſe cœperunt, ſæuiſſimis factionũ fluctibus agitati, nunc in Sfortianorũ, nunc in Gallorum clientelam conceſſerunt, quæ omnia ex nimia illius ſtolida populi ferocitate, & ex nimia libertate, atque etiam ex pauca promanarunt; nimia enim populum laſciuire facit, inſolentemq. reddit, & libertatis extrema licentia, extremæ ſeruitutis poteſt eſſe principium, nam vt rectè Marſilius Ficinus in Plat. dialog. de reg. cap. 3. libertas nimia laſciuiam primum parit; deinde legum contemptum, poſt hac frequentes ſeditiones, & denique externam ſeruitutem. Ac pauca ſcandaloſa eſt, nam patritij libertatem populo nimiũ tollentes, & dominandi poteſtatem magis, quàm conuenit inducentes, amicitiam, & ſocietatem in Ciuitate perdunt, & hac corrupta, dum vnuſquiſque pro ſe conſultat, præda potentium ſiunt.

Harum rerum cum Reſpub. Veneta immunis ſemper fuerit, quippe quæ

pe qua nullas diſcordias eſt experta ciuiles, libera ſemper remanſit; & hoc modo Reſp. Veneta ampliori libertate vſa eſt, ſemperq. quandã mediocritatem ſeruauit. E contra Genuenſis ob ciuilia bella aliquãdo oppreſſa, aliquando diſtracta fuit, nec perfectam libertatem habuit.

Notandum ſecundo, libertatem in præſentia dupliciter accipi poſſe, vel quia Reſp. nullum in rebus ſuis adminiſtrandis recognoſcit ſuperiorem, & hoc modo vtraque pari paſſu ambulat, vel quia Reſp. abſolutè, & totaliter libera non eſt, cum videlicet non ineſt ei tanta potentia, vt finitimis Principibus reſiſtere valeat, eosq. timet; timor enim libertatem imminuit; multa enim fierent, quæ timor probibet, vt de vtraq. patet, vna enim Turcarum Imperatorem ingenti nummorum pondere afficit.

Altera Catholicum Hiſpaniarum Regem protectorem elegit, ſub cuius patrocinio non ſolum ipſa, verum etiam tota Italia tranquillã vitam degit. Hoc autem modo Genuenſes magis liberi videntur; nam minus timoris habent, nec de eo dubitant, imò certum eſt, quod rex ille, illis bellum inferret, qui Genuenſem Rempub laceſſerent, vel oram liguſticam infeſtarent, vt in rebus Corſicis ætas patrum noſtrorum vidit; quare quantò facilius eſt Turcã, Venetum dominium imminuere poſſe, tantò difficilius eſt, Regẽ Hiſpanum, Genuæ imperium affectare, cuius potiunde, cum ciuilia bella illi occaſionem dediſſent, libertate illam frui, quàm tributariam reddere maluit.

Quare cum liquidò conſtet, timorem eſſe ex ijs rebus, quæ maximè libertati ſunt impedimento. Veneti autem magnoperè Turcam finitimum, Genuenſes autem nequaquam regem amicum metuant, Hos tutiores, ac magis liberos eſſe colligitur.

At dices Veneti priuilegio Cæſaris ſunt exempti, & forum illius poſſunt declinare, at non Genuenſes, qui in aliquibus caſibus Imperatorem recognoſcere coguntur, ergo primo modo etiam magis liberi ſunt. reſpondetur verum non eſſe, quare hic videndum eſt.

Vtrum aliquis Princeps, vel populus poſſit quoque prætextu ſe eximere, quominus Cæſari ſubſit, & obediat, illumq. reuereatur.

HAnc quæſtionem, quia pulcherrima, & vtiliſſima eſt, hic ponimus; fatemur tamen noſtram non eſſe, ſed cuiuſdam defuncti Hieronymi Garzonij, quæ ad noſtras manus peruenit.

Tres

Tres poſſunt adduci cauſas, nempe priuilegij, præſcriptionis, & conſuetudinis. De priuilegio igitur diſſeramus, quo inter alios in Italia gaudere dicunt Ducem olim Mediolanenſem, & Ducem Venetum, cuius præcipuè bullam auream ab Imperio impetratam, hoc exemptionis priuilegium continentem, ſeſe vidiſſe teſtatur Albericus de roſata, & eius teſtimonium probant Iaſon, Iacobus Aluarottus, Antonius Franciſcus, & Ioannes de Cioier.

Circa hoc duo in primis diſcutienda occurrunt, nempe quid per priuilegium conferatur in exemptos. Deinde vtrum exemptionis priuilegium poſſit reuocari.

Quando igitur Cæſar exemptionem concedit, non arbitror ità eximere, quin ipſe remaneat ſuperior, & quando transfert poteſtatem imperandi, & iuriſdicendi non arbitror transferre illam, quæ vni ipſi competit; nam & Moyſes Principibus a ſe electis dedit omnem poteſtatem, illa excepta quæ ad ipſum vnum ex diuina voluntate ſpectabat, hanc enim poteſtatem ſupremam Cæſar nullo modo a ſe abdicare poteſt, neque ſcindere vnitatem Imperij ſibi commiſſi, quoniam eſt vnicum, & indiuiduum, ſicut vnica eſt Eccleſia, hinc dixit Baldus iuriſperitiſſimus Imperatorem non poſſe a ſe abdicare Imperium etiã minima particula, quia per minimas particulas deueniretur ad interemptionem totius, totum diuendo per fruſta, & vt eiuſdem Baldi verbis vtar, Cæſar, qui eo pacto ſcinderet Imperium, diceretur proditor, homicida, & periurus, excederet enim fines mandatæ ſibi a Deo, & populo iuriſdictionis, & iuſiurandum violaret, quod initio præſtat de non minuendo, ſed augendo, & poſſent in eodem Principatu conſtitui duo, vel plura principia, quod eſſet abſurdum. Priuilegiũ ergo non ita quemquam eximet, vt Cæſaris officium ceſſet, poteſtas enim data eſt in ædificationem, non autem in deſtructionem, & cum ſit indiuidua transferri non poterit, licet vſus eius rectè communicetur, non etiam abdicatur Imperium, quoniam non dicitur eſſe in bonis Cæſaris vti hominis abdicantis, cuius morte reſoluitur officium, & non tranſmittitur, & cum officij reſolutione, reſoluitur etiam ius illius, qui de facto ab aliquo Cæſare tanquam homine ius aliquod acquiſiuit; nam nemo in præiudicium ſucceſſoris diſponere poteſt de aliquo iure officium ſibi mandatum concernente, cui icirco facultas pro libito reuocandi, & reſcindendi data eſt; decet enim vnitatem Imperij conſeruari, non autem ſcindi, & per eiuſmodi exemptiones reſolui, quia non poſſe eſſe perpetuum, quemadmodum eſſe debet.

Adde quod cum Imperium ſit a Deo, non poteſt ab homine alterari, hinc ſcribit eleganter Baldus, ſupremas Iuriſdictiones eſſe ſacrum ſacrorum, neque in Principis marſupio, qui icirco non poteſt Vrbes

habere

habere venales, & inquit Oldradus apud iuris ciuilis profeſſores receptam eſſe ſententiam, Imperium adeò cohærere oſſibus electi Cæſaris, vt nullo modo poſſit illud a ſe abdicare, cuius teſtimonium probant Ioannes Andreæ, & alij multi, inter quos Martinus de Laude clariſſimus iuriſconſultus in ſuo Tractatu de Principe ait, etiam expreſsè non poſſe abdicari id, per quod Imperij vnitas diſſiparetur, licet millies Imperator vellet, & quidem triplici ratione; prima, quoniam Cæſar eſt Dei legatus in terris; ſecunda, quoniam ideò Auguſtus dicitur, vt augere debeat, non minuere; tertia, quoniam hoc pacto eneruarentur Imperij vires. Nam ſi huic Cæſari liceret hunc populum eximere, ſanè liceret & alium, atque ſucceſſori eadem licentia pateret, itaq. ſucceſſu temporis Imperium reduceretur ad nihilum, quod tamen dictum eſt oportere eſſe perpetuum: addidit Baldus quartam rationem ab abſurdo, nam ſi Cæſar poſſet adeò a ſe aliquem eximere, nè amplius illi imperaret, ſequeretur quod ille exemptus in prouincia ſua maior eſſet ipſo Cæſare, & ſi Cæſar ibi delinqueret, poſſet ab illo puniri, quod eſt falſum & abſurdum: neque obijcias vſu compertum eſſe, & a ſeculis multis probatum, vt ſub titulo fœudi alienet abſque vlla reprehenſione, nam per hunc modum Imperij Maieſtas, & robur non minuitur, ſed augetur propter fidelitatem, quæ efficacius promittitur, & ſeruatur, & nihilominus Cæſar a ſe nihil abdicare dicitur, quoniam in perſona fidelis, & per illum omnia iura ſua conſeruat, & vnitatis vinculum non lædit, vt Baldus, Abbas, Ioannes de Imola, Innocentius, qui fuit Pontifex maximus, Angelus, Alexander, & Decius notant: Excepta igitur cauſa honeſti tamen fœudi (vt verba ipſa Interpretum iuris referam) etiam donatio Imperialis ad expropriationem territorij, dignitatis, vel iuriſdictionis abdicationē, ſeu diminutionem, neque valet, neque eſt poſſibilis, & ſecundum Alexandrum, Cæſar neque per viam contractus, neque alio quouis exquiſito colore poteſt diminuere, vel a ſe abdicare regalia neruum Imperij concernentia in præiudicium ſui culminis, idq. etiam alij probant; His confert, nam quemadmodum inter virum, & vxorem contrahitur matrimonium carnale, & œconomicum, ſic inter Cæſarem, & Remp. contrahitur morale, & politicum, & quemadmodum inter ſacerdotem, & Eccleſiam contrahitur matrimonium ſpirituale, & diuinum, ſic inter Cæſarem & Rempub. contrahitur terrenum, & temporale: & quemadmodum ſacerdos eſt in Eccleſia, & Eccleſia in ſacerdote coniunctione indiuidua, pari ratione eſt Cæſar in Repub. & Reſpub. in Cæſare, igitur quemadmodum vxor vnius viri ſcindi non poteſt in plures, neque dimitti, neque plures habere viros, quantumcumque vir velit, ità Reſpub. ſcindi non poterit a Cæ-

ſare,

ſare, neque deſeri, neque ſortiri plures Imperatores, vel qui ſeparatim habeant iura Imperatoris, a cuius oſſibus non poſſunt euelli; & quemadmodum a ſpirituali Eccleſia nemo in totum eximi poteſt, ſaltem quoad ſubiectionem, obedientiam, & reuerentiam, pari ratione nemo poterit eximi a temporali, cum ſpiritualis, & temporalis eadẽ ſit, duos tamen ſortita miniſtros alterum ab altero dependentem, & vnitatem reſpectiuè conſeruantes, & cum Imperium ſit a Deo, & Imperator Dei non ſuas gerat vices, nullo priuilegio remittere poteſt obedientiam, ſubiectionem, & reuerentiam ſecundũ Gulielmũ, & Oldradũ, quibus planè ſubſcribunt Baldus, Angelus, Ludouicus Romanus, Alexander, Balbus, Felinus, & alij, hac ratione cathedraticum remitti non poteſt, quia reſpicit neruum officij, neque ius corrigendi, quia reſpicit neruum poteſtatis: titulus autem Priuilegij expreſſi, & ſpecialiter conceſſi non poteſt eſſe tanti, vt quem ità eximat a Cæſare, ne ſubijciatur, ne obediat, ne reuereatur: pari ratione nec tributum eſt remiſſibile, quia reſpicit neruum vitæ, & maieſtatis, & proptereà Venetis panni auri præſtatio annua non potuit relaxari.

Hoc loco ſentio mihi grauiter obijci id, quod ſemper omnes deterruit à libera tractatione huius arduæ difficultatis, inquient enim hanc meam ſententiam adeò generalem eſſe, vt Cæſari ſubiectos, obedientes, ac reuerentes reddat etiam Reges illos, & populos, quos ab omni obedientia, & ſubiectione ergà Cæſarem exemptos omninò eſſe, ne dum Priuilegia teſtantur, ſed omnium Nationum, atque omnium ferè ætatum conſenſus, & ipſorum etiam iuris interpretum frequentia, & indubitata teſtimonia: Cæterum reſpondebo ſtatim hanc eſſe illam deteſtandam opiniònem, quam ego penitus antiquæ pro omnium ſalute & cupiò, & laboro, non enim lege & ratione aliqua fundatur, nec me mouet, quod à plurimis recipiatur, ſcriptum eſt enim, plurimorum ſententiæ in iudicio non acquieſces, vt à vero deuies: & leges iubent, non eſſe ex autorum multitudine iudicandum, cum præſertim iuris interpretes (ſi Decio credimus) plerunque conſueuerint inaduertentèr aliorum ſequi ſententias more auium, quæ ad vnius volatum temerè ſequuntur omnes, & iccircò arbitratus eſt illam quoque opinionem communem eſſe reſpuendam, cum qua Sereniſſimus ipſe Imperator ſentiat, quando contraria firmatur melioribus rationibus, vel expreſſa lege, neque enim frequens opinio pro lege ſemper habenda eſt. Omnes vero Reges Imperio ſubeſſe oſtendimus diuino & humano iure, ac multis iuriſprudentum teſtimonijs, ſpecialius autem Galliæ Regnum pertinere ad Imperium, atque illius eſſe membrum hiſtoriæ teſtantur. Nam Francones primi Marcomundo Duce illud inuaſerunt, & occupauerunt; primumq. Regem Ferramundum

mundum habuerunt, qui potius Tyrannus erat nuncupandus eò, quod non legitimo modo, ſed per vim eam dignitatem ſibi vſurpaſſet, alienā prouinciam ingrediens. Sunt tamen qui teſtantur Clodoueū Quintum Regem Primum ad Chriſtianam fidem conuerſum obtinuiſſe coronam auream lapillis inſtructam cum thunica, & Baltheo ex Conſtantinopoli ab Anaſtaſio Romanorum Imperatorem, quem icirco in ſuperiorem reuerenter agnouit, prius autem fuiſſe membrum Imperij teſtatur etiam inſcriptio epiſtolæ Iuſtiniani Cæſaris ad Senatū Vrbis Conſtantinopolitanæ ſuper emendatione Codicis, & epiſtola eiuſdem ad Baſsilianum magiſtrum militum, per Orientem. Item inſcriptio Imperialium Inſtitutionum, & Digeſtorum, & epiſtola Archadij, atque Honorij Auguſtorum ad Vincentium Præfectum prætorio Galliarum. Item capitularia Caroli Cæſaris, quæ in Gallia ſunt, in quibus inter cætera ait, volumus atque præcipimus, vt omnes noſtræ ditioni ſubiecti, tam Romani, quàm Franci, Alemanni, Bauari, Burgundiones, Saxones, Turingi, Friſones, Galli, Britones, Longobardi, Guaſcones, Beneuentani, Goti, Hiſpani, cæteriq. omnes ſubiecti nobis quocunque legis vinculo videantur aſtricti, vel conſuetudinario annexi more &c. & bellica Iulij Cæſaris acquiſitio, & aliorum Cæſarum conſeruatio, & recuperatio ius Imperij latè demonſtrant: hinc Decretorum Gloſator de Regibus Hiſpaniarum, & Franciæ verba faciens, inquit, eos pro capite proprio teneri etiam hodie Cæſari ad Tributum, & qui recuſare voluerit, oportere eum fateri nihil habere, lex enim eſt Cæſaris, quæ diſtinguit meum a tuo. De Rege Galliæ idem cenſuerunt Petrus de Antibo., Albericus, Petrus, Cynus, Baldus, Bertachinus, Imola, Hoſtienſis, Ioannes Andrea, Antonius de Butrio, Angelus, Iacobus de Beluiſio, Abbas, & alij; nec cecidit Cæſar à quaſi poſſeſſione dicti Regni, retinendo illam ſaltem animo, ex quo in hunc vſque diem habet ſuum Archicancellarium per Galliam nempè Archiepiſcopum Treuerenſem, quemadmodum conſtitutio Caroli Quarti, quæ appellatur aurea Bulla, declarat; nec à quaſi poſſeſſione Orbis, ex quo Eccleſia pro ſolo Cæſare adhuc vti omnium nationum, & Regnorum ſupremo Principe ſingulis annis orat, & in vniuerſalibus Concilijs nominatim conſulit illum ſolum, cui non icirco negligentia vlla poteſt adſcribi, ex quo vires illius debilitatæ ſunt; non igitur immeritò Baldus ſuo vocabulo appellauit truffam, quod Gulielmus Regem Galliæ ab Imperio exciperet, in cuius opinionem iuerunt plerique, & à magnis viris amplexum, atque de iure tenendam teſtatum reliquerunt vltrà iam citatos Antonius Corſettus, Martinus Laudenſis, ille in opuſculo de poteſtate Regia, hic in ſuo tractatu de Principe, & Balbus, vbi de

præſcri-

præſcriptione diſſeruit, atque Felinus Canonum interpres: nuncupatim quoque de ſubiectione Regis Hiſpaniarum vnà cum pleriſque ex iam citatis Baldus & Abbas Panormitanus teſtantur, quod enim Romani Cæſares Hiſpanias obtinuerint, & poſſederint, nedum ex hiſtorijs liquet, ſed etiam teſtimonio Pomponij iuriſconſulti, qui de Siciliæ, Sardiniæ, & Narbonenſis quoque Prouinciæ acquiſitione verba facit, Vlpiani, & Machabæorum, qui præterea multa Regna recenſent, Item ex duabus Epiſtolis Conſtantini Cæſaris ad Tiberium Comitem, ſiue Vicarium Hiſpaniarum, & ex duabus Epiſtolis Arcadij, & Honorij Auguſtorum ad patronum, ſiue Petronium Vicarium Hiſpaniæ, & ex eadem epiſtola Iuſtiniani ad Baſſilianum; neque glorientur Hiſpani, quod Regnum recuperarint è manu ſaracenorum, vel iure belli acquiſiuerint, quoniam cum ipſi recuperantes recuperationis tempore ſubditi Cæſarei fuerint, non ſibi ſed Cæſarei vniuerſa recuperarunt, acquiſita enim iure belli ſunt Imperatoris, præſertim in publicis iuribus, vt ſacra pagina non vno in loco monet, & prudentum interpretatione conſtitutum eſt: idem de Rege Cyri, atque de omnibus alijs Baldus notat: itaque ſupereſt confirmare, nullum Regem, Principem, nullumq. populum cuiuſuis priuilegij prætextu à Romani Cæſaris poteſtate, & Imperio ſe eximere poſſe. Interpretes autem, qui contrariam aliquando ſequuti ſunt ſententiam infœliciſſimum hunc rerum ſtatum prætulerunt; veritatem velint, nolint deſerentes vetante (vt in adagio eſſe dicunt) Platone; plerique verò non priuatiuè, ſed cumulatiuè (vt ita dicam) loquuti ſunt, pleriſque de voluntaria vel œconomica poteſtate intellexerunt, quemadmodum de villico illo legitur, qui etiam Regi domi ſuæ accubenti imperauit, & licet Baldus aliquando dixerit, quemlibet Regem in ſuo Regno eſſe Dei Vicarium in temporalibus, hinc non ſequitur, ipſum Regem ſupremo vni Principi non ſubeſſe. Nam præſupponit Baldus plures eſſe Vicarios Dei, & in neceſſitatibus recurrendum eſſe ait ad Regem, tamquàm ad Vicarium proximiorem, & ità ſentit ſuper hos Vicarios alium eminentiorem eſſe, qui cæteris præſit. igitur non de ſupremo, ſed de ſubalterno Vicario verba facere voluit, quo quidem modo quilibet Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu eſt Vicarius Chriſti, ſubalternus tamen, in hunc ſenſum etiam quilibet ſacerdos vocatur Chriſtus, iuxta illud, nolite tangere Chriſtos meos, & vocatur Deus, nam legitur, ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes, & nihilominus vnus eſt tantum Chriſti ſupremus Vicarius, vnus Aaron, vnus Moyſes, in populo ſancto Dei: qui quidem ſupremus temporalis (vt Abbati placuit) non aliter atque ſummus Pontifex in ſpiritualibus, in iuriſdictionis exercitio in temporalibus

ipſis cum quolibet Principe inferiore vti primus fons omnium, & vnicus iure concurret, aliquo priuilegio obſtante. Quod ſi fortè pertinacior quis foret; etiam concernentia neruum Imperij poſſe in alium ex priuilegio transferri, non tamen is inficiabitur. bis caſibus hoc ipſum priuilegium reuocabile eſſe ad nutum, & arbitrium Cæſaris etiā ſine cauſa, omnes enim qui ex priuilegio tenent, aut poſſident, dicuntur quaſi præcario tenere, & poſſidere, & iccirco ſecundum præcarij naturam poteſt ad libitum fieri reuocatio, Bartolus in Venetis exemplum ponit, quos dicit profiteri habere priuilegium ab Imperatore, qui poſſet, quandocumque vellet, illud reuocare, quoniam ei licet muttare voluntatem. & Carolus Cæſar villas quaſdam ademit Ciuitati Parmæ, quas conceſſit Hugoletto, & Ramondino, deinde dictam conceſſionem reuocauit, & illas tradidit Petro, neque iccirco eius geſta iure improbantur, aut igitur priuilegium nullum eſt, aut eſt ſaltem reuocabile, quod facilius contingere poſſet, ſi iuſta cauſa reuocationi daretur, vnde Baldus de Venetis ita ſcribit libertatem ab Imperio Romano recognoſcunt, & viuunt tamquam filij emancipati, debentq. illi reuerentiam, quam ſi non exhibent, poſſunt in ſeruitutem reuocari, tamquam ingrati, quia non ſunt liberi niſi per patientiam Imperatoris, vel ſpeciale priuilegium, quod alij ſucceſſores poſſent ſecundum Bartolum reuocare: abſque controuerſia autem hæc obtinent in ipſis iuriſdictionalibus, de quibus verba facimus, etiam ſi priuilegium datum foret, ſiue facta conceſſio homini non ſubdito, nam neque directò, neque per indirectum poteſt Cæſar ſibi ipſius illud ſupremum auferre, per quod licet priuilegia data reuocare, & ſubalternas iuriſdictiones nedum particularium, ſed etiam Ciuitatum, atque vniuerſitatum omnium ſupprimere pro libito voluntatis, vt Baldo placuit, atque Aretinus, Felinus, & alij valde probant: cùm enim ab ipſo Cæſare, ceu à mare quodam per conceſſiones, & confirmationes fluunt omnes iuriſdictiones, & ad ipſummet per appellationes & ſupplicationes refluant, meritò poteſt illas ad ſui libitum ſupprimere, quod ex ſacri conſilij Neapolitani relatione Carolus Quintus obſeruauit.

Præſcriptionis autem prætextum longè latèq. conſiderantem oportet me ſtatuere mortalium neminem ex ea cauſa rectè ſe tueri poſſe, quominus Romanum agnoſcat Imperium, & illi ſubſit, cum enim priuilegij titulus nihil proficiat, eò ceſſante non poterit interponi vlla præſcriptio, quoniam qui ſe a Cæſare ſubtrahit, & ſine illius nutu gerit ſe pro habente poteſtatem, & magiſtratum dicitur habere ingreſſum vitioſum, & incidit in crimen læſæ Maieſtatis, eſt ſiquidem pro forma neceſſarium diploma ipſius Cæſaris propria manu ſub-

ſcriptum, neque in contrarium præſcribi poteſt, quia contra legis formam nulla præſcriptio admittitur, qua non ſeruata actus eſt ſemper de neceſſitate nullus, & ſine fundamento nullum ponitur ædificium, hic autem vitioſus ingreſſus eò quod crimen habeat, non tribuit ius, & exemptionem, neque dignitati, aut beneficio vlli aditum præbet, ſed imo adimit, infamem, atque inhabilem reddit, punitionem poſcit, alioqui poſſet aliquis ex improbitate, & temeritate ſua conſequi præmium, & honorem, & redundaret in fauorem, quod in odium redundare deberet, illi præmium daretur, quem pœna ſequi debuiſſet, & firmaretur in eodem ſubiecto aliquid, cuius contrarium iam erat radicatum. quomodo enim vel antiquiſſimi temporis curſus poterit eos excuſare, qui in vſurpato magiſtratu, vel prætenſa exemptione contra ius morantur? cum ſcriptum ſit eò grauius fieri peccatum, quò diutius infœlicem animam detinet alligatam, quomodo etiam vlla præſcriptione, vel vllo temporis tractu poterit conualeſcere, vel defendi id quod initio non tenuit, cum lex id fieri poſſe neget? Præterea perſonæ priuatæ in ipſis initijs ſunt, & reputantur incapaces ſui natura Regnorum & Principatuum, & illius magiſtratus per quem quis eximitur a Cæſare ſine ipſius Cæſaris ſacro dipplomate; igitur ſi in Regno vel Principatu ſedent aliqui culmen Cæſareum non agnoſcentes absq. titulo, adhuc neceſſariò ſunt incapaces, & veluti poſſeſſores malæ fidei, vel mille annis non poterunt præſcribere, nam incapax non præſcribit in æternum, vt fiat capax, quia tempus non eſt modus inducendi capacitatem, quæ pendet ex ſolius Principis poteſtate, veluti de laico legimus, qui cum ſit ſpiritualium incapax, non ideò vnquam præſcribet, vt ea capiat. Amplius qui conatur ſe eximere a Cæſaris poteſtate, aufert ſcienter illius poteſtatem in ſe; & ſibi in alios vſurpat, ſcire enim quiſque ius præſertim diuinum præſumitur, & ſcientia illicò arguitur titulo deficiente, igitur nullo tempore vel æterno præſcribet; hanc ob cauſam ſancitum eſt, ne vlla recipiatur præſcriptio in occupatis, & inuaſis propter ſcientiam & dolum, nec quiſpiam dicat iure canonum iſta fuiſſe introducta; nam in materia præſcriptionis, quæ peccatum concernit ius ciuile non dedignatur ſacris canonibus cedere, quibus iccirco debemus inhærere; eſt enim iuriſprudentum crebriori calculo confirmata ſententia, quod iſto caſu ius Canonum emendarit ius Ciuile, & potuerit emendare propter peccatum, quemadmodum in alijs quoque caſibus, in quibus de animarum periculo tractatur, & ſanè abſque peccato eſſe non poteſt, qui quandocunque conuictus non reſtituit occupata, quod ipſum habet euidentiſſimum dolum, iure diuino mandante ne peccatum remittatur, donec reſtituatur ablatum, cum non detur venia niſi correcto,

neque

neque hoc loco vlla prætextu erroris, vel ignorantiæ excuſatio admittenda eſt, quoniam hic error, qui in iure conſiſteret, etiam iuſtus abſque titulo in æternum non daret alicui cauſam præſcribendi; imo etiã error iuſtus cum titulo in perſonis eorum, quibus ius commune reſiſtit, impedit præſcriptionem omnem contra illos, quibus idem ius aſſiſtit, & hinc fit quod ſi eiuſmodi perſonæ poſſidentes aliquando a poſſeſſione cadant, is cui ius aſſiſtit, poſſet ſua ſponte illam ingredi, neque vlla poſtea actione conueniretur ad reſtituendum propter iuris communis aſſiſtentiam, quod ius etiam Cæſari competere non videtur dubitandum: addas hoc in caſu, quod ſi is qui exemptionem, & imperium in alios ex præſcriptione prætenderet, eſſet fortè populus, vel aliqua vniuerſitas; tunc poſſet illud obijci, quod populus nunquam præſcribit, quando a principio fuit in mala fide, etiam omnibus mortuis, qui malam fidem habuerunt, quia populus dicitur ſemper idem licet ſinguli moriantur, & cum ſit idem conſequenter in eadem mala fide continuè perſtat, quòd præcipuè verum eſt ſecundum Canones, ſecundum quos mala fides autorum nocet etiam bonæ fidei ſucceſſoribus. Cæterum impoſſibile eſt in quæſtione, de qua quærimus intercedere aliquam præſcriptionem; nam nemo poteſt a ſeipſo incipere poſſidere in ſeipſo, nec ſibi ipſi qui eſt idoneus autor; nam inter dantem & recipientem debet eſſe diſtinctio perſonalis; imo in his, quæ concernunt Imperium, & iuriſdictionem non ſatis eſt habere cauſam ſiue titulum ab alio niſi a Cæſare, ſaltem mediatè, & propterea ſi Cæſar hodie requireret eiuſmodi Principes, vel vniuerſitates ad obedientiam, & ij recuſarent, dicunt Cæſarem contra eos prætendere poſſe actionem ſpoliati, non ſecus ac domino competit contra colonum, qui conſuetas penſiones præſtare recuſat, & poſſet eos vrgere, & ad officium reducere, abſurdum eſt enim inferiori concedere, vt ſe eximendo & ad libertatem prouocando, vel alteri ſe ſubijciendo ſui ſuperioris iuribus præiudicet, vel Cæſaris ius, cuius eſt incapax, interuertat, multò minus ad proprium commodum, quam alienum, ſubditi enim, & inferiores ipſi poſſidentur, & non poſſident, & contra dominum nihil habent, nimirum ſi contra eum nihil agunt, & nulli præſcriptionis initium facere poſſunt. Præterea, qui ipſis initijs non eſt natus exemptus, nullo temporis curſu eximetur; nam exemptio pendet ex priuilegio, antiquitas autem temporis in ijs, quæ non ſunt in commercio humano, prout non eſt exemptio a poteſtate Cæſaris, non eſt modus inducendi priuilegium, quinimò, qui ab initio talis non eſt, nullo temporis curſu etiam æterno efficietur talis; vnde qui non eſt oriundus Auximas, nullo temporis curſu efficietur, vt inde ſit oriundus, & qui non eſt prætor nullo tempore Magiſtratum præſcribet,

quamuis diutiſſimè in eo manſerit, & qui non eſt ſacerdos, nullo tempore præſcribet ſacerdotium, etiam ſi continuè exerceat; imò quandocunque detecti ipſo facto deponuntur: eodem pacto. qui non eſt tabellio, nullo tempore tabellionatum præſcribet, & ſemper conuictus falſi damnabitur, & vbicunque ab initio non conſtitit matrimonium, per quoſcunque actus matrimoniales, cuiuſcunque temporis curſu nō præſcribetur matrimonium, & quando quis non naſcitur ſuus ab initio, & ſuitatis capax, nullo tempore ſuitatem (vt vocant) præſcribet, & qui non eſt legitimus, vel ingenuus legitimationem, vel ingenuitatem tempore non acquiret, ſic etiam qui doctor non eſt, nullo tempore fiet, exerceat quos vult actus: quemadmodum qui non eſt ſeruus, licet ſeruiret mille annis, non iccirco fieret ſeruus. Eſt enim in his omnibus certa, eaq. perpetua ratio, vt quemadmodum nulli poſſeſſioni locus datur, quæ nunquam poteſt incipere; ſic nulli præſcriptioni detur, hinc Ioannes Monachus, & Ioannes Andreæ notant, ei qui ſit incapax alicuius iuris abſque Principis diſpenſatione etiam tempus illud non prodeſſe, cuius initij nulla extet memoria, quod & Antonius de Butrio, & Alexander de Imola rectè probant, quapropter homo priuatus ſibi vſurpans abſque Principis diplomate Magiſtratum, in æternum non præſcribet, vt ſit iuſtus Magiſtratus, quia nullus homo ex perſona ſua eſt aptus natus ad poſſidendum, ſeu præſcribendum magiſtratum contra Cæſarem priuatiuè in ijs potiſſimum, quæ concernunt eneruationem ſupremarum qualitatum eius. Accedat præſcriptionem eſſe iuris ciuilis, imò ipſorum Imperatorum inuentionem, nec eſt veriſimile, vt inuenta, vel inducta fuerit contra ipſum Autorem, quoniam contra naturam eſt, vt ſurgat effectus ad propria cauſæ interitum, vel deſtructionem; quinimò ſi Cæſar priuilegio aliquos expreſſim eximat non creditur ſenſiſſe, vt cedat præiuditio ſibi, vel domeſticis ſuis, vt Baldus, & alij diligenter non vno in loco ſcriptum reliquerunt, generalis enim ſermò, vel diſpoſitio nunquam includit perſonam loquentis, & diſponentis, quod idem in tacita diſpoſitione, quæ induceretur per præſcriptionem, recipiendum eſt, qui enim fieri potuit, vt Cæſar ſuam dignitatem præſcriptioni ſubijcere cogitarint; cuius autoritas in vnaquaque diſpoſitione ſuperintelligitur excepta, ne vllam ſentiat offenſionem: præterea cùm demonſtrauerimus mortale peccatum committi ab eo, qui Cæſarem non agnoſcit, imò hunc incidere in hæreſim, & crimen ariolandi non poteſt vlla præſcriptio concedi, quoniam vbi mortale peccatum, & animarum periculum verſatur in æternum non præſcribitur, quia nec incipit præſcriptio, & ciuiles inuentiones ad ius diuinum non trahuntur, cui ſubijci eas non proponi neceſſe eſt, & notum tamen

eſt

eſt omnibus humana, & poſitiua lege præſcriptiones omnes rectè tolli, quantò magis ergo reyciuntur iure diuino reſiſtente, aduerſus quod nemo meretur veniam, nec vllius admittitur excuſatio, alioqui ſecundum Oldendorpium, & furta, & homicidia, & alia id genus facinora excuſari poſſent antiquitate temporis, quibus (authore Sathana) in mundo nihil eſt antiquius, & vſurpari poſſet iure committi, quod quam ſit abſurdum omnes intelligunt, & ſi ad præiuditium iuris diuini non admittitur vlla, quamuis expraſſa diſpenſatio, minus admittenda eſt tacita per præſcriptionem, & longiſſimum temporis curſum. Inſuper cùm Cæſarea dignitas, & imperialis poteſtas omnino ſit inalienabilis tam in toto, quàm in parte, vt latè docuimus, fateri nos oportet eandem impræſcriptibilem eſſe, nec enim tacita alienatio efficacior eſſe poteſt, quàm expreſſa, idq omnes iuris interpretes vno ore admittunt, præſertim cum neque diuidi, vel ſcindi poſſit, quemadmodùm nec alia magna dignitas, cuius anima, & ſubſtantia eſt vnitas, & vniuerſalitas, quam ob cauſam præſcriptioni locus eſſe non poteſt. Deinde circumducto titulo priuilegij, is qui præſcriptioni inniteretur, neceſſario habuiſſet initium violentum, vel clandaſtinum, per quod nulla ciuilis poſſeſſio quæſita fuiſſet, quæ cum ſit in Cæſare radicata, ſiue ignoraſſet, ſiue etiam voluiſſet, non potuiſſet ab oſſibus eius euelli, naturalis autem ſola poſſeſſio, etiam ſi foret æterna, & purgata, non ſufficeret ad præſcriptionem, quia ex ciuili præſcribimus, & ex poſſeſſione, quam initio vacuam quis ingreditur, vacua verò eſſe non poteſt, quando ciuilis eſt penes alium, quoniam in eadem duo eodem tempore inſolidum eſſe non poſſunt, hoc in Cæſare potiſſimum eſt, qui continuè exercet Imperium, quo non poteſt vti niſi vniuerſo, & iure vniuerſi, quia eſt indiuiduum, & in qualibet parte exercitij totum, & iccirco illud conſeruat ſuper vniuerſos, per quam conſeruationem quotidie interrumperet quancumque præſcriptionem etiam in alijs partibus vſurpatis, quoniam in indiuiduis, qui in parte retinet, in alia interrumpit, cum dicatur non pati alium, vti qui vtendo non poteſt vti niſi toto, & præſertim cum hoc Imperium ſit à Deo, non à mundo, neque cohærens mundo, ſed oſſibus Cæſaris, propter quod vſurpato territorio, non iccirco poterit vſurpare, nam iuriſdictio, quæ cohæret mundo eſt paſſiua, & materialis, illa vero, quæ conſideratur in Cæſare eſt actiua, & formalis, qui ergo territorium vſurpat, iuriſdictionem quidem cohærentem aſſequi poteſt, ſed ſub Cæſare, & paſſiuè non ſupra, vel ſecus ab eo, imo ſi quis inferior ſpolietur actiua, cuius exercitium erat ſpoliato conceſſum, illico ad ſuperiorem proximum reuertitur, & non tranſit in vſurpantem. Itaque non inuenitur caſus, quo iuriſdictio actiua, &

formalis, quæ Cæſarem planè informat, ab eo aliquando recedat, & iure merito etiam hodie Cæſari competeret poteſtas reuocandi contumaces ad obedientiam, & qui recuſarent veri rebelles forent, & condemnandi eſſent, ac ſi hodie vſurparent, nam cum vſurpatio ſit actus ſucceſſiuus, etiam hodie dicerentur vſurpare, non obſtante aliquo lapſu temporis, eò magis, quod illa, quæ ſemel violentam habuerunt, per inuaſionem alterius, nec ab ipſo, nec à ſucceſſoribus eius canonico ſaltem iure præſcribi poſſunt, idem in clandeſtini vitio, quod violentiæ comparatur. Denique ne mendicatis vtamur ſuffragijs expreſſa lege ſancitum eſt neminem vllo tempore præſcribere poſſe, quominus ſubſit, reuereatur, & obediat, vnde Baldus inferebat, inferiorem iura epiſcopalia præſcribere non poſſe, quanto igitur minus imperialia? Inde etiam Pontifex inter inferiores pronuntians teſtatur Eccleſiæ Romanæ nullum fieri præiudicium, ſi quando fortè ius ſuum duxerit perſequendum. Lotharius quoque & Federicus Cæſares fœuda alienata reuocari decernunt nulla obſtante præſcriptione, quod ſi fœuda, quæ per accidens ad conſeruationem Imperij, & Principatus inuenta ſunt, præſcriptioni non ſubiacent, multo minus illa ſubiacebunt, quæ ipſius Imperij neruum & ſubſtantiam concernunt, neque placet interpretum aliquot ſententia dicentium his verbis legis prohibitiuis etiam vniuerſalibus non excludi præſcriptionem centum annorum, neque illam, cuius initij non extet memoria; nam hæc interpretatio verbis legis aduerſatur, quemadmodum enim qui omne dicit, nihil excludit, pariter qui dicit nullum, nihil includit, & qui voluerit admittere præſcriptionem aliquam, reddet falſam dictarum legum orationem, quoniam vniuerſalis negatio in parte falſa redditur in totum falſa, & ſi in alijs legibus, quibus nulla permittitur præſcriptio, interpretamur omnem omninò præſcriptionem eſſe ſublatam etiam ſi eſſet initij immemorabilis non video, cur non idem dicendum ſit in ſanctionibus citatis Corradi, & Federici. Nam hoc idem ſuper ea conſtitutione receptum eſt, qua Anaſtaſius Imperator conſtituit ne Tributa, quæ ad recognitionem vniuerſalis dominij præſtantur vllo tempore tolli poſſint, etiam ſi eius initij non extaret memoria, quod & Hoſtienſis, & Balbus probant, idem in crimine falſi, cui nullo tempore præſcribi contra Eccleſiam lex inquit, & ſecundum crebriorem ſententiam excluſa intelligitur nedum centenaria, ſed etiam initij immemorabilis præſcriptio, idem in cauſis, & ſpiritualibus pœnis, idem in crimine partus ſuppoſiti, in parricidio, in colono, qui etiam ſi mille annis teneret, non præſcribit, quia lex inquit ſimpliciter eum non præſcribere, in emphiteuta, in Vaſſallo, & fœudo, in decimis, in viſitatione ſeu procuratione ſuperioris, in confeſſoris electione, & multis

alijs

alijs caſibus comprobatum eſt; nam verbum illud, nullum, relatum ad tempus excludit etiam ſpatium centum annorum, & vltra ſecundum Paulum de Caſtro, cum præſertim ſubiecta materia curſum tēporis non admittit; accedat intentioni noſtræ Imperatoris Zenonis reſcriptum in hæc verba, diligenter inueſtigare decernimus, qui publici ab initio fontes, vel cum eſſent ab initio fontes priuati, poſtquam vſum publicum præbuerunt, ad priuatorum vſum conuerſi ſunt, ſiue ſacris apicibus per ſubreptionem impetratis, ac multo amplius ſi autoritate illicita, nec appetito colore ſacri oraculi huiuſmodi aliquid pertentatum fuiſſe dinoſcitur, vt ius ſuum Regiæ Ciuitati reſtituatur, & quod publici fuit, aliquando minime ſit priuatum, ſed ad cōmunes vſus recurrat, ſacris oraculis, vel pragmaticis ſanctionibus aduerſus commoditatem vrbis, quibuſdam impartitis iure caſſandis, nec longi temporis præſcriptione ad circumſcribenda Ciuitatis iura profutura, ſi igitur ius publicum præſcribi non poteſt, vt aliquando ſit priuatum, quanto minus imperialis dignitas præſcribi poterit! Audi (ſi libet) Caium iuriſconſultum, vſucapionem (ait) recipiunt maxime res corporales exceptis rebus ſacris, ſanctis, publicis, populi Romani, &c. quod ſi res, quæ ſunt in vſu populi Romani præſcribi non poſſunt, ſanè Imperij poteſtas non præſcribitur, hæc eſt enim in vſu eiuſmodi populi, & Cæſaris ab eo cauſam habentis. Audi & Paulum dicentem, ius Cæſaris in cōmercio hominum non eſſe: concludamus denique etiam immemorabilis initij præſcriptionem alligari non poſſe vbicunque lex, uel ſimpliciter præſcriptioni reſiſtit, quam ſententiam poſt Bartolum Antonium de Butrio, Abbatem, & Caſtrenſem, Frāciſcus Ripa Doctor inſignis veriorem eſſe teſtatur, & iuxta lege reſiſtente neminem contra Cæſarem quocunque temporis lapſu præſcribere potuiſſe, quia (vt ſcribit Baldus) cum iſta de quibus quærimus, Cæſari ſint in ſignum vniuerſalis dominij reſeruata, & ſupremam poteſtatem concernant, præſcriptionem non poſſunt recipere, ne confundatur Imperium, quod ſtatuit Deus eſſe vnicum, & æternum; idē ſentit Alexander, idem Ioannes Andrea propterea inferens obedientiā, reuerentiam, atque ipſam principalem ſubiectionem eſſe impræſcriptibilem, quam illationem omnes Doctores probant, & alibi Baldus inquit, Cæſarem neque præſcribere, neque in eum præſcribi, eò quòd eū habeat poteſtatis plenitudinem, nihil ei deeſſe poteſt, aut per præſcriptionem quicquid adijci, quemadmodum de ſummo ſacerdote circa ſpiritualia tradunt, eſt enim Cæſar veluti paterfamilias totius orbis, & quemadmodum contra patrem familias ſingularem domeſtici, & familiares non præſcribunt, quia non proprio, ſed illius nomine tenent, pari ratione quamuis Cæſar a ſuis miniſtris, & coadiutoribus

ex communicatione patiatur tractari munus ſuum in aliquibus partibus, non ideò priuatur iure ſuo: Ancharanus quoque ait, contra Imperium, & obedientiam illi debitam non currere vllam præſcriptionem, quia non poſſumus eſſe a cephali, nempe ſine capite, ſi quidē habet Cæſar eam poteſtatis plenitudinem, cuius omnis alius eſt incapax, & habet illam ſolus a Deo, quam alius neque poſſidere & minus præſcribere poteſt, & quemadmodum ſummum ſacerdotium eſt indiuiduum, & immutabile, ſic Imperium. Item quemadmodum contra priuilegium Prælationis, quo ſummus ſacerdos ſuper alijs ſacerdotibus obtinet Principatum, nulla currit præſcriptio. Idem dicendum eſt de ſupremo Cæſaris priuilegio; quinimò apud fideles alterius ex illis plenitudinem poteſtatis vſurpare contendens eſt cenſendus hæreticus, & omninò incapax illius, igitur præſcriptio ſit impoſſibilis; hinc Baldus ſeſe declarans dicere conſueuit, quod quando ipſe loquitur de præſcriptione regalium, non intelligit ad Cæſaris præiudicium, quoniam vtens reſeruatis Cæſari capitali pœna punitur etiam ſi eſſent ſimplicia ornamenta Imperialia, nedum ea, quæ concernunt Imperij ſubſtantiam, tantum abeſt, vt præſcribi poſſint, quæ cum ſuperior non admittat, conſequens eſt vt inferior non præſcribat: hinc etiam notat Oldendorpius, inferiores aduerſus legitimam obedientiam magiſtratus nullam præſcriptionem allegare poſſe, quoniam iure diuino & humano talis obedientia præcipitur, ſubdens, multo minus ea, quæ reſeruata ſunt ſupremæ poteſtati tolli poſſe vllo tempore; conſentit huic Alexander, quoniam plura capita quaſi monſtrum Ciuitas, vel Orbis eodem tempore non poteſt habere abſque imminenti certo periculo, & dum ipſe ponit merum Imperium præſcribi, non intelligit contra Imperatorem, ita vt ſic priuatus, quoniam id reputat impoſſibile, quia nullus contra ipſum poteſt adipiſci poſſeſſionem ei ſoli a Deo immutabiliter datam, eſſemus namq. acephali ſi contra Cæſarem actiuè a quoquam præſcribi poſſet, etiam immemorabilis initij tempore; nam alij ſunt vocati ad partem oneris, & ſolicitudinis tantum, & ſecundum Alexandrum, ſecus præſumentes incidunt in crimen læſæ maieſtatis, ex ſententia Innocentij, & Antonij de Butrio; imo ipſemet Cæſar non poſſet hanc ſuam diuinam poteſtatem interuertere; hanc met ſententiam ſequuti ſunt Cynus, & Salycetus, & Aegidius Boſſius crebriori calculo receptam teſtatur, hinc dictum eſt ſubditum, qui neget obedientiam peccare, non tamen ſuperiori præiudicare, quoniam nemo poteſt ſe eximere a Cæſare, quamuis malo & diſcolo, nec per ſubditi rebellionem cadit Cæſar a ſua quaſi poſſeſſione, qui ſemper vtitur iuriſdictione Imperij nomine penes quod intelligitur eſſe vniuerſalis poſſeſſio: ſubſcribit pariter Oldradus, quem Paulus

lus

lus de Caſtro vocat patrem legum, poſt Aretinum, item Balbus, Calderinus, Abbas, Felinus, Iaſon, Raphael Fulgoſius, Raphael Cumanus, Roſſellius, Andreas Siculus, Lappus, iterum Alexander & Baldus, dicens ſupremam iurisdictionem directam, vel vtilem quæ ſit excluſiua directæ præſcribi non poſſe, quod & alij non audent improbare, nè contingat ſecundùm Salomonem per hanc præſcriptionẽ, vt efficiamur ſicut locuſtæ; quemadmodum igitur ſummus Pontifex in ſpiritualibus neque præſcribit, neque in eum præſcribitur, quoniam omnes Eccleſiæ orbis ſuæ ſunt, & eſt ſupra poſſidentes, vt ab omnibus receptum eſt, pari ratione tandem concludamus neminem poſſe ſe tueri in temporalibus aduerſus Cæſarem, & Imperatorẽ omnium dominum cuiuſcunque præſcriptionis prætextu, ſeu excuſatione, quod in Græcorum perſonis pronuntiatum eſt. hinc manifeſtũ fit, quod cum Tributa concernant ſubſtantiam & neruum Imperij, & à iure diuino præcipiantur, iuxta illud Apoſtoli, ideò enim Tributa præſtatis, quia miniſtri Dei ſunt, propter quod omnes Reges pro eorum capite tenentur Cæſari ad Tributum, nulla præſcriptione perimi poterunt etiam ſi tempus immemorabilis initij lapſum eſſet, quæ ſententia communi calculò interpretum confirmata eſt, quemadmodum de decima ſcribitur, quæ iure diuino ſacerdoti debetur, & concernit neruum, & ſubſtantiam ſacerdotij: accedente præſertim incapacitate ſubiecti. Non enim quilibet eſt Tributi capax; ſed ſolus Cæſar, & Princeps Dei; licet ex diſpenſatione quis fieri poſſet capax; ſed non temporis curſu, quoniã tempus licet æternũ non eſt modus diſpenſandi, vel faciendi quẽ capacẽ, vt ferè omnes docẽt, ſed ſola diuina vocatio: neque iſto caſu ſumi poteſt argumentũ a priuilegio, & diſpenſatione ad præſcriptionem; quoniam horum duorum terminorum parificatio non procedit, vbi lex negat, aliquid acquiri poſſe, præterquam priuilegij titulo propter naturam quandam præcipuam, & raram ſubiecti, quo caſu licet priuilegium lex concedat, non ideò præſcriptionem admittit, & propterea quamuis ex priuilegio ſacerdos aliquis criſmare poſſit, non tamen idem prætextu alicuius præſcriptionis, vel conſuetudinis recipitur ſimili modo Archiepiſcopus vti poteſt pallio extra prouinciam ex priuilegio, ſed non ex conſuetudine, vel præſcriptione: neque dubitare oportet in caſu noſtro tranſlationem Cæſareæ poteſtatis prohibitam dici propter naturam raram, & præcipuam ſubiecti: amplius eadem parificatio non procedit in perſona, quæ ſit incapax ratione ſui, & initio non poteſt poſſidere, quoniam licet priuilegium poſſit quem facere capacem, temporis diuturnitas non poterit, vt iam diximus: initio verò omnes præter Cæſarem ſunt Imperij incapaces: & vbicumque

lex

lex communis expreſſim reſiſtit, & contradicit præſcriptioni, vel conſuetudini, vel poſſeſſioni; tunc nulla diuturnitas prodeſt, quamuis prodeſſet priuilegium, qua ratione Felinus reprehendendo Abbatem Panormitanum ſuper quodam illius conſilio, ait, non eſſe dicendum, quod vbi lex reſiſtit præſcriptioni, ipſum tempus illam inducat, etiam ſi memoria initij non extaret, & quod faciat præſcriptibilem rem, quæ eſt impræſcriptibilis, quoniam tempus non eſt ſupra legem reſiſtentem, ſed ſub lege; addens, quod licet lex derogando præſcriptioni non intelligatur derogaſſe illi, cuius initij non extat memoria, quæq. excedit annos centum, ſecundum opinionem aliquorum, id tamen ſecus eſt, vbi ſubiectum ipſum alioqui eſt inhabile, & lex reſiſtendo rem afficit mandando, ne præſcribatur, quemadmodum in materia noſtra; itaque Felinus declarat data capacite, ſine qua eſt clarum, nullam incipere, vel detinere poſſe præſcriptionem, & profectò, qui ſecus diceret, fateri cogetur etiam poſſe præſcribi tempore, ne delicta eſſent delicta, quod eſt ipſa natura ſuadente falſum. Inſuper dicta æquiparatio non procedit, vbi rumperetur neruus imperialis poteſtatis, & autoritatis, tunc enim licet priuilegium prodeſſet, quod ipſum ſemel inficiatus ſum, præſcriptio tamen, vel conſuetudo nihil operaretur, neque interponi poſſet, nec etiam procedit, vbi magnum onus redundat Imperio, quid autem grauius Imperio accidere poteſt, quàm concedere, vt aliquo prætextu liceat Regibus, Rebuſpub. cæteriſq. Principibus Imperij poteſtatem ſupremam actiuam, & formalem, & declinare, & vſurpare? ſane ſi vllum priuilegium quis concederet, valeret, non tamen conſuetudinem vllam, vel præſcriptionem iure admitteret: Nam quod lex prohibet, & à præſcriptione actu ſimul, & habitu excluditur, nulla conſuetudine introducitur; Hæc omnia infraſcriptis rationibus magis, magiſq. confirmari poſſunt, nam generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis veriſimiliter in ſpecie non eſſet conceſſurus, vel ſaltem cum difficultate, ea verò, quæ in dubio in generali conceſſione non comprehenduntur, non ſubiacent alicui præſcriptioni, vel conſuetudini, etiam immemorabilis initij, non eſt autem veriſimile, quòd Cæſar Imperij membra à ſe abdicaret, vel ſaltem difficile eius plenum vſum alteri concederet: Amplius, fruſtra legis auxilium implorat, qui committit in legem, ſed qui præſcriptionis prætextu conatur eximere ſe ab Imperio, agit contra legem, quæ iubet Cæſari obediendum eſſe, igitur eiuſdem legis beneficio vti non poteſt, præſcriptio enim ſiue longa, ſiue breuis qualibet a nullo alio iure pendet, nec aliunde cauſam ſortita eſt, quam a lege & ciuili, & Cæſarea, quo fortiſſimo argumento in hoc ipſo tractationis genere vſi ſunt doctiſſimi viri: Ad hæc, præſcriptionis proprium eſt, & natu-

naturale, vt ſolummodo ius priuatum acquirat perſonæ vti priuatæ, neque poteſt aliud commodum afferre, quàm priuatum, ſed quæ concernunt imperium, & ſubſtantiam illius, ſunt iuris publici non autẽ priuati: igitur vera ſtatuatur concluſio, ea quæ imperij ſunt nulli præſcriptioni ſubiacere. Quòd ſi fortè contra veritatem pertinacibus concedere voluerimus ea, quæ imperij ſunt præſcriptione acquiri poſſe, nihilominus contendam eandem acquiſitionem reſpectu obedientiæ, ſubiectionis, & reuerentiæ non priuatiuè ad Cæſarem, ſed cumulatiuè contingere oportere, nam licet præſcriptio, quæ venit ad damnum priuati hominis, & ad tranſlationem priuati, & inferioris iuris iuxta naturam ſuam verè priuet, ſecundum quem ſenſum recipio opinionem Ioannis de Platea, & ſequacium volentium poſſe præſcribi merum imperium in gradibus videlicet inferioribus tantum ad exercitium, & effectum priuatum, vt ipſa lex, quæ hoc præcipit, demonſtrat, ex quo illam promulgans non erat icci rco poteſtate ſua priuatus; tamen quando ex aduerſo præſcriptioni iminet ius publicum circa quod non habet vires, nunquam priuat, ſed cumulat, nec acquirit eum eo, ſed ſub eo, ſecundum quem ſenſum interpretor opinionem illorum, qui tenent merum imperium præſcribi non poſſe, videlicet priuatiuè in ſupremis gradibus, quod Baldus apertè docet inquiens, & adeò ſuperiorem excludi dicunt, niſi ſit Princeps, qui ſupremam habet poteſtatem, & in hunc ſenſum notat Abbas hanc opinionẽ eſſe in praxi: obſeruandam cui non aduerſatur Innocentij tertij Pontificis maximi reſcriptum, quod Abbas, qui eſt inferior Epiſcopo tempore potuerit præſcribere iura Epiſcopalia etiam priuatiuè, quoniam eo in caſu quamuis Abbas ille eſſet inferior ordine, & dignitate, non tamen ratione ſubiectionis, & cum Abbas Epiſcopo non ſubeſſet in pari cauſa reſpectu rei contentioſæ eſſe dicebantur, & ambo erant inferiores, ità in prophanis domincellus contra domincellum etiam ſe maiorem iuriſdictionalia quoque tanquàm iura priuata, & rebus ipſis cohærentia rectè præſcribit omnino, & hoc modo declaro mentem Abbatis notantis contra ſuperiorem præſcribi poſſe, ſuperiorem ſcilicet gradu, & dignitate, non autem poteſtate, & ſuperiorem a Cæſare ipſo inferiorem, nam quod contra ſuperiorem poteſtate non poſſit præſcribi priuatiuè ex eo manifeſtum fiet, quod ſuperiori data eſt poteſtas interponendi ſuas partes contra inferiorem deſidem quantumcūque præſcripſerit, quod illi vtique non poſſet licere, ſi ſuprema eius poteſtate fuiſſet per præſcriptionem priuatus, neque enim abſurdum videri debet, quandoquidem iuriſdictio eſt eius naturæ, vt apud plures eadem inſolidum eodem tempore eſſe non prohibeatur, cuius rei gratia multa iura ſedari poſſunt, quæ fortè aliquibus aduerſari viderẽ-

derentur, ſicuti conciliari quidem rectè debent ea ratione, quod de gradibus inferioribus, & inter inferiores ipſos agant, ac tractent; nã & hoc ipſum tunc verum eſſe dicunt, nempè inferiorem præſcribere contra dependentem ſuperiorem priuatiuè dummodo ſit vigil in acquiſito munere exercendo, alioqui deſidia intercedente adhuc ſuperior ipſe ſeſe interponet ex generali ſua poteſtate, cui præſcriptio non derogauit: ſi itaq. ſuperiori hoc aliquando licet; conſtat habitu non fuiſſe priuatum, neque ſubditum præſcripſiſſe priuatiuè ad ſuperioritatem ipſam, quoniam qui omnino priuatus eſt nullo iure in re aliena ſeſe ingerere debet, priuatio autem actualis exercitij non infert ad poteſtatem ipſam formalem: hæc eadem quæ dicta ſunt intercedente deſidia licent ſuperiori etiam abſente eo, qui præſcripſit, vel vacante, vel aliter impedito, vti ſuperiori, & generalem poteſtatem nihilominus retinenti. Quæ ſententia confirmatur adhuc alijs rationibus, nam qui nobis aduerſantur, illud concedunt præſcriptionem priuilegio comparari, neque vltra præſcribi, quam concedi priuilegio, ſed per priuilegium non ita priuatur concedens, quin habitu retineat, quamuis actu priuetur arbitrio tamen proprio, quoniam vnuſquiſque per priuilegium tenens videtur quaſi precario tenere, & poſſidere: & eſt ſumma cum diligentia animaduertendum, nam poſſeſſio, vel quaſi, quæ eſt in Cæſare reſpectu ſui eſt ipſius imperij, ſeu circa imperium, & dominationem, reſpectu ſubditorum eſt ſubiectionis, ſeu circa eam, hæc in ſubditos non poteſt transferri, quoniam non poſſunt ſubijci ſibimetipſis, & cum non transferatur, a Cæſare non recedit: illa verò quaſi poſſeſſio, quam Principes olim ſubditi pro aſſerta libertate, vel exemptione adducunt, non fuit, neque eſt in Cæſare ſaltem actu; imò reſpectu ſubditorum (vt ita loquar) non erat in rerum natura, neque eſt, igitur eandem a Cæſare non poſſunt acquirere, quem non habentem priuare non poſſunt, vt autem quis præſcribat contra aliquem, debet etiam re ipſa acquirere poſſeſſionem ab aliquo, ſeu quæ fuerit in aliquo: hinc eſt dictum, quod quamuis Cæſar omnimodam poteſtatē, & imperium concedat, & planè transferat, non tamen eneruantur vires Imperij iuxta illud, ego do, & nihil mihi abeſt: imò conceſſa exemptione aliquibus contra ſuperioris dependentes, nihilominus ij non ita intelliguntur exempti, quominus alijs a quibus eximuntur, ſubiecti remaneant quo ad ea ſaltem quæ reſpiciunt ordinariam ſubſtantiam, & eſſentiam ſuperioritatis, & icirco non obſtante quacunque exemptione ſub quauis verborum formula, neque obſtante vlla præſcriptione Romano Imperio omnes remanent ſubditi, ſi quidem priuilegium releuat in conceſſibilibus, præſcriptio in præſcriptibilibus non in illis quæ concedi non poſſunt, vel præſcribi, quam ob cauſam in

ſam in procuratione, & cathedratico nulla labitur præſcriptio: & præmiſſæ concluſioni meæ ſatis confert, nam vbi extat vniuerſalis præfectus, vel præſes, ſi concesſione, vel decreto ſpeciali ſuper aliquibus quis Iudex conſtituatur, eiuſmodi conſtitutio capitur cumulatiuè tantum, & communicatiuè, quia in illis, quæ poſſunt eſſe apud plures in ſolidum veluti eſt iuriſdictio, non videtur ademptum vni habenti, quod eſt conceſſum alteri, adeò quod in iuriſdictione quæcunque acquiſitio nunquam venit priuatiuè ad habentem genus illius; Exemplum huius concluſionis ponitur in Eccleſia fundata ſub ea lege, vt ſubſit Abbati planè nihilominus erit etiam ſubiecta Epiſcopo habenti iuriſdictionem generalem; & inquit Baldus, quod quando poteſtas vnius ſubalternatur alteri, quemadmodum ſunt omnes poteſtates Orbis terrarum ad Cæſarem, nunquam ſpecialis poteſtas venit priuatiuè ad generalem, ſed tanquam ſub ea, quoniam vbicunque Princeps demandat, ſiue delegat expreſſè alteri cognitionem cauſarū, etiam generali verbo reſpectu ſui ſemper intelligitur cumulatiuè, & communicatiuè, non autem ablatiuè, vel priuatiuè, & ne maioris virtutis inueniatur eſſe tacitum, quam expreſſum, dicamus idem fore per tacitam demandationem, quæ ex aſſerta præſcriptione contingeret, ne quid amplius inducat. Non tamen prætereundum eſſe exiſtimo apud omnes interpretes abſque controuerſia notari Romanum Cæſarem habitu ſaltem in quoſuis exemptos Imperium, & iuriſdictionem retinere, quæ quidem habitualis poteſtas in eo proficua potiſſimum eſt, quod intercedente negligentia, vel deſidia, vel abuſu, vel abſentia, præſcribentium, vel vocatione, vel alio impedimento naturæ, ſeu accidentis Cæſar poteſt, imò debet ſuas partes interponere, ac ſi actu quoque retinuiſſet, vt iam probari, & ab ipſis præſcribentibus eſt ad ipſum Cæſarem appellandum, debentq. præſcribentes eiuſmodi appellationibus humiliter differre non obſtante quacunque præſcriptione, id enim pertinet ad proprietatem ſupremæ poteſtatis, quæ eſt omnino impræſcriptibilis, hinc dixit Abbas huius habitualis retentionis intuitio, quod etiam hodie data negligentia Regum, Principum, & populorum, qui de facto nolunt Cæſarem agnoſcere, ſiue exemptionem præſcripſerint, ſiue non Cæſar ipſe tanquam ſupremus ordinarius poteſt adire, & is poteſt, debetq. ſe ingerere, nec pati Chriſtianam Rempublicam, ſibi a Deo commiſſam in aliqua parte per deſidiam, vel tyrannidem læti, aut vulnerari, ſi quidem Cæſar per nullam præſcriptionem cadit ab hoc abſoluto, & ſupremo iure ſupplendi negligentiā Principum, vel coercendi eorum fauorem tanquam caput a Deo datum, & cognoſcendi de iniuſtitia Regum, cuius deſidia, & negligentia, ſeu abuſus pœna eſt, vt negligens, vel abutens deponatur ab exercitio,

citio, & poteſtate, & iuribus quibuſcunque priuetur ad ipſum Cæſarem, tanquàm fontem reuolutis, & hi ſunt huius habitualis poteſtatis nobiliores effectus.

Poſtremò hic præſcriptionis titulus non videtur alligantibus admodum proficuus, neque perpetuus, quandoquidem præſcriptio exiſtens, beneficium meri iuris ciuilis, & a Cæſare vltro collatum, poteſt etiam ſi ſit perfecta ad eiuſdem Cæſaris nutum, & arbitrium reuocari eadem poteſtate, qua fuit introducta, licet ſecundum aliquos cogatur Cæſar adÿcere tantummodo clauſulam non obſtante lege contraria, non propter poteſtatis imbecillitatem, ſed propter voluntatis difficultatem, quamuis præſcriptio ſit adeò antiqua, vt illius initÿ memoria non exiſtat cum præſertim Imperium non hæreditario iure deferatur, quo caſu præſcriptio perfecta contrà vnum nunquam obeſt ſucceſſori, ſed neceſſaria eſt noua præſcriptio ità quod, vt quilibet Cæſar excluderetur oporteret contra quemlibet cucurriſſe nouam, & integram præſcriptionem, quæ ſicut non poteſt intercedere, ita falſum eſt a quocunque rectè ad Cæſaris excluſionem adduci poſſe, qui vel exinde nullam offenſionem contrahet; vel contractam poterit reſtituere, ſuamq. imperialem maieſtatem apud omnes illæſam, & ſemper adorandam conſeruare.

Supereſt de conſuetudine verba facere, circa quam præmittere conuenit, quid ipſa ſit, & aliquot principales differentias inter ipſam, & præſcriptionem referre, vt facilius rem, de qua quærimus, intelligamus: eſt autem conſuetudo iùs publicum non ſcriptum moribus hominum rationabilibus introductum ex tacito conſenſu populi, vel maioris partis habentis poteſtatem legis condendæ frequens immediatè; quod pro lege ſcienter ſuſcipitur: huius multiplex eſt ſpecies, alia inducitur ſpatio decem annorum, alia longiori tempore, cuius initÿ non habetur memoria, & exigit quaſdam qualitates, vt legitimè, & canonicè dicatur inducta, quas Io. Andrea, Antonius de Butrio, Abbas, & alÿ ſuis locis latiſſimè explicant: è contrario autem præſcriptio eſt legalis acquiſitio iuris alterius per certi temporis continuatam poſſeſſionem, vel quaſi ciuilem cum bona fide, ne dominia rerum, & iura priuata perpetuò eſſent in incerto: hæc duo igitur longè differunt; nã per conſuetudinem de iure publico introducendo agimus, quod prius non erat nemini quiquam auferendo, & inter illos tantum, inter quos actuum frequentia fuit, ità quod tranſierint in notionem vniuerſi populi, vel maioris partis: Sed præſcriptio verſatur circa id, quod prius erat, & ſui natura vni aufert, alteri tribuit, & propterea dicitur iniquum, atque odioſum remediũ acquirendi, neque poteſt obÿci, vbicunque Iudex tenetur iudicare ex æquitate, cui aduerſatur:

Deinde conſuetudinis proprium eſt, quod agens ſciat, & agat ea intentione, vt conſuetudinem inducat determinatè, quia per errorem ſine conſenſu certo non poteſt induci, & inde ſi populus mille annis aliquid ſeruaret, non ideo induceretur conſuetudo, niſi de ea animorum determinatione conſtaret: Contrarium eſt in præſcriptione, nam ſi quis intelligeret, & ſciret ſe præſcribere, vtique illicò ſciret rem eſſe alienam, & cum primum incipit ſcientia, incipit mala fides, quæ præſcriptionem penitus interimit. Inſuper præſcriptio eſt vnius, conſuetudo plurium, & vniuerſorum, & de ſingulis ad ſingulos, vel de ſingulis ad vniuerſos præſcriptio eſt, de vniuerſis autem ad vniuerſos, vel ad ſingulos eſt conſuetudo. Item conſuetudo non requirit poſſeſſionem aliquam, vel quaſi in acquirente, ſed ſolummodo actuum frequentiam, pacificam, & approbatam, quæ licet reſpectu ipſius populi, cui acquirit, videatur includere quandam ſpeciem præſcriptionis, tamen cum reſpectu aliorum nihil auferat non propriè dicitur præſcriptio, itaque ſecundum Baldum, conſuetudo erit ius diſponens, & faciens, ſed præſcriptio erit ius partis diſpoſitiuum remota conſuetudine, idq. colligitur ex omnibus legibus dicentibus iuriſdictiones tempore acquiri, quæ nunquam vſurpant verbum præſcriptionis remota conſuetudine: & habet præſcriptio hanc naturam, vt ſolum currat contra negligentes, non poterit autem dici negligens, qui inuentus erit morari, & conniuere, non quia nolit perſequi ius ſuum, ſed quia ſi mallet, non poſſet obtinere, vel expugnare, aut ſaltem difficile, & cũ periculo venieret, & expugnaret, quemadmodum fecere multi Cæſares conniuentes, non quia ius Imperij neglexerint, ſed quia Rempub. Chriſtianam turbare noluerunt: Præterea præſcriptio reſpicit res, & bona, & per eam priuatis hominibus aufertur, & priuatis confertur, vt iam expoſitum fuit, ſed conſuetudo reſpicit mores, & politicã, & conſequenter ius publicũ ad regendum ſubditos, & quamuis adijciat nemini adimit, & iccirco nunquam venit priuatiuè, vel ablatiuè, ſed ſolummodo inductiuè, ex quibus omnibus facile vnicuique liquere poteſt in regendis; & gubernandis populis ab alijs populis poteſtate deficientibus contra Cæſarem ſupremum dominum ſaltem priuatiuè nihil conſuetudine induci poſſe, multo minus ab vno Rege, vel Principe, in quo tanquam vno non poteſt conſiſtere aliquot veſtigium conſuetudinis ſecundum relatas proprietates: & hæc ſententia confirmatur, nam conſuetudo quæuis longæua, & præſcripta, quando eſt contra leges, & ius commune non poteſt operari, niſi præcedat color tituli alicuius, alioquì vſurpanti nulla prodeſt temporis diuturni obſeruantia, & ſemper eſt emendandum ius illud, quod inuenitur etiam longo tempore vſurpatum, nam quod

quiſ-

quiſque ſua autoritate vſurpat, & nullo titulo poſſidere incipit, nulla conſuetudine vel præſcripta ei acquiri poteſt, quæ iure reſiſtente vix demum poteſt ad præiuditium priuatum, ſi priuilegio quoque nitatur, vel ſaltem immemorabilis initij antiquitas concurrat, quæ non ſufficit ad publicam læſionem, & Cæſaris, qui debet aliquid habere præcipuum, & licet ſcripſerit Balbus, imò conſuetudinem non exigere titulum, vel bonam fidem, illud veritatem habet quoad bonam fidem, reſpectu oneris probandi, nempè vt allegans eiuſmodi conſuetudinem non cogatur adijcere bonam fidem, non autem, inquit, apparente mala fide conſuetudinem recipi, ſed in quæſtione noſtra pro comperto habemus in mala fide eſſe, qui conſuetudinem aduerſus Cæſarem adfert, quem ſciunt omnes recuſari non poſſe, deinde nos loquimur in caſibus, in quibus ius commune nedum iuſtijs reſiſtit, ſed vlterius delictum punibile inducit, cùm vſurpans magiſtratum, & Cæſarem recuſans diuinam, & humanam lædat maieſtates, & vbi delictum initio inducitur, nulla conſuetudine effici poteſt, ne ſemper ſit delictum: præterea conſuetudo, quæ habuit initium clandeſtinum, vel violentum præſcribi non poteſt, quemadmodum ſuper præſcriptione ſcripſimus, à qua licet in hac parte ad conſuetudinem arguere: & nulla conſuetudine licet immemorabilis initij ſuperioris ius in corrigendo, & appellationibus ad eum deuoluendis lædi, aut aboleri poteſt: ſic in ſimili Archidiaconus non poteſt alicuius conſuetudinis prætextu venire contra Sanctorum Patrum conſtitutiones, & vendicare id, quod ad ſuum non pertinet officium: & legatus nulla conſuetudine ſeſe tueri poteſt, vt ſuo nomine quicquam agat, ſed legantis tantum, cuius vice fungitur, & cuius poteſtas eſt ſemper ſalua, quamuis agat ipſe: neque lex tribuens ius licitè habendi Caſtrum in limitibus ex conſuetudine, propterea eximit habentem à poteſtate Cæſaris, qui legem tulit, & potuit etiam diuerſum conſtituere: & ſi vlla conſuetudo contra Cæſarem aliquam vim haberet, iam Cæſar eiuſmodi conſuetudini ſubijceretur, quod eſſe non poteſt, nullam igitur vim habere dicamus, vel ſaltem eum nullo iure priuare, licet contra ſubditos operetur, quemadmodum de Plebano ſcribit Baldus, qui in ſuo Plebanatu fortè præſcripſit ius inſtituendi, quod eſt proprium Epiſcopi ſuperioris patientia, vel negligentia intercedente per antiquam quandam conſuetudinem, tamen illa conſuetudo licet proſit Plebano, non icciico oberit alteri Epiſcopo, vel in alio actu, nec ille Plebanus factus eſt Epiſcopus, imo eius Epiſcopi erit potius cumulatum, quam abſorptum, quod ſeruari inquit ab Epiſcopo Florentino.

Primum quamuis concederem conſuetudine aliquam poteſtatem acquiri poſſe, quia tamen approbatio, & improbatio cuiuscunque

conſue-

conſuetudinis pendet a nutu, & libera voluntate ipſius Cæſaris, & legiſlatoris eſſet leuis prætextus, & debile fundamentum; nam illam quandocunque tollere poſſet, & penitus abolere, quod ſemper Cæſari licuit, & non ſemel effectum mancipauit, potiſſimum quando conſuetudine ipſa quis abuteretur, etiam ſi conſuetudo eſſet adeò antiqua, vt initij illius non extaret memoria, nec vnquam fuiſſet interrupta: Ex his ergo omnibus ad laudem Dei optimi maximi, & Chriſtianæ fidei incrementum confirmata ſit apud omnes Chriſti fideles vera ſententia omnem animam de iure diuino ſubiectam eſſe in temporalibus Imperio ſacroſancto Romanorum, non obſtante vllo priuilegio, præſcriptione, vel conſuetudine, idq. credere, & obſeruare eſſe de neceſſitate ſalutis æternæ, & mundanæ ſalua ſemper ſacroſanctæ catholicæ apoſtolicæ, atque vniuerſalis Romanæ Eccleſiæ œcumenicorum conciliorum, ipſiuſq. Imperij maieſtate, autoritate, & determinatione, ac ſaniori iudicio aliorum, quibus omnia, & ſingula, & meipſum libentiſſimè, atque ex debito ſemper ſubieci, hodieq. ſubijci volo.

Sed hic aduertendum eſt, quod & ſi ſuperius autor dicebat Cæſarem a ſe abdicare non poſſe minimam Imperij partem, id tamen intelligendum eſt in præſenti ſtatu; nam Conſtantinus rectè Romam a ſe abdicauit, vt multi probant, quod veriſſimum eſt.

In præſentia autem Imperium abdicare non poſſe, quia a Sede Apoſtolica pendet, vt in explic. Taciti quæſt. de dominio.

Secundò illa omnia rectè ſtare, quandoquidem de immediatis ad Imperium, ideſt ad Cæſarem intelliguntur: Nam in temporalibus etiam directè ſummum Pontificem adiri poſſe probabimus, ſi Deo placebit, & in eadem, quæ ad Imperatorem referuntur, Pontifex poteſtatem habet. Quare intelligimus ſalua omnium actuali iurisdictione; nam & ipſe Deus, qui eſt omnium rerum Dominus, non excludit, & impedit hominum dominium, ſed habet quoddam vniuerſale dominium, cum quo recte ſtare poteſt, vt homines etiam dependenter a Deo, tanquàm ab vniuerſali cauſa, & ſummo omnium dominio, habeant ſuum peculiare dominium, vt inquit Gregorius de Valentia diſput. 1. quæſt. 22. de Chriſti off. pun. 6. tom. 4. quiſque rerum ſuarum. ſic ſummus Pontifex Chriſti Vicarius, ſub cuius pedibus omnia ſubiecit, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quamuis ſit omnium dominus, tamen aliorum dominia non excludit.

QVOD ad tertiũ attinet, res quidem admiratione digna eſt, Vrbem Romam Regibus expulſis, qui eam ædificauerant, atque ducentos quadraginta annos, omni facilitate gubernauerant, viuente Principe, tentatam libertatem acquiſiuiſſe, ac ſtrenuè 470. annos defen-

diſſe, atque conſeruaſſe, quam per Iulij Cæſaris Tyrannidem amiſſam, nunquam nec eius interfectione, nec alio quouis accidente recuperare potuiſſe. Præſe tamen fert poſteriores, quàm priores occaſiones fuiſſe efficaciores. Etenim in priore tumultu, quattuor tantum ciues libertatis autores fuere, Brutus, Collatinus, Lucretius, & Valerius, qui vt nobiles populo diffidebant. Populus autem erat variarum nationum turba permixta, nulli Imperio, quàm regum aſſuetus, quorum ſex eidem ſatisfecerant; vltimi vero offenſa, imò populi totius ad Senatum pertinebat. Rex formidabilis erat, non ſolum natura, verum etiam vicinorum vnione, exercitu, ac filijs, qui etiam autoritate plurimùm valebant; At poſterioris tumultus, magna Ciuium pars autores extitere. In hoc Tyrannus fuit interfectus, & populus inueterata erat libertatis. Nec minori admiratione digna videntur tempora Auguſti, Tiberij, Caij, Claudij, Neronis, qui cum magis populorum vitam, bonorem, atque fortunas, quàm Tarquinius læſiſſent, maiori etiã odio illos, quàm ipſum Tarquinium proſequi debebant, tum maximè, cum eorum aliquis non inuiſus tantum, verùm etiam irriſibilis erat, tamen nec aliorum coniuratione, nec ipſorum interfectione Reſp. reuixit, vt inquit quidam. Quæramus nunc cauſam ſequenti modo.

Principia, atque diſtinctiones reducendi ſub regula ſtatuum mutationes.

Est ferè in omni ſtatu, qui regimine contentus eſt, quique illud inuitus ſuſtinet. Etenim eſt quodammodo difficile omnes eſſe concordes. Inter has duas partes, vel eſt virium æqualitas, vel inæqualitas, eaque vel magna, vel debilis, vel mediocris. Pars quæ Imperium permanere vult, vel eſt illa, quæ regit, vel quæ regit, eſt pars illius, quæ regitur & huius portio, vel potentior, vel infirmior eſt. His principijs, facile eſt ad determinatam regulam, ſtatuum varietates, atque mutationes reducere. Etenim quæ Imperium exercet, vel illius mutationem tentat, vel inuita ſuſtinet, ſiue prudentia, ſiue puſillanimitati, hoc ſit ad ſcribendum; ſi mutationem vult, vel occaſione, vel non, hoc facit, aut accidentia fauent, aut non fauent. Præterea aut conſilio, aut affectu mouetur, qui & paſſio appellatur, non ira, aut odio, & ſimilibus, ſed impetu, furore, atque ambitione. ſi verò conſilio, vel prudenti, vel malo, aut ſapienter, aut imprudenter effectum ſortita eſt.

Quamobrem termini mutationum ſtatus quinque ſunt, occaſio, acci-

accidens, conſilium, paſſio, & potentia; inter hæc accidens adeò potens eſt, vt per ſe ſolum aliquando ſufficiat, quod quidem manifeſtè apparuit Tiberij tempore, ſub Druſo filio in ſeditioſis, ac turbulentis legionibus in Pannonia Hyberna facientibus, quarum minacem, ac in ſcelus erupturam audaciam, accidens leniuit; nam luna clariore pœnè cœlo langueſcere viſa, id miles rationis ignarus, omen præſentium accepit, ac ſuis laboribus defectionem ſyderis adſimulans, proſperèq. ceſſura, quæ pergerent, ſi claritudo, & fulgori Deæ redderetur, vt inquit Tacit. vſus hac inclinatione Druſus, quæ caſus obtulerat, in ſapientiam vertit, ſeditioſosq. milites ſedauit.

Sed communiter, quò plura harum ſimul erunt, eò tutior, ac facilior erit ſtatus mutatio.

In primo tumultu, Bruto vires deeſſe, & pars quæ mutationem ſtatus affectabat, debilis eſſe videbatur; pars enim, quæ regebat munita erat, & militibus ſtipata, & vnuſquiſque ſibi perſuadere poterat, maiorem plebis, ac populi partem, quæ regebatur, Tarquinium ſequuturam, quandoquidem communiter populus Tyrannum adamat, vt a nobilium, ac potentium iniurijs illæſus remaneat; iniuriæ autem, quæ a Principe, multitudini inferuntur, ferè a nemine cognoſcuntur, tum quia prudentiori cautela, & minori periculo plebs offenditur; tum quia in maximo numero, inanes redduntur, & in turba vix cõſideratione digna. Quod de plebe dicitur, idē de exercitu dicendum, cuius naturalis mos eſt, vt licentia furens, doniq. ſpe illectus, libentius Regi, quàm Reipub. libentiſſimè verò pareat Tyranno. Veruntamen, & ſi vires ei defeciſſe videntur, ſi tamen cætera ſimul fuerunt, ſtatus mutationem inducere poterant, ſicut, & induxerunt, indignæ, ac miſerandæ Lucretiæ mortis occaſio, accidentia proſpera, iniuria vni ex Regia familia, atque Lucretio vrbis Præfecto illata, cuius officiū, vt inquit Feneſtella cap. 6. de magiſtr. Rom. maximum erat; nam, vt ipſe inquit, quò ſeſe res vertant, cum Regibus proficiſci opus foret, penes Præfectum Vrbis ſumma rerum relinquebatur. Bruto etiam viro publico, qui populum conuocare poterat, vt tribunus Celerum, cui erat, ſecundus poſt Regem locus, adhuc propter nefarium parricidium, ac propter violentos labores maſtum, ac exercitum etiam propter Turni proditionem labilem, & ad quācunque mutationē promptum; caſus deinde, non Romæ, ſed foris accidit, quare in Vrbem ingredi re confecta, non tumultus principio, ſed motu armis, iam ſedato, audacia, ac comitatu ab omnibus conſpici potuerunt; neque occaſioni, & accidentibus, & motui, & executioni paſſiones, atque conſilium defuere, paſſio in Collatino, conſilium verò in Bruto, atque Valerio, quæ

omnia facilem Regis expulſionẽ reddiderunt; maximũ enim in Bruto conſilium fuit, tempus enim opportunum ad tantum facinus aggrediendum elegit, idq. fuit, quando Romani Regnum, ac tyrannidem odiſſe incœperant, 2. quia diligentiſſimis cuſtodijs Tyranni palatium circumdauit, ne Tarquinius ſecreti negotij certior fieret, 3. quia populum conuocauit autoritate tribuni Celerum, 4. quia mortua Lucretia corpus, in platea publicè conſpiciendum præbuit, ac multos agnatos, iniquam mortem deplorare, ac Tyranni atrocitatem lamentari impulit, 5. quia in animum populi liberum ſtatum, ſeu deſiderium libertatis induxit. His quinque, & alijs nonnullis rationibus, quas Antonius Cicarellus diſcurſu nono in Titum Liuium adfert, L. Brutus libertatem inſtituit, ac conſeruauit; attamen ſi populus antea libertatem expertus eſſet, aliter res ſeſe habuiſſet, ſed illius nominis ſono deceptus fuit; libertatem quandam furentem eſſe licentiam exiſtimans; etenim multitudo non aliã cognoſcit libertatẽ, & Tyranno libentius, quàm bonis legibus paret, quod quidem paulò poſt Romani experti ſunt. Nam populum cogniti erroris (ſi error tamen eſt vocandus) fruſtra pœnituit, Rege iam mortuo, ſtirpe eius deleta, & autoribus, & tumultibus imminutis, & interim libertate inſtituta, & fundata Reſp. autoritate pollere cœpit, inter quam autoritatem, & vires, nullum diſcrimẽ facit, quippe qui rationem non penetrat, vi, atque furore, ac opinione ductus; in ſimilibus enim rebus, plebs quò ſe vertat, neſcit, ſed canes imitatur, qui audito aliquo rumore, ſtatim currunt, & tam amicum, quàm inimicum currentem inſequuntur; at hoc intelligitur, quandò præter opinionem, quis aduerſus aliquem eam concitat.

Cur autem Roma, expulſo Rege, tamdiù libertatem cuſtodierit, præter rationes, quas Cicarellus loco citato dicit, fuit plebis tribunatus, populiq. in rebus magnis ſuprema poteſtas, hæc ad amandam libertatem populum incitauit; & nobiles eo contenti fuere, quandoquidem patritijs, magiſtratus, ac publica adminiſtratio conſentiente populo concedebatur. Quare Tribunatus multitudinis animos confirmauit, & ſi aliquoties ſeditioſi Ciues, ſtatum mutare conati ſint, attamen nullos ſecum habuerunt, ne in populi, qui illius regiminis dominus ſibi eſſe videbatur, iram inciderent; aliqui bonorum populariũ, quorum maximus ſemper in Ciuitate ſtabat numerus, autoritate impulſi, incœptum deſeruere, aliqui etiam a paucorum audacia expulſi fuere, id etiam plurimum iuuat, cum plebs natura æqualiter vilis ſit, ac inſolens, & minimo quoquo verbere vt canis fugit, & minima quaq. inflatione, vt follis intumeſcit. His rationibus, nõ poterãt ſeditioſi tribuni ſolo tumultu, ſine maximis accidentibus libertatẽ opprimere; duo ſolummodo via erant, dolus, ac exercituum vires vis

vlla obtinuit, & voluntate reliquit, dolo autem Iulius Cæſar, viquè amiſit; dicitur autem dolo, quoniam ferociſſimis viribus cum hoſtibus pugnauit, ſed illecebroſis deceptionibus populi gratiam iniuit.

Verùm vt ad intentum noſtrũ redeamus, illarum ſupradictarum conditionum concurſus, mutationem ſtatus facere potuit, qui concurſus, quoniam Iulij Cæſaris tempore non fuit, ſtatum mutare non valuit; triſtis enim fuit occaſio, imperfectum conſilium, & vires nullæ; triſtis fuit occaſio, quia coniurationis conſcij nullum rem gratam populo faciendi, cui Cæſar propter maximam libetalitatem, & clemẽtiam gratiſſimus eaat, argumentum habuerunt; conſilium imperfectum fuit, quoniam Antonium interficere, teſtamenti lectionem, orationem, pompamq. funebrem impedire debebant, & prima confecta, cæteræ proſperè ſuccedebant; mortuo enim Antonio, Octauius, & Lepidus nullam conturbationis materiam Romanis dediſſent; vires defuere, nã populus, non ſolum libertatis Autoribus opitulatus non eſt, ſed eos ſtolida ferocitate eſt inſecutus; idq. euenit Antonij artificio, in oratione funebri multa acerba exclamantis, ſceleſtos, ac parricidas interfectores Cæſaris appellantis; veſtium præſertim adhuc ſanguine madefactarum, ad Cæſaris mortem vlciſcendam populum paulatim excitantis.

Cur autem tempore Auguſti, libertatem recuperare Roma non potuerit, dicit his verbis Tacit. in hoc libro, poſtquam Bruto, & Caſſio cæſis, nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppreſſus, exutoq. Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus, niſi Cæſar dux reliquus: poſito trium viri nomine, Conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem Tribunicio iure contentum, vbi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otij pellexit, inſurgere paulatim munia Senatus, magiſtratum, legum in ſe trahere, nullo aduerſante: cum ferociſſimi per acies, aut proſcriptione cecidiſſent, cæteri nobilium quantò quis ſeruitio promptior, opibus, & honòribus extollerentur: ac nouis ex rebus aucti, tuta, & præſentia, quàm vetera, & periculoſa mallent. Neque prouinciæ illum rerum ſtatum abnuebãt, ſuſpecto Senatus, populiq. Imperio ob certamina potentium, & auaritiam magiſtratuum inualido legum auxilio, qua vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur. Quare ſatis conſtat, quàm facile fuerit plebi Romanæ libertatem; in qua tot annos vixit, adimere, quàm facile ſocios, ſubditoſq. partim antiquitùs populari imperio rectos, partim a Romanis ipſis libertate donatos, in ſeruitutem redigere, idq. tot virium inſtantibus hoſtibus. at mirabilius videtur Cinnam, Carbonem, Marium, alterum Sertorium, atque eundem poſtea temporis Pompeium principatum affectantem, & Cæſarem male perijſſe, & Augu-

ſti tempore, Vrbs, quæ tot annos populi arbitrio gubernata eſt, tot populis imperabat vni ſeruire dignata eſt, quæ Camillum, quia albis equis in triumpho vſus eſſet, in exilium egit, Scipionem euertit, quòd eum Remp. defraudaſſe iudicaſſet, quæ multa in eos ſtatuit acerba, quos Regnum petere ſuſpicata eſt, vnum pati permiſerit, quod quidem accidit, quia Roma cũ varias regiminis formas ſubijſſet, tandem Principem egregium, ac bonum, licentiam habere omnia ex animi ſui ſententia agendi, loquendiq. eſſe cauſam publicæ fœlicitatis exiſtimauit.

Tempore verò Tiberij, qui non Princeps, ſed Tyrannus erat, libertas introduci non potuit, partim ob difficultates, denuò auctas, partim inſuperabiles: primò enim opprimere Principem, vel eius mortem expectare neceſſe erat; eum opprimendi aliud medium non erat, quàm coniurationis, quæ per ſe ipſa difficilis erat, milites enim ſtipatos ad ſui cuſtodiam Principes habebant, ac Imperij ſucceſſores, Cæſaris exemplo, diligentiſſimè omnia obſeruabant, Quare multis coniurationibus patefactis, conſcij quoque interficiebantur; Veruntamen nec coniuratione, nec infirmitate, neque Principis morte Romani libertatem recuperare potuiſſent, ijdem enim machinatores libertatem nolebant, ſed id tantummodo efficiebant, vel vt Principes mutarent, vel vt ipſi Imperij potirentur, exercitus autem, qui Imperatorem eligendi ſupremam poteſtatem vſurpauerat, & populus, apud quem ſecundæ vires erant, ſi ſæpiuus Principis vitam odio habebant, & eius mortem lætabantur, dominum mutare, non regiminis formam volebant, quod quidem multis omiſſis, expreſſè in Tiberij Calligulæ, ac Neronis morte patuit, nam etſi in animam primi Ciues inuehebantur, & corpus ſepeliri egrè paſſi, ſecundi verò nomen acerbiſſimum plebi eſſet, vt eſſe debebat, (optauit enim ſæpe, vt Populus Romanus vnam ceruicem haberet) de tertij morte populus mirabilem ſuſcepiſſet lætitiam, tamen ſine Principe eſſe non conſenſerunt, imò cùm in Senatu de modo libertatem recuperandi ageretur, circumſtans multitudo, maximo tumultu dominum petijt, idq. quoniam plebs poſtremorum temporum Auguſti fœlicitatem conſiderabat, neque credere poterat, quin Princeps, vt Auguſtus eſſet ſucceſſurus. Quamobrem liberalitas, ac Cæſaris facilitas, plus patriæ nocuit, quàm Sullæ crudelitas; Sylla enim cauſa fuit, vt populus tyrannidem odio haberet, Cæſar autem vt ſeruitutẽ pateretur. Nolebat ergo exercitus, populus, & Reſp. libertatem recuperare, & equidem Senatus inualidus, qui non amplius Senatus, ſed turba adulatorum viliſſima erat, cui autoritas, ac vires quotidie deficiebant. His de cauſis tempore Auguſti, Romanis noxia fuiſſet libertas, quia populus

animum

animum Romanum exuerat, & ſeruilem induerat, plebs impura egregiorum Ciuium, numerus imminutus, ferociſſimi in acie cæſi, non aliud remedium erat diſcordanti patriæ, quàm vt ab vno regeretur, purus enim ſtatus popularis mediocrem ciuitatem per aliquod tempus, non autem maximum Imperium regere poteſt; huius rei argumento omnibus ſit optimi Imperatoris Neruæ autoritas, qui poſthabitis agnatis, propinquis, & amiciſſimis, Traianum cum eo nihil negotij habentem, Imperij ſucceſſorem viuens elegit, ſic patriam ſuam liberam reliquiſſet, ſi talem regiminis formam, ei conducturam exiſtimaſſet; idem multi alij optimi Principes effeciſſent; & ipſe Cæſar Auguſtus libentiſſimè Imperium depoſuiſſet, ſicut prius Romani Rempub. adamaſſent; Quare hac ſola ratione, certo quodam modo naturali, propoſita quæſtio ſolui poteſt, aſſerendo Romam illam regiminis formam habuiſſe, quàm ſtatuum natura ſecum adferebat; Quare ſicut L. Brutus ſecundum ſapientum hiſtoricorum opinionem maximum nocumentum Romæ attuliſſet, ſi ante illud tempus quando nempe Regnum ei vtile erat, libertatem inſtituiſſet, ſic ei noxius fuit Sulla, tunc temporis, quando libertate gaudebat, ſic, & Galba eam læſiſſet, ſi populi ſtatum, quando Principis illi conducebat, introducere voluiſſet, quod quidem facta mutatione intelligi debet, cum in digreſſione vnius ſtatus, ad alterum, & Reipub. præſertim ad tyrannidem damnum duabus de cauſis grauiſſimum eſſet; Cæſar enim dominandi libidine inſtammatus, delere Pompeium coactus fuit, qui vt æqualis Cæſari, naturaliter obtemperare non poterat, & patriam à bona regiminis ſpecie ad ream tranſtulit, & Auguſtum, vt monarchiam confirmaret proſcriptioni aſſentiri oportuit, natura ſtatuum, vt aliter, quàm per vices æquales æqualibus pareant non ferente; hæ ſunt rationes, quæ diſcurſu fieri poſſunt, cæterum veræ rationes diuinæ prouidentiæ notæ ſunt.

Cur verò Imperium Romanum, tandiù durauerit, peſſimis, & truculentiſſimis Imperatoribus dominantibus, ratio in promptu eſt, vna enim violentia, alteri ſubſidio fuit, tam mirabilis in rebus ſimilibus, eſt vnionis vis; ſic corrupti populi, & militum Romanorum, mores, Principum tyrannorum ſtatum, & potentiam tutati ſunt, vt inquit Paulus Paruta lib: 1. diſcur. polit. diſcur. 11. Nam cum Romæ ſumma licentia, ludis, comedijs, theatris publicisq: ſpectaculis, homines vitam tranſigerent, militibus Imperatores omnis inſolentiæ genus permiſerunt; Quare nemo inueniebatur, cui mutatio ſtatus curæ eſſet; imò milites Prætoriani cū multis vtilitatibus, ac priuilegijs fruerentur, virorum præſtantiſſimorum iuſſa negligebant, & cum eiuſmodi Principes, milites odio habebant, vitam eis eripiebant, alium

Imperatorem eligentes, qui ob pramium ſcelerum, multis donis eos afficiebat; & eò perfidia res venit, vt aliquoties Imperium mundi vendiderint, exigua ſoluta pecunia, vt Didij Iuliani tempore accidit, & aliquando ſuſcepere duo manipulares Imperium populi Romani transferendum, & transtulerunt; vt inquit Tac. plurimum etiam illis iuuauit antiqua apud Romanos conſuetudo bonorum ordinum militarium; quare & ſi apud viliſſimos homines Imperium eſſet; attamen quia in prouincijs exercitus collecti erant, & ad facinora aggredienda parati, & bella egregij Duces adminiſtrabant, tumultus, ſeditiones, & rebelliones, quæ continuò in tam amplo Imperio oriebantur, ſedabant. Hoc modo Tiberius, non ſolũ Galliam, quæ a Romanis deſciuerat, domuit, verum etiam Comagenam, & Cappadociam Romano Imperio ſubiecit, & Nero Corbulone, viro artis militaris peritiſſimo Duce, Parthos Armenia expulit, & Tigranem, deinde Tiridatem Reges conſtituit. Hæc ſunt, quæ adduci poſſunt in huius rei probationem.

Super illam varietatem regim. Vrbis Romæ dicendum eſt de mutatione, ac interitu Ciuitatum.

A qua cauſa Ciuitatis interitus proficiſcatur.

Non minus difficilis, quàm pulchra eſt hæc quæſtio, propter opinionum varietatem, alij enim cenſent regna, ſicut & alia caſu, ac fortuitò, & oriri, & interire. Alij certis annis ciuitatum periodũ circunſcribunt, annum quingenteſimum, & ſeptingenteſimum fatalem Regnis, atque Imperijs exiſtimant; quidã a Cœlorum influentijs, & errantium ſtellarum curſibus, atque aſpectu Imperium pendere arbitrantur, ſingulis Imperijs, Regnis, Rebuſpub. ſydera certa præficiunt, quibus ad conſilia, & actiones, vel vtiles, vel pernicioſas impellantur. Multi ſunt, qui naturæ acceptum hoc ferunt, quæ ad lapſum quæq. ferantur; Alij id numeris attribuunt, alij denique viciſſitudinum in Imperijs cauſas vni Deo attribuunt, alij fortunæ.

Notandum hic eſt, tres eſſe potiſſimas Reipub. formas, Monarchiã, Ariſtocratiam, & Democratiam, quæ hoc nomen ab eo habent, quod prædominatur; vt in corporibus patet, quæ ab elemento, vel humore prædominante, ſanguinea, vel melanchonica nuncupantur, vt dicunt Med. & præſertim Ioan. Bap. Montanus in lib. de humor. Monarchia eſt vnius principatus, communi vtilitati conſulens. Ariſtrocatia

tia verò poteſtas paucorum, virtute præditorum, ſed plurium vno, hoc eſt optimatum, qui ſic nominati, quia optimi viri Reipub. præſunt. Democratia eſt poteſtas, cum multitudo Ciuitatis adminiſtrationem confert ad communem vtilitatem.

Inter has certum eſt, communi ſententia Monarchiam primas habere. Plato in polit. Ariſt. polit. 3. cap. 7. Xenoph. in Pædia Cyri. Plutarchus in lib. de vnius, & multorum dominatu. Iſocrates in Nicocle. Seneca lib. 2. de benef. Cic. 3. de legib. Volaterranus lib. 36. Philologiæ tit. de politijs. Pontan. lib. 4. de obed. Beroaldus de optimo ſtatu Reip. Agrippa de politijs D. Thom. lib. 1. cap. 1. de Principum regimine. Vida lib. 2. de Reip. dignitate. Patritius lib. 1. de regno tit. 3. & 13. & de Rep. lib. 1. tit. 1. Stobæus ſerm. 45. Simmanca de Rep. lib. 3. cap. 2. & 3. Barbarinus in ſua officina tit. de Principe nu. 10. Tholoſanus de Rep. lib. 5. Petrus Bongus in numerorum myſterijs de vnitate. Caſtellanus lib. 1. de off. Reg. Hieronymus Oſorius lib. 1. de reg. inſtit. Hiſtorici præterea, Herodotus lib. 3. Halicarn. lib. 1. Iuſtinus lib. 1. Dion. lib. 44. Curtius lib. vlt. Suetonius in Calig. Arrianus lib. 1. Aemilius lib. 1. de rebus geſtis Francorum. Guic. lib. 2. Tum, & poëtæ, Homerus, qui vnum Regem requirit 2. Iliad. Heſiodus in Theogonia. Euripides in Phœniſſis. Vltimò ferè omnes, qui contrarium ſentiunt, regimen vnius tempore belli melius eſſe affirmant, quoniam celeres negotiorum expeditiones requiruntur tempore belli, quæ multorum conſilijs retardari ſolent.

Id autem probatur primo, nam vt inquit Plato de rep. lib. 1. nullum pernicioſius Ciuitati malum, quàm quod eam diuidit, & ex vna plures facit, vel melius quidquam eo, quod ipſam vnit ſimul, & vnam efficit; hoc comprobat Speuſippus, rem propriè dici bonam, atque perfectam, dicens, quando ſit vna, cum res quilibet in ſe habeat bonitatem ſuam per vnitatem, qua ſuum ſuſcipit eſſe. Tandiù enim eſt quidquid eſt, quamdiù vnum eſt, cum autem deſinit eſſe vnum, deſinit eſſe id, quod eſt.

In vnione poſita eſt ſalus; contra in ſectione, diſtinctione, & diuiſione pernicies; Ideò quoad eius poſſunt efficere, vniuerſa omnia, ſiue naturalia, ſiue quæ arte conſtant coniungunt ſeſe, ac condurant, atque in vnione ad ſui tutelam perſiſtunt; Lapis vt eſſet lapis, omnes eius partes, omniſq. natura in vnum ſolidata eſt. Quid? arbor, arbor quidem non eſſet, ſi vna non eſſet. quid? membra cuiuſlibet animantis, ac viſcera, & quicquid eſt eorum, quibus conſtat? certè ſi vnitatis patiantur diuortium, non erit animal; voluptas ipſa non ob aliud delectat vehementiùs, niſi quod animantia ſeſe corpora, in vnum coguntur, amor vnum vult fieri cum eo, quod amat, & ſi ei

contin-

contingat vnum, cum eo ſit; amici quidem quid aliud quàm vnum, eſſe conantur, & quantò magis vnum, tantò magis amici fiunt, populus, vna Ciuitas eſt, cui eſt periculoſa diſſentio, quid eſt autem diſſentire, niſi non vnum ſentire? ex multis militibus fit vnus exercitus, Itemq. multitudo eò minus vincitur, quò magis in vnum coit. Vnde ipſa coitio in vnum, cuneus nominatus eſt, quaſi couneus. Videmus enim ab vnione generari virtutem, quia quantò vnio ſtrictior eſt, tantò fortior eſt virtus, & quo eſſentia eſt magis vnita, eò maioris cenſetur eſſe virtutis. Hinc ad humanum principatum deſcendendo concluditur, vt inquit Petrus Bongus, analogiam quandam terreni Principis, ſicut, & diuini, cuius gerit ſimulachrum, quo quidem modo procedit autor quidam dicens, non poſſunt eſſe Rectores multi in hoc mundo; nec in vna Naui gubernatores multi, nec in vno regimine multi Reges; ſed vnius Rector in mundana fabrica, moderator vnus in bello vnus eſt ſummus Imperator, & in quouis grandi exrcitu vnius ſignum expectatur. Rex vnus eſt apibus, & vnus in gregibus, & in armentis ductor vnus. Grues vnum ſequuntur, ordine iterato, formam trianguli efficientes; in Naui vnus eſt gubernator, in Ciuitate vnus Imperator, in corpore vnum caput, in Regno vnus Rex, in Eccleſia vnus Pontifex Maximus.

Oportet, inquit Nicolaus Cuſa vnum eſſe Principem multis ex cauſis, etiamſi principatus ipſe ex pluribus heroicis viris vnitus, & compactus foret, alioquì confuſio exoriretur, quando in imperando plures concurrerent, & confunderetur ordo, quando ſubiecti, cui obedire potiſſimum deberent, neſcirent. Quod ait Lact. lib. 5. de vera ſap. quid faciet ſeruus, ſi multi domini diuerſa imperauerint. Rurſus ſi tres mundi partes, Aſiam, Africam, & Europam Regibus diſtributas tribus ſubegeris, facilè admodum continget, vt vel vnus duobus, vel duo vni quandoque bellum inferunt, aut ſaltem de finibus, aut alia quapiam de re diſceptare cogantur.

In vnum igitur conferendum eſt Imperium, quo humana gubernatio diuina ſit quàm ſimillima, quod vna ſit & diuina eſſentia fons omnis virtutis, & poteſtatis, cuius etiam nomen vnica ſimpliciſſima expreſſum eſt littera Iod. Sic eſt vna ſuprema intelligentia, fons vitarum in mundo intellectuali; in ſupercœleſti Seraphin præeſt. vnus, in mundo cœleſti Rex ſtellarum fons huic Sol, quem Aſtrologi per excellentiam circulo notant integro, centroq. viſibili; vnus in volatilibus Fœnix, vnus inter feras Leo, vnum inter Metalla aurum, inter potus genera vinum; vnum elementum vincens, & omnia penetrans ignis, vnum eſt principium, quo reliqua viuunt, ſcilicet cor, quod eſt primum viuens, & vltimum moriens. Vnus in mixtis ho-

mo,

mo, in quo poſtremò tota cæterorum perfectio continetur; Principia rerum ad vnam cauſam, omnia, quæ in mundo ſunt ad vnum Deum, tendunt.

Probatur ſecundò, nam, vt inquit quidam, quantò magis principatus ciuilis aſſimilatur Imperio vniuerſi, tantò excellentior eſt, & habetur, ſed Monarchia, hoc eſt vnius principatus, ſimillima eſt Imperio vniuerſi, ergo vnius principatus eſt longè optimus.

Probatur tertiò, ille ſtatus eſt optimus, qui eſt antiquiſſimus, quiq. ijſdem modis defenditur, quibus comparatur, ſed Monarchia eſt eiuſmodi, ergo, aſſumptio patet, quia Deus in creatione virum vnum patrem, Regemq. omnium fecit, & populus in terris numeroſè auctus, vnum elegit ſapientem virum, qui cauſas diſcuteret, iniurias illatas propulſaret, ſic Saturnus in Italia, ſic Romulus Romæ, ſic Theſeus Athenis, ſic Amphion, & Cadmus oblata Imperia Thebis ſuſcepiſſe dicuntur.

Quartò, Illud Imperium melius eſt cenſendum, quod ad naturam magis accedit, at Monarchia magis ad naturam accedit, ergo, maior probata eſt ſuperius, minor patet de Rege Apium, ac Gruum, ſed qui de Rege, ac Apum natura non admiretur? Regem habent, quis negat? illi obtemperant, quis non fatetur? fauos, & domos habent, quis contra diſputat? mel, & ceram in examen, tamquam opes in Ciuitatem, communemq. theſaurum ferunt.

Quæ præcepta doctrinæ non habent? nempè Regem inter apes carere ſtimulo, pro ſuo victu non laborare, ignauos à præſepibus arcere, bombitu tamquàm tuba ad mortem incitare, quid multis? volat, ſequuntur omnes, pugnat, digladiantur omnes, morirur, lugubri quaſi ſono lamentantur omnes, ſepultura facta (nam in examine mortuum non retinent) ſepeliunt, nouum conſilium ingrediuntur, omnes conuocantur ciues, conſultatur ad tempus, Rex nouus creatur, cui creato obediunt, & obſequuntur omnes; idem de Gruibus. quare Monarchiam naturam poſuiſſe videtur.

Probatur quintò, ex aliarum imperfectione; nam certum eſt multitudinem promiſcuam abſque conſilio, & oratione inſtar torrentis ad res agendas ferri, atque obuia quæq. non ponderatis, ſed numeratis ſententijs accipi. Athenas, Romam à Principibus conditas, conſtitutas, & conſeruatas fuiſſe; a multitudine verò vexatas, direptas, & funditus exciſas conſtat, & in paucorum dominatu non minora reperiuntur, quæ ad vnius retinendum Imperium bonos, inq. Remp. præclarè animatos hortantur. quid enim? an non pauci etiam ad ſummū honorem dignitatis per faſtigium euecti, ſuperbè alijs imperant, & vel ocio, vel cupiditatibus, vel poteſtati ſuæ proſpiciunt, plenè omnes

ſunt

ſunt libri, plena ſapientium voces, plena exemplorum vetuſtas, quæ eiuſmodi Imperij formam potentiſſima Imperia, Reſpub. florentiſſimas turbaſſe, ſæpe etiam euertiſſe funditus commonſtrant. Etenim, cum vt quiſq. vir eſt optimus, ita maximè virtutis ſui ſpecimen aliquod edere, præclarum reliquorum caput Princeps eſſe in ſententia dicenda, vincere, anteceſſere, cæteris prudentia, ingenijq. gloria cupiat, æmulationes oriuntur ex æmulationibus, ſimultates exiſtunt, ex ſimultatibus, odia aperta naſcuntur, ex odijs ſeditiones erumpunt, ex ſeditionibus, tandem cædes, omniſq. generis ſcelera, atque maleficia gignuntur. contra.

Ad Imperij gubernacula qui ſedet, & ſi fortè, nec ingenio ſit præditus magno, nec a doctrina comparatus, nec inſtitutus prudentia; vſu tamen longo, atque experientia edoctus, ea quibus conſeruari, augeriq. res ſoleant, publica, intelligit.

Ad hæc, quòd ita homines à natura ſint animati, vt in rebus ad ſuum magis, quàm alienum commodum pertinentibus multò ſint ſagaciores, & vigilantiores, qui ſolus rerum potitur, quia ſua, non aliena ſeſe tractare animaduertit, eamq. firmiter ſpem alit ſe filijs, quibus nihil dulcius hominum generi à natura eſt datum, hæc eadem relicturum, longè maiori ſtudio in res agendas incumbit, quæ ab ijs ferè non videmus, qui alienorum in ſeſe procurationem ſuſcipiunt. Maximè quoque Imperiorum in eo ſitam eſſe ſalutem conſtat, vt non modò ſint conſilia bona, & ſalutaria, verùm etiam benè occultentur, non eliminentur, aut prodantur hoſtibus; Hoc verò, quin vnius in dominatu melius, quàm reliquis Imperiorum formis fiat, nemo eſt, qui dubitet, vt inquit quidam in oratione pro vnius dominatu.

Probatur ſextò, nam non ſolum propter optimatum, & præſtantium Ciuium odia, atque ſimultates, a quibus leuiſſima ſæpenumero de cauſa, diſcordia, ac cædes oriuntur, ſed & inter bonos, pacisq. amãtes vnius alicuius neceſſarium eſſe Imperium videtur, nam qui pares ſunt, eadem ſeſe iure vti arbitrantur, neque alijs, vel latum, vt aiunt, digitulum cedere cupiunt, vt affirmat quidam in Oratione pro Monarchia.

Probatur ſeptimò ex naturali hominum ſapientum inclinatione, nam vllus eſt, qui non cupiat eius potius Reip. ciuis eſſe, in qua ſua virtus non ignoratur, quàm nulla re vulgò potiùs deliteſcere, vt inquit Iſocrates in Nicocle; virtus autem præcipua locum ſuum habet in Monarchia.

Probatur octauò ex populi facilitate, nam facilius vnius viri iudicio, ac voluntati ſatisfacere, quàm operam dare, vt multis, ac varijs ingenijs placeas, poteſt.

Pro-

Probatur nono , à ſimilitudine , nam , vt gubernatores cum in re nautica plures dantur, qui ſimul clauum torquere velint, etiam ſi artem gubernatricem tenent, nihilominus ſe ipſos in naui dirigenda impediunt , ita quoque in reliquis Rerump. formis impedimenta multa, & varia inijciuntur , vt inquit quidam . ex Homero etiam patet , qui 2.illiade non eſſe bonum multos regnare affirmat .

Nec multos regnare bonum, Rex vnicus eſto
Vnius Imperium, cui Iuppiter aurea magnus,
Sceptra dedit. iuſſitq. ſuis dare iura tuendis .

in Repub. ciues per vices annorum magiſtratus ſubeunt , prius fiant, iterum priuati, quàm Reipub. negotia cognoſcant , eorumq. ſibi experientiam comparent , qui verò ſemper ijſdem officijs funguntur, licet ingenij fuerint inferiores, experientia tamen vſque rerum longè cæteris præferendi ſunt,vt inquit Iſocrates .

Probatur à ſimilitudine , nam ſicut in terra , ſi gemini ſoles forent periculum immineret , ne omnia conflagrantia peſſum irent , ita & hominum ſi in vno Regno duo eſſent, omnia ruerent .

At contra prædicta obijcies , argumentum illud de natura nihil valere, nam & ea democratiam in formicis poſuit , quæ democratiam ſequuntur .

Reſpondetur in formicis veram non eſſe democratiam, quandoquidem nulla eius officia in eis conſpiciantur, & dato,quòd eis vera democratia ineſſet, ſemper melius debemus ſequi,quod in eiuſmodi rebus monarchia eſt .

Obijcies ſecundò,ſicut vniuerſus Orbis terrarum, vnum Regem pati non poteſt, ergo nec pars debet, antecedens patet , nam ſecundum Ariſtotelem impoſſibile eſſet , vnum ſolummodo vniuerſum Orbem adminiſtrare poſſe, nam, vt ipſe dicit, omnibus timorem incutere,ſicut anima aliud maius corpus, quàm proprium informare , ſicut nec Nauis longa mare per omnes locos nauigare non poſſet. Ad hoc vt reſpondeamus, quærendum eſt .

Vtrum mundus ab vno poſsit gubernari .

DIcendum eſt,quòd, ſi vir vnicus , qui & Princeps , & Sacerdos eſſet,mundum adminiſtraret, vitam homines beatam, atque fœlicem tranſigerent ; Nam omnes mundi moleſtiæ, aut à bello, aut à fame,aut à peſte,aut à patriæ , ac naturali religioni contraria opi-

nione oriuntur: Hae diuerſa opinio, quæ ſchiſmatum, ac hæreſum cauſa eſt, fundamentum multarum rerum non iaceret, niſi Principes vellent; quare ſi vnus eſſet, hoc euenire non poſſet; & multitudo ab aliquo peruerſo concionatore non perſuaderetur, ſi omnium Princeps Sacerdos eſſet, qui eiuſmodi eſt autoritatis, vt nulli alij credatur, quàm illi, ſi armatus maxime eſt, & ab antiquo autoritatem in veraci religione habeat, vt, verbi gratia, Summus Pontifex veriſſimæ religionis Præfectus. Timor enim humanus, ac diuinus illa argumenta, quæ contra armatam, ac veram religionem fierent, quæque in populorum mentibus inſiderent, falſa eſſe oſtenderet: Nam vlli concionatori populus non poteſt credere, niſi ille à ſummo Pontifice autoritatem habeat, exceptis regnis illis, ac prouincijs, quarum potiuntur Principes, qui vires concionatori impiè ſubminiſtrant, vt fecit Saxonus Luthero, quod quidem non accideret, ſi vnus tantummodo omnia regeret.

Bellum autem ſuſcipitur, quia Princeps, aut ambitione, aut auaritia, aut neceſſitate, aut inimicitia, aut iniuria, aut domicilia multitudini quærendi cauſa ad aliena rapienda mouetur: quæ procul dubio ceſſarent, ſi vni tantummodo omnes obtemperarent, & coloniæ ordine deducerentur, quæ omnia ceſſauere, & mundus lætus, ac tranquillus vixit 18. *annis ſaltem, Cæſaris Auguſti tempore cognitarum nationum Monarchæ, cui prouinciarum præfecti, Tetrarchæ reges, cæteriq. magiſtratus illi ſubordinati, in gloriæ ſtudium, non belli, quod eſt contra naturam, incumbebant, de bono, ac malo, de Dei operibus differentes.*

Fames ceſſaret, quoniam in omni climate ſterilitas eſſe non poſſet, quare, & quod vni deeſſet, alteri ſuperabundaret, & omnia Principis, ex locis, vbi cibus abundat, ad illos, qui annona carerent, commeatus aſportaretur, cædes, bellum, victum quærendi cauſa, atque inter emptores, ac cæteros venditores auaritia vlla non eſſet.

Peſtem autem homines non intelligerent, cùm illa à corrupto aere, & aqua oriatur, & omnibus in locis peſtem generari impoſſibile eſt, & a peſtiferis locis ad ſanos homines migrantes, quod fieri facillimè poſſet vno dominante aeris, & aquæ intemperiem aufugerent; quod ſi Deus propter populi peccata eam immitteret, nullusq. eſſet fugæ locus, patienter eſſet toleranda. Deinde hominum ſapientia, magis in dies incrementa caperet, quæ omnibus prouideret, & medicina, phyſica, ac naturali mathematica (nam aſtrologiam iudiciariam falſam eſſe tenemus) alijsq. ſcientijs hominum vtilitati ſapientes conſulerent.

Præterea, ſi orbis terrarum vnus potiretur ſcientiæ propter nauigatio-

gationem, itinera, mercaturas, & varias communicationes, præſertim politicas, quæ plurimis indigent ignotis obſeruationibus, perfectiores euaderent.

Sed Diabolus generis humani acerrimus hoſtis, vt homines tamquàm vermes in caſeo, in regionum ſuarum terminis ſe continerent vellet, idq. vt ignaros omnes redderet, ac deciperet, nec vt obſeruare quicquam poſſent, neque Dei opera in Regionibus inueſtigare ſed linguæ, ac religionis varij, rerùm cognitione amiſſa, bello ſolummodo, morte, continuis periculis, ac timoribus ſine charitate, contra Deum omnium patrem, & inter eius filios commercia haberent. Noui mundi inuentio mirabilem inter nos cognitionem peperit.

Cæſaris, Cyri, ac aliorum bella, politiam vbi non erat, introduxerunt, ac in barbaros animaduerterunt.

Quare Ariſtotelem dicendum eſt, intelligere de regimine vnius per ſe, non per alios. Nam vicem gerentes in omnibus prouincijs eſſent, ſucceſſores opportuni ſemper forent mortuis, magiſtratus eò temporis ſuccederent, vel omnes primati obtemperarent; Ariſtoteles Auguſti Imperium non vidit, nam ijs ſimilitudinibus vſus non eſſet. Quare à capite omnibus legibus, ac magiſtratibus in vniuerſum Orbem prodeuntibus, tabellariorum celeritate, ac nauigationum, exercitibus in locis infirmis, ac ſuſpicioſis collocatis, omnia exequi homines poſſent. Similitudo Ariſt. non valet, nam Reſp. eſt quidem corpus, at Princeps non eſt anima, ſed caput, & religio anima, quæ eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, omnis enim homo, ac Reſp. eoſdem articulos, idem Euangelium credere tenentur. Ariſt. ergo religionis mirabilem vim, & ſeculum in Deum renatum, ac in vna fide coniunctum, ſed corruptum conſpexit. At in Chriſto non eſt Barbarus, neque Scbita, Iudæus, neque Gentilis, ſed omnia in omnibus Chriſtus, qui mirabiliter vniuerſa vnica religione regit.

Hoc autem experientia probatur, nam Rex Hiſpaniarum, qui Orbem terrarum magnitudine Imperij circundat, & in longinquas, ac latiſſimas dominatur regiones, omnibus neceſſitatibus per miniſtros, ac vicem gerentes præſtò eſt, ac religionis vi in vnum omnes coniunctos habet, & ſi terræ zonas omnes poſſideret, idem efficere poſſet, adminiſtrationes augendo, ac duos miniſtros in qualibet parte collocando, vt eſſet qui mortuo ſuccederet. Et ſummus Pontifex, qui totius mundi caput eſt, omnibus nationibus prouidet, primates enim Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos creat, qui regionibus ius dicunt. Nonne commodius id efficeret, ſi temporalis dominij potiretur. Magna eſt vis religionis, quare Sotus non rectè ſentire

tire

diſſe, atque conſeruaſſe, quam per Iulij Cæſaris Tyrannidem amiſſam, nunquam nec eius interfectione; nec alio quouis accidente recuperare potuiſſe. Præſe tamen fert poſteriores, quàm priores occaſiones fuiſſe efficaciores. Etenim in priore tumultu, quattuor tantum ciues libertatis autores fuere, Brutus, Collatinus, Lucretius, & Valerius, qui vt nobiles populo diffidebant. Populus autem erat variarum nationum turba permixta, nulli Imperio, quàm regum aſſuetus, quorum ſex eidem ſatisfecerant; vltimi vero offenſa, imò populi totius ad Senatum pertinebat. Rex formidabilis erat, non ſolum natura, verum etiam vicinorum vnione, exercitu, ac filijs, qui etiam autoritate plurimùm valebant; At poſterioris tumultus, magna Ciuium pars autores extitere. In hoc Tyrannus fuit interfectus, & populus inueterata erat libertatis. Nec minori admiratione digna videntur tempora Auguſti, Tiberij, Caij, Claudij, Neronis, qui cum magis populorum vitam, honorem, atque fortunas, quàm Tarquinius læſiſſent, maiori etiã odio illos, quàm ipſum Tarquinium proſequi debebant, tum maximè, cum eorum aliquis non inuiſus tantum, verùm etiam irriſibilis erat, tamen nec aliorum coniuratione, nec ipſorum interfectione Reſp. reuixit, vt inquit quidam. Quæramus nunc cauſam ſequenti modo.

Principia, atque diſtinctiones reducendi ſub regula ſtatuum mutationes.

Eſt ferè in omni ſtatu, qui regimine contentus eſt, quique illud inuitus ſuſtinet: Etenim eſt quodammodo difficile omnes eſſe concordes. Inter has duas partes, vel eſt virium æqualitas, vel inæqualitas, eaque vel magna, vel debilis, vel mediocris. Pars quæ Imperium permanere vult, vel eſt illa, quæ regit, vel quæ regit, eſt pars illius, quæ regitur & huius portio, vel potentior, vel infirmior eſt. His principijs, facile eſt ad determinatam regulam, ſtatuum varietates, atque mutationes reducere. Etenim quæ Imperium exercet, vel illius mutationem tentat, vel inuita ſuſtinet, ſiue prudentia, ſiue puſillanimitati, hoc fit ad ſcribendum, ſi mutationem vult, vel occaſione, vel non, hoc facit, aut accidentia fauent, aut non fauent. Præterea aut conſilio, aut affectu mouetur, qui & paſſio appellatur, non ira, aut odio, & ſimilibus, ſed impetu, furore, atque ambitione. ſi verò conſilio, vel prudenti, vel malo, aut ſapienter, aut imprudenter effectum ſortita eſt.

Quamobrem termini mutationum ſtatus quinque ſunt, occaſio, acci-

accidens, conſilium, paſſio, & potentia; inter hæc accidens adeò potens eſt, vt per ſe ſolum aliquando ſufficiat, quod quidem manifeſtè apparuit Tiberij tempore, ſub Druſo filio in ſeditioſis, ac turbulentis legionibus in Pannonia Hyberna facientibus, quarum minacem, ac in ſcelus erupturam audaciam, accidens leniuit; nam luna clariore pœnè cœlo langueſcere viſa, id miles rationis ignarus, omen præſentium accepit, ac ſuis laboribus defectionem ſyderis adſimulans, proſperèq. ceſſura, quæ pergerent, ſi claritudo, & fulgori Deæ redderetur, vt inquit Tacit. vſus hac inclinatione Druſus, quæ caſus obtulerat, in ſapientiam vertit, ſeditioſosq. milites ſedauit.

Sed communiter, quò plura harum ſimul erunt, eò tutior, ac facilior erit ſtatus mutatio.

In primo tumultu, Bruto vires deeſſe, & pars quæ mutationem ſtatus affectabat, debilis eſſe videbatur; pars enim, quæ regebat munita erat, & militibus ſtipata, & vnuſquiſque ſibi perſuadere poterat, maiorem plebis, ac populi partem, quæ regebatur, Tarquinium ſequuturam, quandoquidem communiter populus Tyrannum adamat, vt a nobilium, ac potentium iniurijs illæſus remaneat; iniuriæ autem, quæ a Principe, multitudini inferuntur, ferè a nemine cognoſcuntur, tum quia prudentiori cautela, & minori periculo plebs offenditur; tum quia in maximo numero, inanes redduntur, & in turba vix cõſideratione dignæ. Quod de plebe dicitur, idẽ de exercitu dicendum, cuius naturalis mos eſt, vt licentia furens, doniq. ſpe illectus, libentius Regi, quàm Reipub. libentiſſimè verò pareat Tyranno. Veruntamen, & ſi vires ei defeciſſe videntur, ſi tamen cætera ſimul fuerunt, ſtatus mutationem inducere poterant, ſicut, & induxerunt, indigna, ac miſerandæ Lucretiæ mortis occaſio, accidentia proſpera, iniuria vni ex Regia familia, atque Lucretio vrbis Præfecto illata, cuius officiũ, vt inquit Feneſtella cap. 6. de magiſtr. Rom. maximum erat; nam, vt ipſe inquit, quò ſeſe res vertant, cum Regibus proficiſci opus foret, penes Præfectum Vrbis ſumma rerum relinquebatur. Bruto etiam viro publico, qui populum conuocare poterat, vt tribunus Celerum, cui erat, ſecundus poſt Regem locus, adhuc propter nefarium parricidium, ac propter violentos labores mæſtum, ac exercitum etiam propter Turni proditionem labilem, & ad quãcunque mutationẽ promptum; caſus deinde, non Romæ, ſed foris accidit, quare in Vrbem ingredi re confecta, non tumultus principio, ſed motu armis, iam ſedato, audacia, ac comitatu ab omnibus conſpici potuerunt; neque occaſioni, & accidentibus, & motui, & executioni paſſiones, atque conſilium defuere, paſſio in Collatino, conſilium verò in Bruto, atque Valerio, quæ

omnia facilem Regis expulſionẽ reddiderunt; maximũ enim in Bruto conſilium fuit, tempus enim opportunum ad tantum facinus aggrediendum elegit, idq. fuit, quando Romani Regnum, ac tyrannidem odiſſe incœperant, 2. quia diligentiſsimis cuſtodijs Tyranni palatium circumdauit, ne Tarquinius ſecreti negotij certior fieret, 3. quia populum conuocauit autoritate tribuni Celerum, 4. quia mortuæ Lucretiæ corpus, in platea publicè conſpiciendum præbuit, ac multos agnatos, iniquam mortem deplorare, ac Tyranni atrocitatem lamentari impulit, 5. quia in animum populi liberum ſtatum, ſeu deſiderium libertatis induxit. His quinque, & alijs nonnullis rationibus, quas Antonius Cicarellus diſcurſu nono in Titum Liuium adfert, L. Brutus libertatem inſtituit, ac conſeruauit; attamen ſi populus antea libertatem expertus eſſet, aliter res ſeſe habuiſſet, ſed illius nominis ſono deceptus fuit; libertatem quandam furentem eſſe licentiam exiſtimans; etenim multitudo non aliã cognoſcit libertatẽ, & Tyranno libentius, quàm bonis legibus paret, quòd quidem paulò poſt Romani experti ſunt. Nam populum cogniti erroris (ſi error tamen eſt vocandus) fruſtra pœnituit, Rege iam mortuo, ſtirpe eius deleta, & autoribus, & tumultibus imminutis, & interim libertate inſtituta, & fundata Reſp. autoritate pollere cœpit, inter quam autoritatem, & vires, nullum diſcrimẽ facit, quippe qui rationem non penetrat, vi, atque furore, ac opinione ductus; in ſimilibus enim rebus, plebs quò ſe vertat, neſcit, ſed canes imitatur, qui audito aliquo rumore, ſtatim currunt, & tam amicum, quàm inimicum currentem inſequuntur; at hoc intelligitur, quandò præter opinionem, quis aduerſus aliquem eam concitat.

Cur autem Roma, expulſo Rege, tamdiu libertatem cuſtodierit, præter rationes, quas Cicarellus loco citato dicit, fuit plebis tribunatus, populiq. in rebus magnis ſuprema poteſtas, hæc ad amandam libertatem populum incitauit, & nobiles eo contenti fuere, quandoquidem patritijs, magiſtratus, ac publica adminiſtratio conſentiente populo concedebatur. Quare Tribunatus multitudinis animos confirmauit, & ſi aliquoties ſeditioſi Ciues, ſtatum mutare conati ſint, attamen nullos ſecum habuerunt, ne in populi, qui illius regiminis dominus ſibi eſſe videbatur, iram inciderent; aliqui bonorum populariũ, quorum maximus ſemper in Ciuitate ſtabat numerus, autoritate impulſi, incœptum deſeruere, aliqui etiam a paucorum audacia expulſi fuere, id etiam plurimum iuuat, cum plebs natura æqualiter vilis ſit, ac inſolens, & minimo quoquo verbere vt canis fugit, & minima quaq. inflatione, vt follis intumeſcit. His rationibus, nõ poterãt ſeditioſi tribuni ſolo tumultu, ſine maximis accidentibus libertatẽ opprimere; duo ſolummodo via erant, dolus, ac exercituum vires vis

vlla obtinuit, & voluntate reliquit, dolo autem Iulius Cæſar, viquè amiſit; dicitur autem dolo, quoniam ferociſſimis viribus cum hoſtibus pugnauit, ſed illecebroſis deceptionibus populi gratiam iniuit.

Verùm vt ad intentum noſtrũ redeamus, illarum ſupradictarum conditionum concurſus, mutationem ſtatus facere potuit, qui concurſus, quoniam Iulij Cæſaris tempore non fuit, ſtatum mutare non valuit; triſtis enim fuit occaſio, imperfectum conſilium, & vires nullæ; triſtis fuit occaſio, quia coniurationis conſcij nullum rem gratam populo faciendi, cui Cæſar propter maximam libetalitatem, & clemẽtiam gratiſſimus eaat, argumentum habuerunt; conſilium imperfectum fuit, quoniam Antonium interficere, teſtamenti lectionem, orationem, pompamq. funebrem impedire debebant, & prima confecta, cæteræ proſperè ſuccedebant; mortuo enim Antonio, Octauius, & Lepidus nullam conturbationis materiam Romanis dediſſent; vires defuere, nã populus, non ſolum libertatis Autoribus opitulatus non eſt, ſed eos ſtolida ferocitate eſt inſecutus; idq. euenit Antonij artificio, in oratione funebri multa acerba exclamantis, ſceleſtos, ac parricidas interfectores Cæſaris appellantis; veſtium præſertim adhuc ſanguine madefactarum; ad Cæſaris mortem vlciſcendam populum paulatim excitantis.

Cur autem tempore Auguſti, libertatem recuperare Roma non potuerit, dicit his verbis Tacit. in hoc libro, poſtquam Bruto, & Caſſio cæſis, nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppreſſus, exutoq. Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus, niſi Cæſar dux reliquus: poſito trium viri nomine, Conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebem Tribunicio iure contentum, vbi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otij pellexit, inſurgere paulatim munia Senatus, magiſtratum, legum in ſe trahere, nullo aduerſante: cum ferociſſimi per acies, aut proſcriptione cecidiſſent, cæteri nobilium quantò quis ſeruitio promptior, opibus, & honoribus extollerentur: ac nouis ex rebus aucti, tuta, & præſentia, quàm vetera, & periculoſa mallent. Neque prouinciæ illum rerum ſtatum abnuebãt, ſuſpecto Senatus, populiq. Imperio ob certamina potentium, & auaritiam magiſtratuum inualido legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremo pecunia turbabantur. Quare ſatis conſtat, quàm facile fuerit plebi Romanæ libertatem; in qua tot annos vixit, adimere, quàm facile ſocios, ſubditosq. partim antiquitùs populari imperio rectos, partim a Romanis ipſis libertate donatos, in ſeruitutem redigere, idq. tot virium inſtantibus hoſtibus. at mirabilius videtur Cinnam, Carbonem, Marium, alterum Sertorium, atque eundem poſtea temporis Pompeium principatum affectantem, & Cæſarem male perijſſe, & Augu-

ſti tempore, Vrbs quæ tot annos populi arbitrio gubernata eſt, tot populis imperabat vni ſeruire dignata eſt, quæ Camillum, quia albis equis in triumpho vſus eſſet, in exilium egit, Scipionem euertit, quòd eum Remp. defraudaſſe iudicaſſet, quæ multa in eos ſtatuit acerba, quos Regnum petere ſuſpicata eſt, vnum pati permiſerit, quod quidem accidit, quia Roma cũ varias regiminis formas ſubijſſet, tandem Principem egregium, ac bonum, licentiam habere omnia ex animi ſui ſententia agendi, loquendiq. eſſe cauſam publicæ fœlicitatis exiſtimauit.

Tempore verò Tiberij, qui non Princeps, ſed Tyrannus erat, libertas introduci non potuit, partim ob difficultates, denuò auctas, partim inſuperabiles: primò enim opprimere Principem, vel eius mortem expectare neceſſe erat; eum opprimendi aliud medium non erat, quàm coniurationis, quæ per ſe ipſa difficilis erat, milites enim ſtipatos ad ſui cuſtodiam Principes habebant, ac Imperij ſucceſſores, Cæſaris exemplo, diligentiſſimè omnia obſeruabant, Quare multis coniurationibus patefactis, conſcij quoque interficiebantur; Veruntamen nec coniuratione, nec infirmitate, neque Principis morte Romani libertatem recuperare potuiſſent, ijdem enim machinatores libertatem nolebant, ſed id tantummodo efficiebant, vel vt Principes mutarent, vel vt ipſi Imperij potirentur, exercitus autem, qui Imperatorem eligendi ſupremam poteſtatem vſurpauerat, & populus, apud quem ſecundæ vires erant, ſi ſæpius Principis vitam odio habebant, & eius mortem lætabantur, dominum mutare, non regiminis formam volebant, quod quidem multis omiſſis, expreſsè in Tiberij Calligulæ, ac Neronis morte patuit, nam etſi in animam primi Ciues inuehebantur, & corpus ſepeliri egrè paſſi, ſecundi verò nomen acerbiſſimum plebi eſset, vt eſſe debebat, (optauit enim ſæpe, vt Populus Romanus vnam ceruicem haberet) de tertij morte populus mirabilem ſuſcepiſſet lætitiam, tamen ſine Principe eſſe non conſenſerunt, imò cùm in Senatu de modo libertatem recuperandi ageretur, circumſtans multitudo, maximo tumultu dominum petijt, idq. quoniam plebs poſtremorum temporum Auguſti fœlicitatem conſiderabat, neque credere poterat, quin Princeps, vt Auguſtus eſſet ſucceſſurus. Quamobrem liberalitas, ac Cæſaris facilitas, plus patriæ nocuit, quàm Sullæ crudelitas; Sylla enim cauſa fuit, vt populus tyrannidem odio haberet, Cæſar autem vt ſeruitutẽ pateretur. Nolebat ergo exercitus, populus, & Reſp. libertatem recuperare, & equidem Senatus inualidus, qui non amplius Senatus, ſed turba adulatorum viliſſima erat, cui autoritas, ac vires quotidie deficiebant. His de cauſis tempore Auguſti, Romanis noxia fuiſſet libertas, quia populus

animum

animum Romanum exuerat, & ſeruilem induerat, plebs impura egregiorum Ciuium, numerus imminutus, ferociſſimi in acie cæſi, non aliud remedium erat diſcordanti patriæ, quàm vt ab vno regeretur, purus enim ſtatus popularis mediocrem ciuitatem per aliquod tempus, non autem maximum Imperium regere poteſt; huius rei argumento omnibus ſit optimi Imperatoris Neruæ autoritas, qui poſthabitis agnatis, propinquis, & amiciſſimis, Traianum cum eo nihil negotij habentem, Imperij ſucceſſorem viuens elegit, ſic patriam ſuam liberam reliquiſſet, ſi talem regiminis formam, ei conducturam exiſtimaſſet; idem multi alij optimi Principes effeciſſent; & ipſe Cæſar Auguſtus libentiſſimè Imperium depoſuiſſet, ſicut prius Romani Rempub. adamaſſent; Quare hac ſola ratione, certo quodam modo naturali, propoſita quæſtio ſolui poteſt, aſſerendo Romam illam regiminis formam habuiſſe, quàm ſtatuum natura ſecum adferebat; Quare ſicut L. Brutus ſecundum ſapientum hiſtoricorum opinionem maximum nocumentum Romæ attuliſſet, ſi ante illud tempus quando nempe Regnum ei vtile erat, libertatem inſtituiſſet, ſic et noxius fuit Sulla, tunc temporis, quando libertate gaudebat, ſic, & Galba eam læſiſſet, ſi populi ſtatum, quando Principis illi conducebat, introducere voluiſſet, quod quidem facta mutatione intelligi debet, cum in digreſſione vnius ſtatus, ad alterum, & Reipub. præſertim ad tyrannidem damnum duabus de cauſis grauiſſimum eſſet; Cæſar enim dominandi libidine inflammatus, delere Pompeium coactus fuit, qui vt æqualis Cæſari, naturaliter obtemperare non poterat, & patriam à bona regiminis ſpecie ad ream tranſtulit, & Auguſtum, vt monarchiam confirmaret proſcriptioni aſſentiri oportuit, natura ſtatuum, vt aliter, quàm per vices æquales æqualibus pareant non ferente; hæ ſunt rationes, quæ diſcurſu fieri poſſunt, cæterum veræ rationes diuinæ prouidentiæ notæ ſunt.

Cur verò Imperium Romanum, tandiù durauerit, peſſimis, & truculentiſſimis Imperatoribus dominantibus, ratio in promptu eſt, vna enim violentia, alteri ſubſidio fuit, tam mirabilis in rebus ſimilibus, eſt vnionis vis; ſic corrupti populi, & militum Romanorum, mores, Principum tyrannorum ſtatum, & potentiam tutati ſunt, vt inquit Paulus Paruta lib. 1. diſcur. polit. diſcur. 11. Nam cum Romæ ſumma licentia, ludis, comedijs, theatris publicisq. ſpectaculis, homines vitam tranſigerent, militibus Imperatores omnis inſolentiæ genus permiſerunt; Quare nemo inueniebatur, cui mutatio ſtatus curæ eſſet; imò milites Prætoriani cũ multis vtilitatibus, ac priuilegijs fruerentur, virorum præſtantiſſimorum iuſſa negligebant, & cum eiuſmodi Principes, milites odio habebant, vitam eis eripiebant, alium

Imperatorem eligentes, qui ob præmium ſcelerum, multis donis eos afficiebat; & eo perfidiæ res venit, vt aliquoties Imperium mundi vendiderint, exigua ſoluta pecunia, vt Didij Iuliani tempore accidit, & aliquando ſuſcepere duo manipulares Imperium populi Romani transferendum, & tranſtulerunt; vt inquit Tac. plurimum etiam illis iuuauit antiqua apud Romanos conſuetudo bonorum ordinum militarium; quare & ſi apud viliſſimos homines Imperium eſſet; attamen quia in prouincijs exercitus collecti erant, & ad facinora aggredienda parati, & bella egregij Duces adminiſtrabant, tumultus, ſeditiones, & rebelliones, quæ continuò in tam amplo Imperio oriebantur, ſedabant. Hoc modo Tiberius, non ſolū Galliam, quæ a Romanis deſciuerat, domuit, verum etiam Comagenam, & Cappadociam Romano Imperio ſubiecit, & Nero Corbulone, viro artis militaris peritiſſimo Duce, Parthos Armenia expulit, & Tigranem, deinde Tiridatem Reges conſtituit. Hæc ſunt, quæ adduci poſſunt in huius rei probationem.

Super illam varietatem regim. Vrbis Romæ dicendum eſt de mutatione, ac interitu Ciuitatum.

A qua cauſa Ciuitatis interitus proficiſcatur.

NOn minus difficilis, quàm pulchra eſt hæc quæſtio, propter opinionum varietatem, alij enim cenſent regna, ſicut & alia caſu, ac fortuitò, & oriri, & interire. Alij certis annis ciuitatum periodū circunſcribunt, annum quingenteſimum; & ſeptingenteſimum fatalem Regnis, atque Imperijs exiſtimant; quidā a Cœlorum influentijs, & errantium ſtellarum curſibus, atque aſpectu Imperium pendere arbitrantur, ſingulis Imperijs, Regnis, Rebuſpub. ſydera certa præficiunt, quibus ad conſilia, & actiones, vel vtiles, vel pernicioſas impellantur. Multi ſunt, qui naturæ acceptum hoc ferunt, quæ ad lapſum queq. ferantur; Alij id numeris attribuunt, alij denique viciſſitudinum in Imperijs cauſas vni Deo attribuunt, alij fortunæ.

Notandum hic eſt, tres eſſe potiſſimas Reipub. formas, Monarchiā, Ariſtocratiam, & Democratiam, quæ hoc nomen ab eo habent, quod prædominatur; vt in corporibus patet, quæ ab elemento, vel humore prædominante, ſanguinea, vel melanchonica nuncupantur, vt dicunt Med. & præſertim Ioan. Bap. Montanus in lib. de humor. Monarchia eſt vnius principatus, communi vtilitati conſulens. Ariſtocratia

tia verò poteſtas paucorum, virtute præditorum, ſed plurium vno, hoc eſt optimatum, qui ſic nominati, quia optimi viri Reipub. præſunt. Democratia eſt poteſtas, cum multitudo Ciuitatis adminiſtrationem confert ad communem vtilitatem.

Inter has certum eſt, communi ſententia Monarchiam primas habere. Plato in polit. Ariſt. polit. 3. cap. 7. Xenoph. in Pædia Cyri. Plutarchus in lib. de vnius, & multorum dominatu. Iſocrates in Nicocle. Seneca lib. 2. de benef. Cic. 3. de legib. Volaterranus lib. 36. Philologiæ tit. de politijs. Pontan. lib. 4. de obed. Beroaldus de optimo ſtatu Reip. Agrippa de politijs D. Thom. lib. 1. cap. 1. de Principum regimine. Vida lib. 2. de Reip. dignitate. Patritius lib. 1. de regno tit. 3. & 13. & de Rep. lib. 1. tit. 1. Stobæus ſerm. 45. Simmanca de Rep. lib. 3. cap. 2. & 3. Barbarinus in ſua officina tit. de Principe nu. 10. Tholoſanus de Rep. lib. 5. Petrus Bongus in numerorum myſterijs de vnitate. Caſtellanus lib. 1. de off. Reg. Hieronymus Oſorius lib. 1. de reg. inſtit. Hiſtorici præterea, Herodotus lib. 3. Halicarn. lib. 1. Iuſtinus lib. 1. Dion. lib. 44. Curtius lib. vlt. Suetonius in Calig. Arrianus lib. 1. Aemilius lib. 1. de rebus geſtis Francorum. Guic. lib. 2. Tum, & poëtæ, Homerus, qui vnum Regem requirit 2. Iliad. Heſiodus in Theogonia. Euripides in Phœniſſis. Vltimò ferè omnes, qui contrarium ſentiunt, regimen vnius tempore belli melius eſſe affirmant, quoniam celeres negotiorum expeditiones requiruntur tempore belli, quæ multorum conſilijs retardari ſolent.

Id autem probatur primo, nam vt inquit Plato de rep. lib. 1. nullum pernicioſius Ciuitati malum, quàm quod eam diuidit, & ex vna plures facit, vel melius quidquam eo, quod ipſam vnit ſimul, & vnam efficit; hoc comprobat Speuſippus, rem propriè dici bonam, atque perfectam, dicens, quando ſit vna, cum res quilibet in ſe habeat bonitatem ſuam per vnitatem, qua ſuum ſuſcipit eſſe. Tandiù enim eſt quidquid eſt, quamdiù vnum eſt, cum autem deſinit eſſe vnum, deſinit eſſe id, quod eſt.

In vnione poſita eſt ſalus; contra in ſectione, diſtinctione, & diuiſione pernicies; Ideò quoad eius poſſunt efficere, vniuerſa omnia, ſiue naturalia, ſiue quæ arte conſtant coniungunt ſeſe, ac condurant, atque in vnione ad ſui tutelam perſiſtunt; Lapis vt eſſet lapis, omnes eius partes, omnisq. natura in vnum ſolidata eſt. Quid? arbor, arbor quidem non eſſet, ſi vna non eſſet. quid? membra cuiuſlibet animantis, ac viſcera, & quicquid eſt eorum, quibus conſtat? certè ſi vnitatis patiantur diuortium, non erit animal; voluptas ipſa non ob aliud delectat vehementiùs, niſi quod animantia ſeſe corpora, in vnum coguntur, amor vnum vult fieri cum eo, quod amat, & ſi ei contin-

contingat vnum, cum eo ſit; amici quidem quid aliud quàm vnum, eſſe conantur, & quantò magis vnum, tantò magis amici fiunt, populus, vna Ciuitas eſt, cui eſt periculoſa diſſentio, quid eſt autem diſſentire, niſi non vnum ſentire? ex multis militibus fit vnus exercitus, Itemq. multitudo eò minus vincitur, quò magis in vnum coit. Vnde ipſa coitio in vnum, cuneus nominatus eſt, quaſi couneus. Videmus enim ab vnione generari virtutem, quia quantò vnio ſtrictior eſt, tantò fortior eſt virtus, & quo eſſentia eſt magis vnita, eò maioris cenſetur eſſe virtutis. Hinc ad humanum principatum deſcendendo concluditur, vt inquit Petrus Bongus, analogiam quandam terreni Principis, ſicut, & diuini, cuius gerit ſimulachrum, quo quidem modo procedit autor quidam dicens, non poſſunt eſſe Rectores multi in hoc mundo; nec in vna Naui gubernatores multi, nec in vno regimine multi Reges; ſed vnius Rector in mundana fabrica, moderator vnus in bello vnus eſt ſummus Imperator, & in quouis grandi exrcitu vnius ſignum expectatur. Rex vnus eſt apibus, & vnus in gregibus, & in armentis ductor vnus. Grues vnum ſequuntur, ordine iterato, formam trianguli efficientes; in Naui vnus eſt gubernator, in Ciuitate vnus Imperator, in corpore vnum caput, in Regno vnus Rex, in Eccleſia vnus Pontifex Maximus.

Oportet, inquit Nicolaus Cuſa vnum eſſe Principem multis ex cauſis, etiamſi principatus ipſe ex pluribus heroicis viris vnitus, & compactus foret, alioquì confuſio exoriretur, quando in imperando plures concurrerent, & confunderetur ordo, quando ſubiecti, cui obedire potiſſimum deberent, neſcirent. Quod ait Lact. lib. 5. de vera ſap. quid faciet ſeruus, ſi multi domini diuerſa imperauerint. Rurſus ſi tres mundi partes, Aſiam, Africam, & Europam Regibus diſtributas tribus ſubegeris, facilè admodum continget, vt vel vnus duobus, vel duo vni quandoque bellum inferunt, aut ſaltem de finibus, aut alia quapiam de re diſceptare cogantur.

In vnum igitur conferendum eſt Imperium, quo humana gubernatio diuinæ ſit quàm ſimillima, quod vna ſit & diuina eſſentia fons omnis virtutis, & poteſtatis, cuius etiam nomen vnica ſimpliciſſima expreſſum eſt littera Iod. Sic eſt vna ſuprema intelligentia, fons vitarum in mundo intellectuali; in ſupercœleſti Seraphin præeſt. vnus, in mundo cœleſti Rex ſtellarum fons huic Sol, quem Aſtrologi per excellentiam circulo notant integro, centroq. viſibili; vnus in volatilibus Fœnix, vnus inter feras Leo, vnum inter Metalla aurum, inter potus genera vinum; vnum elementum vincens, & omnia penetrans ignis, vnum eſt principium, quo reliqua viuunt, ſcilicet cor, quod eſt primum viuens, & vltimum moriens. Vnus in mixtis homo,

mo, in quo poſtremò tota cæterorum perfectio continetur; Principia rerum ad vnam cauſam, omnia, quæ in mundo ſunt ad vnum Deum, tendunt .

Probatur ſecundò, nam, vt inquit quidam, quantò magis principatus ciuilis aſſimilatur Imperio vniuerſi, tantò excellentior eſt, & habetur, ſed Monarchia, hoc eſt vnius principatus, ſimillima eſt Imperio vniuerſi, ergo vnius principatus eſt longè optimus.

Probatur tertiò, ille ſtatus eſt optimus, qui eſt antiquiſſimus, quiq. ijſdem modis defenditur, quibus comparatur, ſed Monarchia eſt eiuſmodi, ergo, aſſumptio patet, quia Deus in creatione virum vnum patrem, Regemq. omnium fecit, & populus in terris numeroſè auctus, vnum elegit ſapientem virum, qui cauſas diſcuteret, iniurias illatas propulſaret, ſic Saturnus in Italia, ſic Romulus Romæ, ſic Theſeus Athenis, ſic Amphion, & Cadmus oblata Imperia Thebis ſuſcepiſſe dicuntur .

Quartò, Illud Imperium melius eſt cenſendum, quod ad naturam magis accedit, at Monarchia magis ad naturam accedit, ergo, maior probata eſt ſuperius, minor patet de Rege Apium, ac Gruum, ſed qui de Rege, ac Apum natura non admiretur? Regem habent, quis negat? illi obtemperant, quis non fatetur? fauos, & domos habent, quis contra diſputat? mel, & ceram in examen, tamquam opes in Ciuitatem, communemq. theſaurum ferunt.

Quæ præcepta doctrinæ non habent? nempè Regem inter apes carere ſtimulo, pro ſuo victu non laborare, ignauos à præſepibus arcere, bombitu tamquàm tuba ad mortem incitare, quid multis? volat, ſequuntur omnes, pugnat, digladiantur omnes, moritur, lugubri quaſi ſono lamentantur omnes, ſepultura facta (nam in examine mortuum non retinent) ſepeliunt, nouum conſilium ingrediuntur, omnes conuocantur ciues, conſultatur ad tempus, Rex nouus creatur, cui creato obediunt, & obſequuntur omnes; idem de Gruibus. quare Monarchiam naturam poſuiſſe videtur.

Probatur quintò, ex aliarum imperfectione; nam certum eſt multitudinem promiſcuam abſque conſilio, & oratione inſtar torrentis ad res agendas ferri, atque obuia quaq. non ponderatis, ſed numeratis ſententijs accipi. Athenas, Romam à Principibus conditas, conſtitutas, & conſeruatas fuiſſe; a multitudine verò vexatas, direptas, & funditus exciſas conſtat, & in paucorum dominatu non minora reperiuntur, quæ ad vnius retinendum Imperium bonos, inq. Remp. præclarè animatos hortantur. quid enim? an non pauci etiam ad ſummũ honorem dignitatis per faſtigium euecti, ſuperbè alijs imperant, & vel ocio, vel cupiditatibus, vel poteſtati ſuæ proſpiciunt, plenè omnes

ſunt

ſunt libri, plena ſapientium voces, plena exemplorum vetuſtas, quæ eiuſmodi Imperij formam potentiſſima Imperia, Reſpub. florentiſſimas turbaſſe, ſæpe etiam euertiſſe funditus commonſtrant. Etenim, cum vt quisq. vir eſt optimus, ita maximè virtutis ſui ſpecimen aliquod edere, præclarum reliquorum caput Princeps eſſe in ſententia dicenda, vincere, anteceſſere, cæteris prudentiæ, ingenijq. gloria cupiat, æmulationes oriuntur ex æmulationibus, ſimultates exiſtunt, ex ſimultatibus, odia aperta naſcuntur, ex odijs ſeditiones erumpunt, ex ſeditionibus, tandem cædes, omnisq. generis ſcelera, atque maleficia gignuntur. contra.

Ad Imperij gubernacula qui ſedet, & ſi fortè, nec ingenio ſit præditus magno, nec a doctrina comparatus, nec inſtitutus prudentia; vſu tamen longo, atque experientia edoctus, ea quibus conſeruari, augeriq. res ſoleant, publicæ, intelligit.

Ad hæc, quòd ita homines à natura ſint animati, vt in rebus ad ſuum magis, quàm alienum commodum pertinentibus multò ſint ſagaciores, & vigilantiores, qui ſolus rerum potitur, quia ſua, non aliena ſeſe tractare animaduertit, eamq. firmiter ſpem alit ſe filijs, quibus nihil dulcius hominum generi à natura eſt datum, hæc eadem relicturum, longè maiori ſtudio in res agendas incumbit, quæ ab ijs ferè non videmus, qui alienorum in ſeſe procurationem ſuſcipiunt. Maximè quoque Imperiorum in eo ſitam eſſe ſalutem conſtat, vt non modò ſint conſilia bona, & ſalutaria, verùm etiam benè occultentur, non eliminentur, aut prodantur hoſtibus; Hoc verò, quin vnius in dominatu melius, quàm reliquis Imperiorum formis fiat, nemo eſt, qui dubitet, vt inquit quidam in oratione pro vnius dominatu.

Probatur ſextò, nam non ſolum propter optimatum, & præſtantium Ciuium odia, atque ſimultates, a quibus leuiſſima ſæpenumero de cauſa, diſcordia, ac cædes oriuntur, ſed & inter bonos, pacisq. amãtes vnius alicuius neceſſarium eſſe Imperium videtur, nam qui pares ſunt, eadem ſeſe iure vti arbitrantur, neque alijs, vel latum, vt aiunt, digitulum cedere cupiunt, vt affirmat quidam in Oratione pro Monarchia.

Probatur ſeptimò ex naturali hominum ſapientum inclinatione, nam vllus eſt, qui non cupiat eius potius Reip. ciuis eſſe, in qua ſua virtus non ignoratur, quàm nulla re vulgò potiùs deliteſcere, vt inquit Iſocrates in Nicocle; virtus autem præcipua locum ſuum habet in Monarchia.

Probatur octauò ex populi facilitate, nam facilius vnius viri iudicio, ac voluntati ſatisfacere, quàm operam dare, vt multis, ac varijs ingenijs placeas, poteſt.

Pro-

Probatur nono, à ſimilitudine, nam, vt gubernatores cum in re nautica plures dantur, qui ſimul clauum torquere velint, etiam ſi artem gubernatricem tenent, nihilominus ſe ipſos in naui dirigenda impediunt, ita quoque in reliquis Rerump. formis impedimenta multa, & varia iniƚciuntur, vt inquit quidam. ex Homero etiam patet, qui 2. illiade non eſſe bonum multos regnare affirmat.

Nec multos regnare bonum, Rex vnicus eſto
Vnius Imperium, cui Iuppiter aurea magnus,
Sceptra dedit. iuſſitq. ſuis dare iura tuendis.

in Repub. ciues per vices annorum magiſtratus ſubeunt, prius fiant, iterum priuati, quàm Reipub. negotia cognoſcant, eorumq. ſibi experientiam comparent, qui verò ſemper iiſdem officiis funguntur, licet ingenij fuerint inferiores, experientia tamen vſque rerum longè cæteris præferendi ſunt, vt inquit Iſocrates.

Probatur à ſimilitudine, nam ſicut in terra, ſi gemini ſoles forent periculum immineret, ne omnia conflagrantia peſſum irent, ita & hominum ſi in vno Regno duo eſſent, omnia ruerent.

At contra prædicta obiicies, argumentum illud de natura nihil valere, nam & ea democratiam in formicis poſuit, quæ democratiam ſequuntur.

Reſpondetur in formicis veram non eſſe democratiam, quandoquidem nulla eius officia in eis conſpiciantur, & dato, quòd eis vera democratia ineſſet, ſemper melius debemus ſequi, quod in eiuſmodi rebus monarchia eſt.

Obiicies ſecundò, ſicut vniuerſus Orbis terrarum, vnum Regem pati non poteſt, ergo nec pars debet, antecedens patet, nam ſecundum Ariſtotelem impoſſibile eſſet, vnum ſolummodo vniuerſum Orbem adminiſtrare poſſe, nam, vt ipſe dicit, omnibus timorem incutere, ſicut anima aliud maius corpus, quàm proprium informare, ſicut nec Nauis longa mare per omnes locos nauigare non poſſet. Ad hoc vt reſpondeamus, quærendum eſt.

Vtrum mundus ab vno poſsit gubernari.

Dicendum eſt, quòd, ſi vir vnicus, qui & Princeps, & Sacerdos eſſet, mundum adminiſtraret, vitam homines beatam, atque fœlicem tranſigerent; Nam omnes mundi moleſtiæ, aut à bello, aut à fame, aut à peſte, aut à patriæ, ac naturali religioni contraria opinione

nione oriuntur: Hae diuerſa opinio, quæ ſchiſmatum, ac hæreſum cauſa eſt, fundamentum multarum rerum non iaceret, niſi Principes vellent; quare ſi vnus eſſet, hoc euenire non poſſet; & multitudo ab aliquo peruerſo concionatore non perſuaderetur, ſi omnium Princeps Sacerdos eſſet, qui eiuſmodi eſt autoritatis, vt nulli alij credatur, quàm illi, ſi armatus maxime eſt, & ab antiquo autoritatem in veraci religione habeat, vt, verbi gratia, Summus Pontifex veriſſimæ religionis Præfectus. Timor enim humanus, ac diuinus illa argumenta, quæ contra armatam, ac veram religionem fierent, quæque in populorum mentibus inſiderent, falſa eſſe oſtenderet: Nam vlli concionatori populus non poteſt credere, niſi ille à ſummo Pontifice autoritatem habeat, exceptis regnis illis, ac prouincijs, quarum potiuntur Principes, qui vires concionatori impiè ſubminiſtrant, vt fecit Saxonus Luthero, quod quidem non accideret, ſi vnus tantummodo omnia regeret.

Bellum autem ſuſcipitur, quia Princeps, aut ambitione, aut auaritia, aut neceſſitate, aut inimicitia, aut iniuria, aut domicilia multitudini quærendi cauſa ad aliena rapienda mouetur: quæ procul dubio ceſſarent, ſi vni tantummodo omnes obtemperarent, & coloniæ ordine deducerentur, quæ omnia ceſſauere, & mundus lætus, ac tranquillus vixit 18. annis ſaltem, Cæſaris Auguſti tempore cognitarum nationum Monarchæ, cui prouinciarum præfecti, Tetrarchæ reges, cæteriq. magiſtratus illi ſubordinati, in gloriæ ſtudium, non belli, quod eſt contra naturam, incumbebant, de bono, ac malo, de Dei operibus differentes.

Fames ceſſaret, quoniam in omni climate ſterilitas eſſe non poſſet, quare, & quod vni deeſſet, alteri ſuperabundaret, & omnia Principis, ex locis, vbi cibus abundat, ad illos, qui annona carerent, commeatus aſportaretur, cædes, bellum, victum quærendi cauſa, atque inter emptores, ac cæteros venditores auaritia vlla non eſſet.

Peſtem autem homines non intelligerent, cùm illa à corrupto aere, & aqua oriatur, & omnibus in locis peſtem generari impoſſibile eſt, & a peſtiferis locis ad ſanos homines migrantes, quod fieri facillimè poſſet vno dominante aeris, & aquæ intemperiem aufugerent; quod ſi Deus propter populi peccata eam immitteret, nullusq. eſſet fugæ locus, patienter eſſet toleranda. Deinde hominum ſapientia, magis in dies incrementa caperet, quæ omnibus prouideret, & medicina, phyſica, ac naturali mathematica (nam aſtrologiam iudiciariam falſam eſſe tenemus) alijsq. ſcientijs hominum vtilitati ſapientes conſulerent.

Præterea, ſi orbis terrarum vnus potiretur ſcientia propter nauigatio-

gationem, itinera, mercaturas, & varias communicationes, præſertim politicas, quæ plurimis indigent ignotis obſeruationibus, perfectiores euaderent.

Sed Diabolus generis humani acerrimus hoſtis, vt homines tamquàm vermes in caſeo, in regionum ſuarum terminis ſe continerent vellet, idq. vt ignaros omnes redderet, ac deciperet, nec vt obſeruare quicquam poſſent, neque Dei opera in Regionibus inueſtigare ſed linguæ, ac religionis varij, rerùm cognitione amiſſa, bello ſolummodo, morte, continuis periculis, ac timoribus ſine charitate, contra Deum omnium patrem, & inter eius filios commercia haberent. Noui mundi inuentio mirabilem inter nos cognitionem peperit.

Cæſaris, Cyri, ac aliorum bella, politiam vbi non erat, introduxerunt, ac in barbaros animaduerterunt.

Quare Ariſtotelem dicendum eſt, intelligere de regimine vnius per ſe, non per alios. Nam vicem gerentes in omnibus prouincijs eſſent, ſucceſſores opportuni ſemper forent mortuis, magiſtratus eò temporis ſuccederent, vel omnes primati obtemperarent; Ariſtoteles Auguſti Imperium non vidit, nam ijs ſimilitudinibus vſus non eſſet. Quare à capite omnibus legibus, ac magiſtratibus in vniuerſum Orbem prodeuntibus, tabellariorum celeritate, ac nauigationum, exercitibus in locis infirmis, ac ſuſpicioſis collocatis, omnia exequi homines poſſent. Similitudo Ariſt. non valet, nam Reſp. eſt quidem corpus, at Princeps non eſt anima, ſed caput, & religio anima, quæ eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, omnis enim homo, ac Reſp. eoſdem articulos, idem Euangelium credere tenentur. Ariſt. ergo religionis mirabilem vim, & ſeculum in Deum renatum, ac in vna fide coniunctum, ſed corruptum conſpexit. At in Chriſto non eſt Barbarus, neque Scyta, Iudæus, neque Gentilis, ſed omnia in omnibus Chriſtus, qui mirabiliter vniuerſa vnica religione regit.

Hoc autem experientia probatur, nam Rex Hiſpaniarum, qui Orbem terrarum magnitudine Imperij circundat, & in longinquas, ac latiſſimas dominatur regiones, omnibus neceſſitatibus per miniſtros, ac vicem gerentes præſtò eſt, ac religionis vi in vnum omnes coniunctos habet, & ſi terræ zonas omnes poſſideret, idem efficere poſſet, adminiſtrationes augendo, ac duos miniſtros in qualibet parte collocando, vt eſſet qui mortuo ſuccederet. Et ſummus Pontifex, qui totius mundi caput eſt, omnibus nationibus prouidet, primates enim Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos creat, qui regionibus ius dicunt. Nonne commodius id efficeret, ſi temporalis dominij potiretur. Magna eſt vis religionis, quare Sotus non rectè ſentire

tire videtur, qui vt Ariſtotelis imitator vnius dominium in vniuerſo Orbe contra naturam eſſe affirmat, & deinde ſummi Pontificis dominium, vt per totum terrarum Orbem poſſibile probat in ſpirituali. aſſignetur quæſo ratio cur idem in temporali iuriſdictionem in omnes habere non poſſet, iuxta illud: Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. homines coniunctiores, ac tutiores eſſent, & iuſtitia, ac abundantia in toto Orbe terrarum adinueniretur. Eandem vnitatem Alex. ad Darium ſcribens, cognouit in illa Solis comparatione, in qua naturale vnius regimen eſſe oſtendit, vt quoque Cyprianus ad Corn. Pontif. ſcribens affirmat, vnus Deus, vnus Sol, vnus Rex in apibus, vnus armentarius, vnus & C. quod ſuperius dictum eſt. Quare Ariſt. reſpondetur, verum eſſe id per ſe. non per alios.

Notandum hic primo eſt, eandem Ciuitatem multas poſſe mutationes ſubire, vt de Romana patet, quæ Reges primò habuit, poſt Tyrannidem, tum in optimatum poteſtatem venit, hanc democratia excepit, eandem tandem vnius dominatus ſecutus eſt; & Athenienſis regibus ſublatis populus Imperium tenuit, inde optimates poſt ab Hippia Tyrannis eſt inchoata, quam denique triginta Tyranni habuere; Idem de Spartana.

Notandum ſecundò, ex Monarchia, tyrannidem, ex optimatum Imperio Oligarchiam, ex democratia Ochlocratiam, & è contra prodire. Reſpublicas enim modò in remotas, modò in propinquas formas abire certum eſt. Quare boni vnius regimen Monarchia, mali verò Tyrannis, plurium bonorum, Ariſtocratia, plurium verò malorum, Oligarchia, omnium bonorum politia, omnium malorum ochlocratia nuncupatur. His prænotatis.

Dicendum primo, numeros non eſſe cauſas mutationis, ac interitus Ciuitatum, ſed antequam probemus notandum eſt Pythagoricos multum numeris attribuiſſe. triplicem enim ſic in rebus ordinem ſtatuũt, ſpecierum, figurarum, ac numerorum, ſed numeros tenere principatum volunt. Ab his enim omnia pendere, in his omnia conſiſtere. Hos rerum omnium principia, & elementa agnoſcunt, quum & numeros non ſolum inter efficientes cauſas, ſed etiam inter ſubſtantias reponunt, ens, & vnitatem omnino confundunt, ſic autem ratiocinantur.

Quemadmodum in numerorum materialium ſerie vnitas, vnitati addita binarium conſtituit, eadem binario addita ternarium, & ſic de cæteris, ita vnitas ſubſtantia alteri addita binam efficit, adeò vt ſicut vnitas numerum, cui additur immutat, ita ipſa eadem, ens, cuĩ adiungitur variat. Ex numeris porrò alios pares, alios impares eſſe volunt, pares fœminas, impares mares appellant; illos imperfectos,

diui-

diuiduos, infœcundos. Hos perfectos, indiuiduos, fœcundos; propte-
reaq. principij rationem obtinere putant. Plato etiam numerorũ vim
ac dignitatem adeò extollit, vt ſine illis neminem philoſophari poſſe
pronunciet. Quærit diuinus ille Philoſophus; cur homo animal ſit
ſapientiſſimus, reſpondit, quia numerare nouit, animam definit nu-
merum ſeipſum mouentem. ſunt qui Ariſtotelem huius ſectæ fau-
torem agnoſcant, is enim primo de cœlo, ternarium numerum natu-
ræ legem appellat, ſecundum quem naturalia omnia diſponantur,
ac propterea corporum res dimenſiones non plures eſſe putat, quòd
ternarius ſit omnia, deducta demonſtratione, & pythagorica do-
ctrina. Nullus in numeris ordo ſine ternario Arthimeticus namq.
Geometricus, & Harmonicus ordo tribus abſoluitur, principio ſcil.
medio, & fine.

Neque verò numerorum vim repudiauit admirandus Hippocra-
tes, nam epiſt. quadam ad Theſſalum filium hæc ſcribit. ad nume-
rorum ſcientiam multum ſtudij adhibeto, numerorum enim ratio, &
ad circuitus, & ad tranſmutationem febrium præter naturam fien-
tes, & ad iudicia ægrotantium, ac ſecuritates in morbis ſufficiens
erit. Præclara ſunt Pythagoræorum hæc de numerorum miraculis,
ac viribus placita, ſed ſi philoſophica trutina ponderentur, erroris ple-
na, omninoq. ſuperſtitioſa æquus veritatis æſtimator iudicabit, vt
inquit Andreas Laurentius, qui cap. 3. lib. 3. de criſib. nullam in nu-
meris vim eſſe agendi probat. Nullum numeri habent in natura
Imperium, non ſunt ſubſtantiæ, ad quantitatis eiuſq. diſcretæ cate-
goriam referuntur. At quantitas apud philoſophos, nullam agendi
vim habet. Tribuitur omnis actio qualitati. Ariſt. 12. metaph. cap.
penult. & vltimo arguit Pythagoreos, qui numeros, ſubſtantias ſe-
paratas, & entium cauſas eſſe volebant. Gal. cap. 8. lib. 3. de dieb. de-
cret. omnia inquit, quæ de numerorum viribus Arithmetici nugan-
tur, tam facile abſurda eſſe deprahenduntur, vt mirari mihi ſæpe
ſubeat, aut ſic pythag. ille ſimul, & prudens fuerit, & ſimul tantum
poſſe numeros exiſtimauerit. Numerus, quatenus numerus non agit
in naturalia corpora, ergo, nec minus in voluntatem. (probabimus
enim inferius cauſas mut. ac inter. morales eſſe.) Plin. lib. 7. nat.
hiſ. cap. 40. contra numerorum vanitatem ita exclamat. Heu vana,
ac imprudens diligentia numerus dierum computatur, vbi quæritur
pondus, alius de alio iudicat dies, & tamen ſupremus de omnibus,
ideoq. nullis credendum eſt, quid quod, bona malis pauca non ſunt,
etiam pari numero. quod ſi ſero philoſophandum ſit, quomodo in
hominis naturam, ac Ciuitates Imperium aliquod habebit numerus,
cum numerus per ſe nihil ſit, & ſi Metaphyſicis credendum non

ſit ens reale, ſed intellectus tantum; non eſſe ens per ſe, ità demonſtrari poteſt, quod eſt multa ſimpliciter, non eſt vnum ſimpliciter, & proinde nec vnum ens per ſe; at numerus eſt multa ſimpliciter, vt docet Ariſtot. cap.1.lib.3.phyſ. vbi ait eſſe vna plura, & 10. metaph. numerum vult eſſe multa vna. Quin etiam ex duobus nunquam fit vnum per ſe, niſi illa inter ſe vniantur vnitate continuitatis, vel intentionis, aut alterum ſit forma alterius. At vnitates, ex quibus conſtat numerus, neque vniuntur inter ſe in aliquod vnum continuum, neque vnitas forma eſt aliarum, non erunt igitur ens per ſe. Adde quod ſi ex ſubſtantiarum vnitatibus non fit vnum per ſe, quomodo ex vnitatibus quantitatum fiet. neque verò ens reale debet dici numerus, numerus enim quatenus numerus conſtat ex vnitatibus, omnis vnitas quædam eſt indiuiſio, omnis indiuiſio negatio eſt, ſeu priuatio. Conſtat ergo numerus negationibus, at negationes ſunt non entia. Quòd autem numerus non ſit ens reale, docet multis in locis Ariſt. in prædicamentis ſcribit in partibus numeri eſſe ordinem, id autem fieri non poteſt, niſi quatenus ab intellectu percipitur; octauo metaph. numerus inquit vnum eſt, ſed velut cumulus, aut ſi ſit dicendum quid nam illud ſit, quod ipſum efficit vnum ex multis, ac ſi diceret niſi detur in numero vltima vnitas, quæ ſit velut forma præcedentium, non fiet numerus vnum quid, id autem non fit niſi intellectu, & ſatis imperfectè, hoc eſt non ratione compoſitionis, ſed ſolius ordinis, qui mente colligitur. 3.phyſic. numerus eſt vna plura, quantam quædam eſt ergo numerus ens intellectus, non ens reale, non cauſa efficiens, non ſubſtantia, vt volunt Pythag. proptereaq. nulla ineſt numeris agendi vis. Plato numeris multis tribuit, ſed veriſimile eſt, vt plerique ſentiunt, eum non de materiali, & vocali numero, ſed de rationali, ac formali loquutum, & per numeros ipſas rerum naturalium formas ſubſtantiales intellexiſſe. Ariſtoteles dum libris de Cœlo ternarium naturæ legem dicit, non agnoſcit eum numerum, tamquàm agentem cauſam, ſed vt docti omnes interpretantur; legem ex cauſa manantem, aut cauſæ iunctam, cuius exemplo naturalia diſponantur. ſunt enim mouentes omnes cauſæ, certo prædita numero, cuius ratione tamquam exemplari aliquo diſpenſantur, mouentur, gubernantur. numerus ergo nihil agit, ſed ratio numeri nobis incognita, mira præſtat. Quare ij numeri, qui aliquid efficere videntur, vt ſeptenarius nullam vim agendi habent, ſed eos ſibi elegit natura numeros pro delicijs, ijs mirum in modum oblectatur, ac gaudet, vnde fit, vt ſeptimo quoque die, menſe, & anno maxima contingant

tingant

tingant mutationes. His argumentis etiam illa opinio cadit, quæ Ciuitates quoſdam annos Clim. habere affirmat; nam ſi eo tempore Imperia cadunt, id tali numero eſſet adſcribendum, quod ſuperius falſum eſſe oſtenſum eſt. Prætereà experientia in contrarium eſt; nam opinio, quæ certos quoſdam annorum limites conſtituit, quos tranſilire imperia nequeant, tota vacillans, fluctuans, ac incerta eſt; nunc enim annum 500. nunc 250. nunc 700. metuendum pronunciat. his ipſis alia naſci ſolere, alia denaſci, oriri alia, alia interire Imperia putat; ſi annos colliget eos, quibus titubarunt, ceciderunt, perierunt Reſpub. infinitum eorum numerum reperiet, quæ ad illos annos non peruenerunt. Annum 12. fatalem, affirmato, inquit quidam, hoc namque Alexandri Magni Monarchia in quattuor eſt partes dilaniata, omittam ego nunc Vandalorum in Africa regnum, quod anno 96. poſt ortum ſuum extabuit, quare falſa eſt hæc de annis climatericis ſententia; nam ipſam fluctuare conſpicitur, nec quemquam certum annorum terminum conſtituere poſſe, & præcipitari, non deſcendere per gradus in exitium Imperia veriſſimè cernuntur. quare cum certorum annorum non ſemper obſeruatio reſpondeat, ſed interdum vel deficiat, vel excedat, falſa hæc opinio eſt tenenda.

Illa autem opinio, quæ fortunæ, & caſui mutationes, ac Regnorum interitus acceptos refert, puerilis eſt, & abſurda; imò qui temerè, ac fortuitò nullo, vel ordine, vel conſilio, & oriri, & extingui Reſpub. exiſtimant, Epicurei videntur; nam huius ſententiæ Epicurus autor fuit, qui ſtatuit quod æternum, beatum ſit, id nec habere ipſum negotij quicquam, nec alteri exhibere. Hoc poſito veluti fundamento, infinitos labyrinthos extruxit, mundi eſſe conditorem Deum negauit, diuinam ſapientiam fatidicam anum appellauit, ſeruitutis eſſe cuiuſdam cenſuit omnia prouidere, & ad ſe arbitrari pertinere, ex atomorum denique cohærentia fieri cuncta opinatus eſt, quòd dogma quàm peruerſum, quàm flagitioſum, quàm impium, quàm longa refutatione dignum ſit, omnes iudicare poſſunt; leuate, vt inquit quidam capita veſtra, & Solem hunc principem, reliquorum errantium ſyderum intuemini, hunc ne caſu, an temerè mundi globum duodecim menſibus ambire putatis? tantum ne quiſquam tribuere fortunæ poteſt, vt caſu dies bruma breuiſſimos, æſtate longiſſimos fieri ſtatuat, ex brutis, bruta caſu, ex hominibus, homines generantur? caſu nos æſtate Solis feruor torret? Hyeme frigora conſtringunt?

caſu innumerabilia alia ſemper, vel plerunque eodem modo eueniunt? nemo affirmabit niſi fatuus, cæcus ſole, & ſale conditus philoſophia non fuerit, & nimirum hanc mundi machinam pulcherrimam, fortunæ, vel opus, vel ludum eſſe dicemus, cui illa priora collata ſi fuerint, non maiorem cum ea ſimilitudinem gerere inueniantur, vt ait quidam.

Simia quàm ſimilis, turpiſſima beſtia nobis.

Neque naturæ, mutationem, interitumq. Ciuitatum eſſe referendum ex eo, quòd naturale eſt, vt quæ ortum habent, conſequenter expectent citius, aut tardius interitum, omniaque, quæ ſub perpetuo motu Cœli ſunt, varietatem, ac interitum experiuntur, vt generationem, & corruptionem; neque ex eo, quòd ſicut homines adoleſcunt, ſeneſcunt, ac intereunt, ſic & Ciuitates; nec ex eo, quòd ſicut in phyſica generatio vnius eſt corruptio alterius, & corruptio vnius eſt generatio alterius; nec ex eo, quòd ſicut corpus phyſicum duplici generaliter modo perit, videlicet morbis, & ſenectute, & vi externa, ſeu morte illata, & naturali, ſic principatus, & Reſpub.; neque ex eo, quòd ſicut corpora principium, augumentum, ſtatum, declinationem, ſic Imperia habere: Nam hæc, & ſimilia verum eſt, ad ſimilitudinem naturæ referri, ac cauſas mutationum, ac Ciuitatum interitus non eſſe; ſed naturæ actionibus propè accedere: Nam etſi verum eſt, naturale eſſe omnibus ijs, quæ ortum habent, etiam intereant, attamen negamus naturam eſſe corrup. rerump. cauſam, niſi quis diceret formam rerump. naturam eſſe, ſicut eſt forma, & materia phyſica, cuius appetitu materiæ rerum naturalium corrup. fiunt, quo quidem abſurdius, & obtuſius? &

Ratio ſecunda ſimilitudinis valeret, ſi idem fundamentum vtraque haberet, nam homines viuunt, quòad humidum radicale permanet in corpore, quo abſumpto homo interit, & naturaliter eſt impoſſibile, vt renaſcatur, ac viuat. At Reſpublicæ pro fundamento habent homines, qui cùm ſucceſſiuè procreentur, poteſt eadem forma permanere, imò ijdem homines poſſunt formas Reipublicæ eſſentiales mutare abſque vlla corruptione. Præterea homo ſi ſenectutem attingit, augumentum capere non poteſt, at Reſpub. poteſt, vt de Romana patet, quæ primò habuit principium, ſecundò augumentum, tertiò ſtatum, quartò declinationem, in qua non interijt, ſed & ad augumentum redijt; multum ergo inter vtramque differt, cùm vna mutuas ætates ſubeat ſine vlla corruptione, altera verò in ſenio contabeſcat, ac moriatur.

Quare

Quare eſt ſolummodo quædam naturæ imitatio, nam ſicut homo plures ſucceſſiuè ætates, ſic & Reſp. vt dicit Aloyſius Regius lib. 7. de viciſſitudine rerum, vt vrbis Romæ infantia ſub Romulo fuit, qui eam fundauit, pueritia ſub alijs regibus, qui eam auxerunt, ſed ſub Tarquinio cum augumentum non mediocre cœpiſſet, ſuperbi dominij iugum non amplius eſt paſſa. Adoleſcentia in fine Punici belli finem habuit, & cum vires ſuas corroboraſſet, in iuuentutem ingreſſa eſt, incœpit deinde ſenectus inter bella ciuilia, dum malis internis afflicta, & diſcordijs feſſa, iterum in infantiam ſe reduxit, cuius vigorem vſque ad Traianum conſeruauit, & iterum ſub Arcadio ſenex euaſit. Verum non ſequitur homo in ſenectute interit, ergo, & Reſpub. nam ſatis conſtat in ſenectute multas extinctas non fuiſſe.

Illud axioma verum eſt in phyſicis, quod in ſenſu formali verum eſſe non poteſt, cum generatio, & corruptio contrarientur, ſed in ſenſu accipitur, quem potiſſimum intendit Ariſtoteles, quia vid. vna ſemper aliam comitatur, vt cum dicitur generationem vnius eſſe corrupt. alterius, ſenſus ſit, quod ſemper generatio vnius, eſt coniuncta cum corrupt. alterius, & è contra. At ſi rebuſpub. applicetur illa propoſitio, vera erit in ſenſu formali, cum non contrarientur, & corruptio vnius non ſecum afferat ſemper generationem alterius, vt in phyſicis; quod de Sodoma, & de ijs vrbibus, quas terræmotus, terra latè diſciſa, profundis faucibus ſorbuit, & hiatum clauſit, nullo earum relicto veſtigio, multiſq. alijs patet.

Sed probatur concluſio; nam natura ea ſolum corrumpit, quæ produxit, at natura Ciuitates non produxit, ſed mens hominis, ergo id naturæ non eſt referendum; neque dicas cum Ariſtotele ciuitatem eſſe a natura, nam vt diximus non eſt a natura propriè; ſed ad naturam propè accedit, cum non ſit abſolutè res naturalis, & ideo non eſt corruptionis capax, eo modo, quo ſunt vera naturalia, quia non tam a natura, quòad materiam, quàm à mente, ac voluntate humana, quoad formam pendet, & Polybius hac acceptione tradit, cuiuſq. corporis, & Reipub. & inſtituti eſſe auxeſim quandam, ſecundum naturam, deinde vigorem, poſtea diminutionem, vt in ipſo vigore omnia ſint optima, & Lucius Florus geſta Reip. Romanorum explicaturus, ſiquis, inquit, populum Romanum, quaſi hominem conſideret, totamq. eius ætatem percenſeat, vt cœperit, atque adoleuerit, vt quaſi ad quendam iuuentutis florem peruenerit, & poſtea veluti conſenuerit, quattuor gradus, proceſſuſq. eius inueniet, quæ verba non aliud probant, quàm quod diximus, nempe rerumpub. mutationes, ac interitus mutationibus naturæ aſſimilari.

Neque interitus Ciuitatum influentijs, ac errantium ſtellarum

curſibus, ac aſpectui eſt adſcribendus, neque ſydera homines ad bonum, vel malum impellunt.

De influentijs patet: nam corpora cœleſtia in noſtram voluntatẽ non influunt, niſi indirectè, ideſt remotè, & ex accidente, eam inclinando interuentu organorum corporis, & potentiarum eis inhærentium; ſed & etiam hoc pacto mouent voluntatem influentiæ, vt nulla ei inferatur neceſſitas; ſiquidem quantumlibet appetitu, ira, odio, vel alio quouis affectu incitetur, ſemper ei voluntas pro ſua libertate obluctari poteſt, propriamq. actionem inhibere, aut aliò inflectere: quare influentijs non eſt adſcribendum, cum nobis nullam neceſſitatem imponant, & noſtra voluntas, ſicut & res aliæ a cælo non dependeãt, & cum corruptionis hominis, cauſa non ſint influentiæ, ergo nec Ciuitatum. Quòd ſi diceres, ſermonem non eſſe de illis influentijs, quas Cœli communiter rebus naturalibus præbent, ſed de occultis; reſpondetur occultas tunc in aliquibus effectibus dari, quando alia cauſa certa, ac determinata dari non poteſt; quare non videtur, ponendas eſſe in Cœlo influentias, propter quoſdam effectus, quamuis mirabiles, quos cernimus, vt eſt tractio ferri a magnete, tractio cholera a reubarbaro, & eiuſmodi; hæc enim referri poſſunt in tale, ac tale temperamentum, quòd ſecundum ſuam naturam, vnumquodque mixtum habet, vt dicit Mirandulanus: quare nec pro mutatione, ac interitu Ciuitatum ſunt ponendæ, cum vt inferiùs probabimus, certa, ac determinata cauſa reddi poſſit; non ergo ad influentias recurrendum, quæ potiſſimum ponendæ videntur, tum propter ea, quæ gignũtur in terræ viſceribus, tum propter fluxum, & refluxum maris, tũ propter aurum, & alia metalla &c. quia non videtur vſque ad infima illa terræ loca, aut lux, aut etiam calor per lucem productus penetrare; propter fluxum verò, & refluxum maris, quia hic motus cum neque in natura, aquè nec in ventos, neque in locorum varietatem, & ſitum reduci poſſe videtur, nihil aliud ſupereſt, vt dicamus, quàm quòd a Cœlorum influentijs pendeat, & ita communiter motus ille lunæ tribui ſolet; cumque illis tribus non poſſit, quatenus per lumen agit, nec etiam quando eſt in alio Hemiſperio, nihilominus ſit ſatis motus in mari, reliquum eſt, vt occultis eius viribus, quas influentias vocant, tribuatur.

At vt iam diximus rectiſſimè mutat. Ciuitat. corrupt. alijs cauſis attribuere poſſent.

Quòd autem ſydera ad actiones pernicioſas nullum impellant, euidenter patet, nam cum Deus omnia, quæ fecerat viderit, valde bona, perperam loquuntur, qui planetas Dei miniſtros maleuolos, ac potius ſcaleſtos, quàm cœleſtes appellant, vt Saturnus, vid. omnes deuoret

filios,

filios, quattuor exceptis, quòd aliquo infortunio moleſtatus ſit vorax, tenax, difficilis, exilium, diſcrimina, dolum, nequitiam, proditiones inducens; violentiam inſuper, captiuitatem, damnationem, perfidiã, pertinaciam, iram omniſq. boni odium, metum, anguſtiam, dolorem, funera, luctum orbitatem. Item maleficia, furta, polincitores, magoſq. faciat; & de Martis ſignif. Firmicus maternus hæc perhibet, quòd ab eo ſint proditio, pugna, cædes, audacia, temeritas, elatio ſeditio, controuerſia, præda, inſidia, latrocinia, vulnera, captiuitates, fuga, difficultates, perfidiæ, obſcœnitas, incautus amor, facilis offenſio, varia cogitatio, nullum conſilium, violenti Principes, feroces inhumani, aliena ſemper cadis appetentes, periuri, doloſi inconſtantes, maledici, incompoſiti, omnia contaminantes, omnia polluentes; ſignificat etiam deformem, inuerecundum, partibus pernicioſum abortum puerorum, & in quacunque cœli parte ſemper aliquid minatur mali. Si in ariete facit fures, clamoroſos, fraudulentos, audaces, temerarios, obloquutores, quibus fas, & nefas ſit, dummodo ſuam expleãt libidinem. In geminis malitiæ deditos, & occulta facinora, vigili ſagacitate perquirentes, & ſic de alijs ſignis proſequitur. Pari modo & de domibus, vt ſi fuerit in horoſcopo facit callidos, audaces, furioſos, diſſipatores matrimonij: Hæc, & peiora de alijs dicunt, quæ impia eſſe exiſtimant. O bone Deus quid feciſti, inquit Georgius Venetus de Harmonia mundi ex emendatis cant. 1. tom. 3. cap. 8. quomodo ſunt bona, quæ fabricaſti? cur tam malos præſides nobis præfeciſti, quis tutus erit a tot ſceleribus, quis immunis a miniſtris cœleſtibus, imò potius ſceleſtis? Ab auribus omnium repellendæ ſunt huiuſmodi ſtultitiæ, inquit S. Aug. non ſolum eorum, qui veram religionem tenent, ſed etiam eorum, qui Deorum quorumcunque volunt eſſe cultores: Hæc enim opinio, quid agit aliud, niſi vt nullus colatur, aut adoretur Deus? ſed contra hos inſurſus; hic ſufficit dicere non aſtra, ſed mores bonos euehere homines ad ſublimia, malos autem eos præcipitare. nec de ſtellis conqueri debent homines, cum peccatum adeò voluntarium ſit, quod ſi non voluntarium, non ſit peccatum. Quare obliquitas male eligentis, non a ſyderibus prouenit, niſi indirectè, ſed materiæ, concupiſcentia, malis moribus, malæ conſuetudini, & alijs rebus eſt adſcribenda. Huius opinionis autores mundum in peius ruere, & conſequenter noſtra ſecula antiquis eſſe peiora affirmant; hoc autem quamuis in lib. noſtris de curioſa doctrina poſuimus, tamen hic prolixiorem ſermonem de hac re habebimus.

Vtrum ſecula noſtra antiquis ſint peiora.

NOn ſolum eſt quorundam Aſtrologorum opinio, ſed eſt vetus, quotidiana, & popularis querimonia, quod mores deprauentur, & quotidie in peius ruant. Si hoc eſſet homines non ſolum bipedum, ſed etiam quadrupedum impuriſſimi iam eſſent, quod quidem profectò verum non eſt, ſed aliquam viciſſitudinem hac in re fateri oportet.

Hanc querimoniam a ſenibus proficiſci, vnuſquiſque facilimè credere poteſt; qui cum florentem, ac lætam iuuentutem tranſegerint, ſenectutem attigerint, ægrè ferunt adoleſcentes voluptatem quærere, cumq. propter ætatem debiles, & propter ipſam ſenectutem ferè omnibus permoleſtam, aliquando illis contemptui ſint, a quibus anteà maximo in honore habebantur. His, & quibuſdam falſis opinionibus decepti, non fidem, non amicitiam inter homines, non in rebus integritatem eſſe exiſtimant, & ideò mirabilia iuuenibus, quæ temporibus ſuis acciderunt, ridiculè commemorant; quibus profectò accidit, vt nauigantibus vſu venire ſolet, quibus colles, arbores, montes, ac terram nauigare videtur; voluptatem, iuſtitiam, humanitatem in ſenectute derelictam putant; quare hæc ſolummodò a quadam rerum viciſſitudine exoriuntur, virtutes regnauerunt, deinde vitia ſucceſſere, & è contra. Videmus enim terram vno tempore florere, deinde viciſſim horrere, virtutes abeunt, vitia ſuccedunt, vitia abibunt, virtutes ſequentur, nam & eadem viciſſim retro commeant. Quod nos nunc vituperamus, idem crimini dabant maiores, & nos dolorem illorum dolemus, ſed non omnia, quæ dolemus eodem iure queri poſſumus; poſteri etiam de hoc dolorem capient, & palam vociferabuntur, virtutem interijſſe, malitiam regnare, humana, deteriora fieri, & omnia ſcelera longè lateq. vagari, ſed profectò omnia ſemper eodem modo fuerunt, & erunt, & vt ait Ariſt. plus, & minus non faciunt ſpecie differre, ſed tanquam fluctus ſic efferueſcunt quodã quaſi æſtu, vt ad alios accedant, ab alijs recedant; nos verò dicere poſſumus ſemper peſſimos fuiſſe, eſſe, & fore. Neque degenerationes liberorum a parentibus indicant, ſecula corruptiora: Nam & ſi Camillus ſui ſimiles liberos non habuerit, neque Scipio, neque Catones, qui magni fuerunt, nec Homerus, Demoſthenes, Virgilius Criſpus, Terentius, cæteriq. alij, neque ipſe Cæſar (de filio Ciceronis ſileo, nam a communi re-

ni recedo. Simon enim Vallambertus in vita M.T.Cicer. filij optimè probat Ciceronis filium egregium virum fuiſſe) parum refert, quia ſemper placuit mundo, vt ex viris ſapientibus ignari orirentur; ſicut & plerunque certum eſt, filios ſapientes, ab inſanis parentibus oriri. Nam quotquot ſunt illi, qui viliſſimo loco, viliſſimoq. parente nati ad ſummum rerum faſtigium peruenerunt, quos hic neceſſarium nõ eſt recenſere. Eandem ætatem attingunt homines, quam antea antiqui attigerunt, & vitam vltra 120. annos poſſunt homines protrahere, vt affirmat Thom. Philolo. de vita hom. vltra 120. annos protrahenda; mos in omnibus ſeculis, omni ætati ſemper fuit communis, patres filios, & filios patres ſepeliunt, ſemper religionis in omnibus affectus viguit, plus, vel minus, iuxta hominum ſuperſtitionem, inuenti ſunt religionis contemptores. & defenſores; Iuſtitia, & iniuſtitia, fortitudo abſque ignauia, prudentia, ac ſtultitia, temperantia, ac intemperantia, caſtitas, ac luxuria, odium, & charitas erga Deũ, & hominum charitas erga patrem, ac filios, fides, & amor, & odium coniugale, proditio, ſpes, patientia, timor, conſtantia, inconſtantia, ſeueritas, grauitas, maieſtas, amicitia, pax, concordia, bellum, humanitas, clementia, crudelitas, & ira, manſuetudo, liberalitas, auaritia, paupertas, diuitiæ animi moderatio, diſciplina militaris, æmulatio, violentia, ſeditio, gratitudo, ingratitudo, verecundia, taciturnitas, varietas, caſuum neceſſitas, morum, ac fortunæ mutatio, fœlicitas, infœlicitas, immoderatus ſumptus, ac luxus, gloriæ cupiditas, eloquentia, gloriæ contemptus, hoſpitalitas, temerarium iudicium, fraudes, doli, leges, conſuetudines, ſuperbia, humilitas, obedientia, ſenectus, adoleſcentia, diuitiarum contemptus, vita ſolitariæ, lectio, ſtudium, ſapienter dicta, atque facta: non ſolum apud recentiores, verum etiam apud antiquos ſucceſſiuè fuere, & harum omnium in priſcis, ac recentioribus hiſt. exempla paſſim leguntur; quare non noſtri hæc temporis ſunt. Mundus a Deo rectè fuit conditus, ſed inobedientia, atque ſuperbia primorum parentum nos maximis vulneribus affecit, paulò poſt hac ratione in mundo homicidia facta ſunt, deinde furta ſubſecuta, poſtremò omnium ſcelerum genera, quæ pauci deuitarunt, plurimi verò ſunt imitati. quare cum ſemper fuerint, vſque ad finem etiam perdurabunt. Non eſt ergo cur dicamus nos mundum peſſimum inueniſſe, mundus enim ſemper idem fuit.

Semper homines voluptatem ab omni parte quæſiuerunt, In auaritiam præceps ſemper luxuria fuit, ſemper honeſti obliuio inuaſit, ſi nunc homo ſacra res, iam per luſum, ac iocum occiditur, idem antiquo tempore conſuetum erat; ſi inuenit nunc luxuria aliquod noui,

in

in quod inſaniat, ſi inuenit impudicitia nouam contumeliam ſibi, inuenit delitiarum diſſolutio, & tabes, aliquid tenerius, molliùſque quo pereat, non hæc antiquis noua fuere. Quamobrem mundus vitia non importat, ſed voluntas hominum praua. Rectiſſimè profectò Seneca epiſt. 98. ad Lucilium. Erras mi Lucili, ſi exiſtimas noſtri ſeculi eſſe vitium; luxuriam, & negligentiam boni moris, & alia, quæ obÿcit ſuis quiſque temporibus. Hominum ſunt iſta, non temporum. Nulla ætas vacauit à culpa, & ſi æſtimare licentiam cuiusque ſeculi incipias, pudet dicere, nunquam apertius, quàm coram Catone peccatum eſt. Credat aliquis pecuniam eſſe verſatam in eo iudicio, in quo reus erat Clodius ob id adulterium, quod cum Cæſaris vxore in aperto commiſerat, violata religione eius ſacrificÿ, quod pro populo fieri dicitur. Sic ſubmotis extra conſpectum omnibus viris, vt picturæ quoque maſculorum animalium contegantur. Atqui dati Iudicibus nummi ſunt, & (quod hac etiam num pactione turpius eſt) ſtupra inſuper matronarum, & adoleſcentulorum nobilium ſalarÿ loco exacta ſunt; minus crimine, quàm abſolutione peccatum eſt. Adulterÿ reus adulteria diuiſit, nec ante fuit de ſalute ſecurus, quàm ſimiles ſui Iudices ſuos reddidit. Hæc in eo iudicio facta ſunt, in quo ſi nihil aliud, Cato teſtimonium dixerat. Credat hoc quiſquam, qui damnabatur vno adulterio, abſolutus eſt multis, omne tempus Clodios, non omne Catones feret. Ad deteriora faciles ſumus, quia nec dux poteſt, nec comes deeſſe, & res etiam ipſa ſine Duce, ſine Comite procedit, non pronum iter eſt tantum ad vitia, ſed præceps. Et quod pleroſque inemendabiles facit omnium aliarum artium peccata artificibus pudori ſunt, offenduntq. deerrantem vitæ peccata delectant. Non gaudet nauigio gubernator euerſo, non gaudet ægro medicus elato, non gaudet Orator, ſi patroni culpa reus cecidit. At contra omnibus crimen ſuum voluptati eſt. Lætatur ille adulterio, in quod irritatus eſt ipſa difficultate. Lætatur ille circumſcriptione, furtoq. nec ante illi culpa, quàm culpæ fortuna diſplicuit.

Sed inter cætera mala, illud primum eſt, vt idem inquit lib. de vita beata cap. 28. quod vitia ipſa mutamus. Sic nec hoc quidem nobis contigit permanere in malo iam familiari, aliud ex alio placet, vexatq. nos. Hoc quoque, quod iudicia noſtra non tantùm praua, ſed etiam leuia ſunt; fluctuamus, aliudq. ex alio comprehendimus, petita relinquimus, relicta repetimus, alternæ inter cupiditatem noſtram, & pœnitentiam vices ſunt. Pendemus enim toti ex alienis iudicÿs, & id optimum nobis videtur, quod petitores, laudatoreſque multos habet, non id, quod laudandum, petendumq. eſt. Quamobrem

mundo

mundo culpa adſcribenda non eſt, nec homo queri debet, nam ſi eſt malus, cur vitia non emendat, optimæ vitæ genus non conſtituit. Si ſapiens iraſci debet factis, & concitari, contriſtariq. ob ſcelera, nihil eſt ærumnoſius ſapiente. Nunquam iraſci ſapiens deſinet, ſi ſemel inceperit, inquit Seneca. Mundus mutatus eſſet, ſi ipſe aliquid noui paſſus eſſet, nunquid inquit Arnobius aduerſus gentes lib. 1. in contrarias qualitates prima illa elementa mutata ſunt, ex quibus res omnes conſenſum eſt eſſe concretas? Nunquid machinæ huius, & molis, qua vniuerſi tegimur, & continemur incluſi, parte eſt in aliqua relaxata, aut diſſoluta conſtructio? Nunquid vertigo hæc mundi primigenij motus moderamen, excedens, aut tardiùs, aut repere, aut præcipiti cœpit volubilitate raptari? Nunquid ab occiduis partibus attollere ſe aſtra, atque motus fieri ſignorum cœpta eſt inclinatio? Nunquid ipſe ſyderum Sol Princeps, cuius luce omnia veſtiuntur, atque animantur, calore exarſit, intepuit, atque in contrarios habitus moderaminis ſoliti temperamenta corrupit; Nunquid Luna deſiuit redintegrare ſeipſam, atque in veteres formas nouellarum ſemper reſtitutione traducere? Nunquid frigora, nunquid calores, nunquid tepores medij inæqualium temporum confuſionibus occiderunt? Nunquid longos habere dies bruma, & reuocare tardiſſimas luces nox cœpit æſtatis? Nunquid ſuas animas expirauerunt venti? emortuiſq. flaminibus, neque cœlum coarctatur in nubila? nec madidari ex imbribus arua ſuccedunt? Commendata ſemina tellus recuſat accipere, aut frondeſcere arbores nolunt, ſapor frugibus exculentis, exuſtis liquoribus mutatus eſt? olearum ex bacculis cruor teter exprimitur? nec lumini ſubminiſtratur extincto? Animalia terris ſueta, atque in aquis degentia non eſuriunt, nec concipiunt? fœtus non in vteris ſumptos ſuis moribus, & ſua lege cuſtodiunt ipſi homines? Denique quos per inhabitabiles oras terræ ſparſit prima, incipienſq. natiuitas, non matrimonia copulant, nuptiarum ſolemnibus iuſtis? non dulciſſimas procreant liberorum ſtirpes? non negotia publica? non priuata? & familiares res agunt? non vt cuique libitum eſt, per diuerſas artium, diſciplinarumq. rationes ingenia dirigunt, & ſtudiosè referunt natiuitatis vſuras? Non regnant? Non imperant? quibus ſors rerum attributa eſt? talibus non auctiores quotidie dignitatibus, & poteſtatibus fiunt? iudiciorum diſceptationibus præſunt? leges interpretantur, & iura? Nonne omnia cætera, quibus vita ſuccingitur, & continetur humana, ſuis omnes in gentibus patriorum celebrant inſtitutionibus morum? Cùm igitur hæc ita ſint, neque vlla irruperit nouitas, quæ tenorem perpetuum rerum diſſociata continuatione deduxerit, quid eſt iſtud, quod dicitur mundum

in pe-

in peius ruere, peſtilentias, ſiccitates, bella, frugum inopiam, resq. alias noxias, quibus negotia incurſantur humana, Deus nobis importat iniurijs noſtris, atque offenſionibus exaſperatus. Si ergo nos ſumus in cauſa, & in noſtri criminis metum excogitatæ ſunt hæ peſtes; Vnde nouit antiquitas miſeriarū hæc nomina? vnde bellis ſignificatum dedit, peſtilentiam, grandines qua potuit notione ſignare? aut inter ſuas voces, quibus oratio explicabatur aſſumere? Nam ſi nouella ſunt hæc mala, & à recentioribus ducunt offenſionibus cauſas, qui potuit fieri, vt eis rebus verba formaret, quas nec ipſa ſciebat expertam ſe eſſe, neque vllis comperiſſet maiorum in temporibus factitatas? Penuria, inquit, frugum, & anguſtiæ frumentariæ arctius nos habent, antiqua enim, & vetuſtiſſima ſecula neceſſitatis iſtius aliquando fuerunt expertia, nonne ipſa nomina, quibus cenſentur hæc mala, teſtificantur, & clamant nullum ab his vnquam immunem abijſſe mortalium? quod ſi ad credendum difficilis res eſſet, teſtimonijs agere poſſemus. Autorum quantæ quoties, & quæ gentes famem ſenſerint horridam, & aggerata interierint vaſtitate. caſus frequentiſſimi grandinis accidunt, atque adierunt cuncta. In litteris enim priſcis comprahenſum, & compoſitum non videmus etiam imbres ſaxeos totas ſæpè comminuiſſe regiones? difficiles pluuiæ ſata faciunt emori, & ſterilitatem inducunt terris. Immunis enim antiquitas malis ab his fuit? cùm etiam flumina cognouerimus ingentia limis inhorruiſſe ſiccatis. Peſtilentiæ contagia vrunt genus humanum. Annalium ſcripta percurrite, linguarum diuerſitatibus ſcripta, vniuerſas diſcetis gentes ſæpe numero deſolatas, & viduatas ſuis eſſe cultoribus. A locuſtis, à muribus genus omne occiditur, atque arroditur frugum. Hiſtorias ite per exteras, & ab iſtis peſtibus inſtruemini, quoties prior ætas affecta ſit, & paupertatis ad miſerias venerit.

Terrarum validiſſimis motibus tremefactæ, nutant vſque ad periculum Ciuitates. Quid hiatibus maximis interceptas Vrbes, cum gentibus ſuperiora tempora non viderunt? aut ab huiuſmodi caſibus fortunas habuere ſecuras? Quando eſt humanum genus aquarum diluuijs interemptum? non ante nos? Quando mundus incenſus in fauillas, & cineres diſſolutus eſt? non ante nos, quando Vrbes ampliſſimæ marinis cooperta ſunt fluctibus? non ante nos? quando perniciès populis venenatis, ab anguibus data eſt? non ante nos? His de cauſis mundum in peius ruere, ac ſecula noſtra antiquis corruptiora eſſe affirmare, ac malum à ſyderibus promanare maximum mendacium eſt.

Quòd autem Imperia ab errantiū ſtellarum curſibus, atque aſpectu non pendeant, probandum eſt, ſed ante probationem videndum eſt.

Quid

Quid Aſtrologi ex ſyderibus præſcire poſsint, & de eorum vanitate.

Dicendum primò; poſſe Aſtrologos ſyderum, planetarumq. omnium ortus, obitus, aſpectus, & ecclipſes, aliaq. id genus ad Cœli ſtatum pertinentia certò, multòq. ante prænoſcere; ſed Phyſica certitudine dumtaxat, quia in diuina eſt poteſtate talem ordinem, ſi libuerit immutare, id quod non ſemel accidiſſe ex Sacris litteris conſtat.

Item frigora, morbos, tempeſtates, ſterilitatem, pluuias, ſiccitatem, terræmotus, aliaq. eiuſmodi naturalia effecta, quæ infra Lunam, e cœleſtium corporum defluxu magna ex parte obueniunt, poſſunt Aſtrologi admodum probabiliter, non tamen certò enunciare.

Sed non actiones, quæ ex humana voluntate pendent, neque ſucceſſus contingentes, aut caſus fortuitos poſſunt Aſtrologi prænoſcere, vt rectè probant Conimbricenſes in libro 2. de cœlo art. 11. quæſt. 9. Quare cùm mutationes, ac interitus Ciuitatum ſub eis non contineantur, quæ præcognoſcere Aſtrologi poſſunt, nihil de illis poſſunt, niſi nugas aſſerere.

Dicendum ſecundò, eam Aſtrologiæ partem, quæ ad Medicos pertinet, eſſe illis non ſolùm vtilem, verum etiam neceſſariam. Hoc autem autoritate Hippocratis probatur dicentis: Medicus ſi non eſt in ſcientia ſtellarũ proſpectiuus, quis in eius manibus non diffidat? quia cæcus meritò poterit definiri; & Ipparcus in libro de vinculo Spiritus cap. 2. ait: Medicus, ſine aſtrologia, eſt quaſi oculus, qui non eſt in potentia ad operationem, & Apoll. in art. mag. concludit, quòd Medicus ſine ſtellis, & nicromantia ſine oſſibus mortuorum, eſt quaſi imago, quæ à Spiritibus non eſt adiuta. Et Albumaſar in introd. Aſtrorum ſcientia, eſt principium medicinæ, quare Hippocrates in libro de aere, hæc profert verba, & ſi ex altiſſimis conſideraueris, inuenies Aſtrologiam non eſſe minimam partem ſcientiæ medicinæ. & Hermes in 1. de ſpeculis, & de luce apertè dicit, quòd oportet Medicum de neceſſitate ſcire, ac conſiderare naturas ſtellarum, & earum operationes ad hoc, vt diuerſarum ægritudinum, & dierum creticorum habeat notitiam, quoniam alterabilis eſt equidem ipſa natura ſecundùm aſpectus, & coniunctiones corporum ſuperiorum. Cæterùm Aſtrologia iudiciaria à viris doctis deridetur, vt inanis, à cordatis exploditur, vt inutilis, à diuinis legiſlatoribus, & vatibus interdici-

dicitur, ac vituperatur, vt impia, atque adeò multis Pontificum decretis, ac Imperatorum, quorum etiam extant adhuc multa edicta, vt legitur in C. Iuſt. lib. 9. tit. 25. de malis, & mathem. Item concilium Bracharenſ. ſeſſ. 1. cap. 9. & 10. concilium 1. Toletanum circa finem in aſſertione fidei contra Priſcillianiſtas, & Mar. Papa 26. c. non licet, alijq. Pontifices varijs decretis, ac diplomatibus. Poſtremò annis ſuperioribus Sixtus Quintus litteris Ap. ſtatuit, ac præcepit, ne quis iudiciariæ aſtrologiæ artem, præterquàm circa agriculturam, nauigationem, & rem medicā exerceret, neue iudicia faceret, quibus futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitisq. caſibus, aut actionibus ex humana voluntate pendentibus, aliquid euenturum affirmaret, etiam ſi id ſe non certò affirmare aſſereret, aut profiteretur. Sacra Script. hanc vanitatem multis in locis coarguit Eſai. 45.24. ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cælos, ſolus ſtabiliens terram, & nullus mecum, irrita faciens ſigna diuinorum, & ariolos futurorum conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam ſtultam faciens 47.13. defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum, ſunt, & ſaluent te augures Cœli, qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annnnciarent ventura tibi. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis comburit eos. Non liberabunt animam ſuam de manu flammæ. Iere. 10.2. Iuxta vias gentium nolite diſcedere, & à ſignis Cœli nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ ſunt. Deuteron. 28. Gentes iſtæ diuinos audiunt, tu autem à Domino aliter es inſtitutus. Iſai. 44. Ego primus, & ego nouiſſimus, & abſque me non eſt Deus, qui ſimilis mei vocet, & annunciet, & ordinem exponat, ex quo conſtitui mihi populum antiquum, quæ ventura ſunt annunciet eis. Iſai. 41. annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quod Dij eſtis. Eccleſ. 8. Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo poteſt ſcire nuntio. Eccleſ. 10. ignorat homo quid ante ſe fuerit, & quid futurum ſit, quis ei poterit indicare. Iob. 38. nunquid noſti ordinem Cœli, aut rationem eius pones in terra. Eandem aſtrologiam antiqui etiam damnarunt, & præſertim Romani aſtrologos, vt genus hominum petentibus infidum, ſperantibus fallax, ab vrbe eijcierunt, vt inquit Tac.

Rurſus eandem coarguunt; & acerrimè inſectantur d. Clemens, Baſil. Ambroſ. Cypr. Hieronym. Chryſoſt. Theodoret. Damaſcenus, Greg. magnus, vterque Greg. Lactantius, Euſebius, & Auguſt. & ethnici ſcript. vt Marcus Varro, Tacitus. Præterea Doctores Aſtrologi, vt Bardeſſanes Chaldæorum peritiſſimus apud Euſebium Cæſarienſem lib. 6. de præparat. euang. cap. 8. Fauorinus apud Gellium

lium cap. 10. lib. 14. in ea oratione, quam Romæ aduerſus Aſtrologos habuit. Eudoxus Platonis diſcipulus habitus ſua tempeſtate Aſtrologorum coriphæus, & ipſe Ptol. in apoteleſ. his verbis incertam eſſe oſtendit Aſtrologiam, magis veriſimilia captat, quàm quicquam pro vero decernat. Plura etiam contra hanc vanitatem diſertè ſcripſit Picus Mirandulanus lib. 12. eiuſq. Nepos lib. 5. Mirand. Epiſcopus lib. 22. & 24. de ſingulari certamine Franciſcus Valleſius de ſacra Philoſophia exemendatis cap. 31. Poeta poſtremò derident Aſtrologos, qui ſcire, quod eſt in cœlis præſumunt, & quod ante pedes ſtat ignorant, vt inquit Claudius Roſelettus in quodam epigrammate,

Aurea cognoſcis ſtellati ſydera Cœli,
Præſcia cyrrhææ noſcis, & antra domus.
Noſcis, & horrendæ lumen fatale cometæ,
Noſcis, quid iubeat, quid quoque fibra vetet.
Irrita monſtriferi noſcis phantaſmata ſomni,
Noſcis quid volucris, quid quoque penna ferat:
Cuncta etſi calles, arcanaq. noſcis Olympi,
Ignoras id, quod ſtat tamen ante pedes.

Et vitia aliena ſcire profitentur, & domeſtica ignorant, vt de illo, cui, vt refert Thomas Morus, aſtra prædicebant ſutura, & Vxoris impudicitia erat ignota.

Aſtra tibi æthereo pandunt ſeſe omnia Vati:
Omnibus, & quæ ſint fata futura monent.
Omnibus eſt vxor, quod ſe tua publicat id te
Aſtra licet videant, omnia nulla monent.

Quare ſi cognoſcunt, quæ ſigna ſint calida, quæ frigida, quæ maſculina, quæ fœminina, mortem, proditionem minantia, quæ fortunam, ac dignitatem ominantur, quæ diuites futuros præmonſtrant; quomodo domeſtica ignorant aliena ducti curioſitate; vxores reſpiciant, quæ lunga gerunt cornua, quæ non ſolùm Cancrum, Libramuè in geneſi, vt aiunt, verùm etiam Capricornum ſi neſciunt nacta ſunt. Et equidem ſi totam ſyderalem diſciplinam longo vſu collectam percallent, cur ſortes ſuas, fataq. & fortunam diſtribuere ignorant, cùm multos eorum ad triremes ad tempus deſtinatos ſtella fefellerint. Quamobrem abijcienda ſunt hæ ineptiæ, nam dum homo ſcire cupit, quæ ſtella fauet, quæ minatur, mens ſemper eſt inter ſpem, metumq. pendula. ſi proſpera venient, ſinè ſtellis venient, ſi aduerſa, diu neſcire proculdubio iuuabit, & vſque poterit vſura medij temporis frui, vt egregiè dicit Thomas Morus in quodam epigrammate.

Dum tua, quos noſter celebrat pro vatibus error,
Fata cient poſitu ſyderis Aſtrologi.
Hæc dum ſtella fauet, dumq. hæc tibi ſtella minatur,
Pendula mens inter ſpemq. metumq. tua eſt.
Proſpera ſeu venient, venient reticentibus illis,
Aſſolet, & ſubitum lætius eſſe bonum.
Seu venient aduerſa diù neſcire iuuabit
Vſura, & medij temporis vſque frui.
Quin iubeo fatis etiam etiam prohibentibus ipſis,
Fac tibi mens hilares tranſigat æqua dies.

His incidenter dictis probatur primò, Aſtrologos nihil de Ciuitatum mutationibus ſcire poſſe, nam Aſtrorum ſcientia fieri id non poteſt, nec ad artem, vel methodum ea redigi, ſed minus culpandus Ptolomaus, qui opinabilem, coniecturalem, dubiam, & fallacem bane confeſſus eſt eſſe artem, vt ſcribit Ioannes Picus in Aſtro. lib. 11. cap. 1. ergo nihil de illis prædicere poſſunt.

At dices, multa experientia Aſtrologiam veram eſſe oſtendunt, præſertim in Rerumpublicarum mutationibus, ac ortu. Reſpondetur cum Pico, quòd Aſtrologia experientia niti non poteſt, cùm experientia ſit eiuſdem rei, & ſæpiùs obſeruatio; ac eadem conſtellatio, aut nunquam, aut, vt crediderunt Veteres, niſi poſt multa millia ſeculorum eadem eſt redditura, nec ex particulari experiri poteſt, cùm ex tota figura, non ex parte colligenda ſit experientia, quæ ſi in aliqua caſualiter vera fuit, vniuerſaliter tamen non concludit; Nam mille exempla rerum publicarum adduci poſſunt, quæ nullos tali ſtellarũ poſitione, quam Aſtrologi affirmant, ſenſerunt motus defectionis; & quamuis aliqua obſeruatio non inutilis ſit, præſertim de cubo quinarij, in quo retrogradus motus Cœli ſummum motum formidoloſi aſpectus habet; hoc tamen non eſt cauſa fatalis periodi. Nam vt homo climaterico ſuo anno non ſemper moritur, ita Reſp. in hac ætate neceſſariò non commutatur, vt quidam affirmat.

Probatur ſecundò, nam ſi hominum mortes, vt notat Gellius ex Phauorino, rerum humanarum omnium tempus ratio, & cauſa in Cœlo, & apud ſtellas forent, quid de muſcis, aut vermiculis, multiſque alijs minutiſſimis terræ, mariſque animantibus dicerent Aſtrologi; an iſta quoque ijſdem, quibus homines legibus naſcerentur, ijſdem itidem extinguerentur, vt aut ranunculis quoque, & culicibus naſcendi facta ſint de cœleſtium ſyderum motibus attributa, aut ſi id non putarent, nulla ratio videretur, cur ea ſyderum vis in hominibus valeret, ſi deficeret in cæteris.

Probatur tertiò, nam Reſpublica, eiuſq. adminiſtratio pendet ex ani-

animi ratione, atque intelligentia, ergo non pendet ex neceſſitate, ſeu natura aſtrorum, aut motuum. Et quamquàm admitteremus naſci hominem, & corpus generari, vel concipi ſub certis conſtellationum thematibus, tamen nemo dicet animam ſub ea conſtellatione naſci, quia non naſcitur, ſed creatur, & infunditur ſimul, & ſemel, vt corpus ſua habet perfecta ad eam recipienda organa, ita creatio eſt ex nõ ente, hoc eſt non ex præexiſtenti materia, ſiue corporali, ſiue ſpirituali; proinde non ſubijcitur materiæ cœleſti. Sed ſi regna, & Reges cum conſtellationibus orirentur, ac interirent ſtellæ habent tam rapidum curſum, vt nec notari poſſit, vt explicatur apud Gellium, accideret, vt citius interire Reſpub., quàm formatæ eſſent, vel mutarentur per ſingula momenta, vt ſtellæ numerantur erraticæ, & aliæ quæ ſunt in Cœlo ſtellifero, fieret etiam, quia vt omnes ſtellæ ſuperiores ſunt maiores, vt dicunt ipſa terra, & ita reſpectu centri ſeu puncti terræ ſaltem per hemiſphærium inſpiciunt ſubiacentem terram, vt vnum tantum generarent Imperium, & ſi plura poſſunt ſimul generare, plura quoque eodem modo, & cum ad veniret fatum ex illorum coniunctionibus contrarijs, ſequeretur, vt omnia diſſoluerentur ſimul, & ſemel, & eodem modo; quod tamen quàm falſum ſit, ipſa rerum experientia docere poteſt, & proinde antecedens cõſtitutio aſtrorũ fictitia potius videtur, quàm aliquid fatale adferre terris, vt inquit Tholoſanus lib. 21. cap. 9. de Repub., qui & aliam adfert rationem, qua regnorum fatum, vel rerum publicarum mutationes a cœleſtibus conſtitutionibus neceſſario ſequi non poſſe putat, quæ a ſingularibus, & partibus, quæ Rempub. conſtituunt perueniat ad vniuerſitatis, & totius concluſionem; conſtat Reſp. & ciuilis ſocietas ſingularibus perſonis ad faciliorem viuendi modum in vnum conſentientibus. Cæterum ſingulares perſonæ, poſſunt euitare ſingulares influxus ſuperiorum cœleſtium corporum, per prudentiam, & ſapientiam a Deo illis conceſſam, ſi velint vti, multò magis Reip. corpus, quod conſtat ex illis perſonis, & habet prudentiores, vt Principes, & Magiſtratus moderatores, poterit ab iiſdem declinare, & Remp. ſuam contra quædam, quæ poſſent occaſionem ſoluendæ, vel mutandæ ſocietatis dare tutiſſimè ſaluam, tutamq. ſi velint conſeruare, neque igitur vlla neceſſitas dicetur eius rei, quæ euitari poſſit.

His de cauſis Aſtrologorum ineptiæ ſunt exterminandæ, qui de aſtrologia iudiciaria ſcripſerunt partim auaritia, partim ignorantia Principum, vt ait Ioannes Leonicenus, quiq. vt ei fidem darent, libros commentitios ſub nomine falſò philoſophorum inſcripſerunt. rectè conſulit Aſtrologis Ioannes Picus in aſtro. lib. 4. cap. 8. ſi Iupiter

ità faciens illis eſt, vt omnes tantum ſibi vna fœlicis hora ſupplicatione diuitiarum, opumque compararent, vt noſtris poſt hac pecunijs nihil indigentes, deſinerent aliquando mentes Imperitorum tot quotidie mendacijs emungendæ pecuniæ gratia ludificare.

Quamobrem aliæ cauſæ de interitu Ciuitatum ſunt inueſtigandæ, & notandum eſt, quod ſicut in rebus naturalibus mutationis cauſa ad materiam refertur, quæ mutationum alterationum, ac eiuſmodi eſt principum paſſiuum, ſicut & forma actiuum, ſic in Rebuſp. & ſicut in rebus naturalibus forma per ſe non corrumpitur, niſi agens eam expellat, vel corrumpat aliam introducendo, ſic forma Rerump. per ſe non corrumpitur, niſi aliquod agens aliam introducat, & ſicut materia in naturalibus permanet, ſed ſub alia forma, ſic materia Rerump. ſub alia forma permanere poteſt. Quare cum ad mutationem requiratur, & ipſa materia, & agens, qui in materiam agat, de his quærendum eſt, ac dicendum cauſam materialem, vel potius moralem eſſe ipſos homines, vel ipſos Principes, efficientem verò Deum eſſe, qui cum vnam formam introducit, aliam corrumpit, vel totaliter omnia delet. Sed ſicut agens ſine materia nihil efficit, ſic Deus hac in re nihil ageret, ideſt nihil mutaret, niſi ipſa materia, ipſa moralis cauſa, ideſt ipſa hominum peccata ei occaſionem præberent. Hæc opinio eſt optimorum politicorum, & rectè ſentientium, nec ipſa experientia negari non poteſt, quæ id eſſe multis exemplis docet. Qui enim Sodoma & Gomorrha igne conflagrauit, Deus, quia cauſa fuere eorum hominum peccata: & de Ieruſalem quis deleuit, Deus, cauſa quia Dominus locutus eſt ſuper eam multitudo iniquitatum eius. Quare ſcriptum eſt ſi nolueris audire vocem Domini Dei tui, vt cuſtodias, & facias mandata eius, tradet te Dominus corruentem ante hoſtes tuos, vt diſpergaris per omnia regna terræ, opprimarisq. violentia, nec habeas, qui te liberet, filij tui, & filiæ tradentur alteri populo videntibus oculis tuis, & deficientibus ad conſpectum eorum tota die, nec ſit fortitudo in manu tua, fructus terræ tuæ, & labores tuos comedat populus, quem ignoras ſicq. ſemper calumniam ſuſtinens, & oppreſſus cunctis diebus filios generabis, ac filias, & non frueris quoniam ducentur in captiuitatem. Aduena, qui tecum verſatur in terra adſit ſuper te, eritq. ſublimior, tu autem deſcendes, & eris inferior, ipſe erit in caput, & tu eris in caudam. Hoc totum quare dixerit, quia intelligeret Deum peccata populi punire velle, quare locutus eſt ſuper iniquitatem Ieruſalem, non vt præſcriberet eam ad culpam, ſed vt monendo reuocaret, quod, quia noluit obedire, hæc omnia iuſto

Dei

Dei iudicio audiſſe, quæ Propheta lachrimabiliter deplorat. Ieruſalem ergo Deus deleuit, quia incœpit apoſtatare ab ipſo. quare magis peccat Princeps qui hæreſim amplectitur, quique Deum cognoſcens, & eius notitiam habens, ab eo malitia propria recedit, religionemq. contemnit quàm qui in abominandorum ſcelerum genere eſt contaminatiſſimus, vt de Ieruſalem patet, de qua legitur, & maior effecta eſt iniquitas eius, peccato Sodomorum, idq. multis ex cauſis, quod enim fuerit peccatum eorum Ezech. 16. exprimit dicens. Hoc quippe fuit peccatum eorum ſuperbia, & abundantia ſaturitas panis, ac otium, nec non, & quia egeno, & pauperi manum non porrigebant, & hoc eſt, quod præſens verſus ille ſonat, quia non cœperunt in ea manus. Quid enim eſt dicere non cœperunt in ea manus, niſi, vt ſubaudias boni aliquid agere? Quod ſynagogam feciſſe legimus, ſed tamen licet innumerabilia bona peregerit, & operibus ſacramenta Dei plurimis compleuerit, quia ſceleſtiora commiſit, rectè maior iniquitas eius effecta plangitur. Hinc quoque Ezech. ad eam, iuſtificata eſt inquit Sodoma ſoror tua ex te: Hæc quippe primum cœpit manus extendere ad omnia præceptorum Dei mandata, quia credita erant ei eloquia Dei, poſtremò cum a Deo cœpiſſet apoſtatare, in tantum ſuper egreſſa eſt malitia eius, vt nec dimidium ſcelerum eius Sodoma peccauerit, quæ vacabat otio, atque egeno, & pauperi manum non porrigebat, neque vt verſus inſinuat, cœperant manus eius in ea, anteaquàm ſubuerteretur aliquid agere boni, vt inquit Paſchal. in Ierem. Ieruſalem verò cum & notitiam Dei haberet, & mandata vitæ percepiſſet, manus miſit ad omnia. Quamuis ad vltimum autorem vitæ peremerit, & multis polluta menſtruis ad idola leuauerit.

Pro quibus omnibus malis, quia tanta Dei omnipotentis beneficia calcauit, & mala pro bonis reddidit, conſideranda eſt eius vindicta pœna, quam Princeps ſemper ante oculos habere deberet. Cum ſic ſubito conuerſa eſt in momento Sodoma pro culpis ſuperius enumeratis. Quanto attrociora Iudæi promeruerunt, qui & beneficia ſpernentes, autorem vitæ peremere, & maiora, & numeroſiora commiſere delicta; & quantum pœnarum aſpectare debent Hæretici Principes. Regnum ſine religione, eſt corpus ſine anima, eſt enim lex Regum ipſa religio, cuius cultores nec vult, nec poteſt relinquere Deus, & nullam Rempub. ſine virtute, nullam politiam ſine iuſtitia, nullam Ciuitatem ſine religione conſtare poſſe vbique in polit. lib. demonſtratur, & niſi Dominus cuſtodierit Ciuitatem fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam, & Regnum, quod Deo non ſeruiet,

peribit iuxtà illa, Regnum a gente in gentem transferetur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos. Si autem non audierint correptionem Domini, tranſibunt per gladium, & conſumentur in ſtultitia. Propter hoc ſicut deuorat ſtipulam ignis, & calor flammæ exurit, ſic radix eorum, quaſi fauilla erit, & germen eorum, vt puluis aſcendet, abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium ſancti Iſrael blaſphemauerunt. Numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud, diuiſum eſt, & datum Medis, ac Perſis. Suſcitabo contra eos Medos, & erit Babylon illa glorioſa in regnis inclyta, in ſuperbia Chaldæorum inſtar ſubuerſionis, quæ facta eſt in Sodoma, ac Gomorrha; ſi timueritis Dominum, & ſeruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exaltaueritis os Domini, eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis, ſequentes Dominum Deum veſtrum; ſi autem non audieritis vocem Domini, ſed exaſperaueritis ſermonem eius, erit manus Domini ſuper vos, & ſuper patres veſtros &c. quod ſi perſeueraueritis in malitia, & vos, & Rex veſter pariter peribitis, & dicent omnes gentes, quare fecit Dominus, ſic terræ huic? quæ eſt hæc ira furoris eius immenſa, & reſpondebunt, quia dereliquerunt pactum Domini, quod pepigit cum patribus eorum &c. Quæ omnia apertiſſimè demonſtrant Deum eſſe cauſam efficientem mutat, Ciuitatum, moralem autem ipſos homines; neque ſequitur Deum eſſe mali autorem, nam ſunt homines, qui mala acceſſunt, qui ſuo impetu delinquentes in incommoda ruunt, nec ſequitur a Deo probari Tyrannos, quia eos regnare permittat, nam aliquos vocat ad vtilitatem populi Principes, aliquos interdum ad caſtigationem, Deus enim vt Eccleſ. legitur 15. nemini mandauit impiè agere. Sic Ariſt. ſenſit mutationem Ciuitatum eſſe moralem cauſam polit. 5. cap. 3. illis verbis, ſuperbia eorum, & auaritia eorum, qui gubernant, homines prouocant contra ſe, & contra ſtatum eius Reſp. quæ iſta fieri patitur, & in multis capit. in quibus oſtendit ſeditiones eſſe cauſas Rerumpub. mutationis, quæ ſeditiones ob lucrum, & honorem naſci demonſtrat, quæ omnia cauſæ ſunt morales; ſic ſenſit Cato apud Titum Liuium, auaritiam, ac luxuriam omnia ſubuertiſſe Imperia; nam ſicut actus bonus moralis, cauſa eſt conſeruationis earum, vt religio in Deum, iuſtitia in ſubditos &c. ſic actus malus, cauſa moralis eſt corruptionis, & Romanæ Reip. mutatio ob has cauſas fuit; nam cum in Romanos mores immenſa luxuria, & effrenata diuitiarum cupiditas inuaſiſſet, cum legum, ac Senatus autoritas omnino concidiſſet, cum plebis animi ad ſpem prædæ turbulentis, & furioſis concionibus erecti

erecti impetum facerent in fortunas locupletum, cum impunitate armata crudelitas cæde, & ſanguine Ciuium vrbem cruentaret, cumq. ij, qui armis plurimum poterant, non de patria libertate, ſed de ſua dominatione cogitarent, cum eſſent omnia iſta tela in Reipub. corpus immiſſa, exiſtimas fieri, vt inquit Oſorius de nobilitate Ciuili vllo modo potuiſſe, vt illa diutius permaneret? Adde deinde, ſi commodum eſt venalia comitia, iudicia redempta, nunditationes prouinciarum, Imperia extraordinaria, & infinita ſummam Reip. ad certos homines dominandi cupiditate præcipites delegatam, intelliges fieri non potuiſſe, quin illius ciuitatis opes funditus euerſa corruerent.

Nam iampridem pro frugalitate, infinita luxuria, pro militari diſciplina, ſumma totius corporis, & animi mollities, pro metu legū, audacia, libido, cupiditas immenſa Romanorum animos oppreſſerat; hominesq. patriæ amantes ad inteſtina bella concitarat; deinde mores immanes Imperatorum, & naturam importunam cum ſumma luxuria, & inaudita libidine coniunctam, exciſionem rebus intuliſſe idem affirmat. Non eſt enim hic, cur tam funeſtas Reipub. peſtes enumeremus, cum illud conſtet multos propter crudelitatem, & flagitia fuiſſe tum a Ciuibus ſuis, tum a militibus, non rarò etiam ab æmulis Imperij contrucidatos; cum enim illa conſuetudo interficiendi Principis inueteraſſet, neque modo improbis Tyrannis, ſed etiam moderatis Imperatoribus eſſent inſidiæ comparatæ, illudq. Imperij nomen minime ſanctum hominibus fuiſſet, in eum locum res deducta eſt, vt nihil eſſet Romano Imperatore vilius. Tandem cum S.P.Q.R. autoritas penitus extincta eſſet, & militaris licentia ſimul cum auaritia in immenſum creuiſſet, factum eſt, vt milites pecuniarum fœdere, quibus libuiſſet Imperium addicerent. Talibus igitur cuſtodibus ſummæ rerum præpoſitis, neceſſe erat, vt omnia Reip. ornamenta funditus interirent, præſertim cum ſæpenumero, ne vnquam deeſſet occaſio ciuilis tumultus excitandi, eodem tempore diuerſis in locis Imperatores multi crearentur. Ex hoc patet Rom. Imp. euerſ. cauſam extitiſſe moralem ſic. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. Dei Regnum Rom. tamdiu pacificè regnauit, quàmdiu ſapientes Reges permiſit; Nam principatus ſenſatus ſtabilis erit, Rex autem inſipiens perdit populum ſuum. Eccleſ. 10. Sic Paſchaſius illis verbis. Quæ in Rep. hæc tria ſimul conſpiciuntur, certamina potentium, auaritia magiſtratuum, inualidum legum auxilium, hæc haud longè abeſt ab interitu, ſed præſertim certamina, nulla enim maior peſtis Reipub. contigere poteſt, quàm inter ſummos viros honoris, gloriæq. certamen, vt inquit Flaminius Nobilius de honore. Quare concludendum eſt, quod ſicut religio, pietasq. in Deum, iuſtitia, ſapientia, legum obſeruatio, concordia,

dia, & deſidiorum euitatio, innouationis fuga integritas, ac vigilantia principum, ac magiſtratuum mediocritas, & moderatio obſeruata in diuitijs, bonoribus, amicitijs parendis, & ſi quæ alia eſt Ciuitates, & Reſp. conſeruant, ſic harum contraria corrumpunt, quare cauſa interitus Ciuitatum eſt moralis.

At dices multos iniuſtos, ac ſceleſtos extitiſſe, quos tamen non fuiſſe deletos conſtat.

Reſpond. iuxta ſanct. patrum interpretationem, id ea ratione factum a Deo, ne ſi omnes hic impij caſtigarentur, nullum aliud tribunal diuinæ iuſtitiæ reliquum eſſe homines iudicarent. Quare aliquos in aliorum exemplum hic Deus caſtigat, aliquos ad ſuum tribunal ſeuerius iudicandos reſeruat, & aliquando eos permittit regnare propter populi peccata, vt iam probatum eſt. Quod ſi ſucceſſores regnauerunt eſt, quia ad meliorem frugem ſeſe receperunt, Deumq. optimè agnouerunt; Deus enim peccatoribus minatur, at non eius mortem vult; qui etiam plerumque augurijs, portentis, prodigijs, cometis, tanquam ſignis in hominum admonitionẽ diuinitus aſſumptis, perniciem, & peccatorum vindictam appropinquare præmonſtrat, niſi eis derelictis ad bonorum fontem conuertantur.

Super illa verba, ſed veteris pop. Rom. proſpera, vel aduerſa &c. aliquid de vtilitate hiſtoriæ iudicio hiſtoricorum, & eiuſmodi dicere placet.

De Hiſtoriæ vtilitate, ac hiſtoricorum iudicio.

INter omnes facultates, atque humanas notitias nulla eſt hiſtoria vel vtilior, vel præſtantior; nam res geſtas cognoſcere, antiquitatum, exemplorumq. memorabilium habere notitiam, vtile, decorum, laudabileq. ac prope diuinum eſt inquit Cicero, ſicut & pulchrum aliorum erroribus vitam noſtram in melius conſtituere, & quod appetendum, fugiendum ve ſit, ex aliorum exemplis poſſe dignoſcere, vt rectiſſimè Diodorus Siculus ſcribit. Hac enim tamquam in ſpeculo ornare, & componore vitam tuam ad alienas virtutes potes, eum præcipuè ſalubre, ac frugiferum ſit, vt Liuius lib. 1. ait omnis te exempli documenta in illuſtri poſita intueri, vt inde tibi, tuæq. Reip.; quod imitere capias, inde inceptum fœdum exitu, quod vites. Etenim veriſſimam diſciplinam, exercitationemq. ad res ciuiles, & ad publicas deliberationes rerum geſtarum hiſtorias vtiles eſſe Ariſt. & Polyb. faten-

fatentur. Inde optimos conſiliarios hiſtoria libros Alphonſus præclariſſimus Hiſpaniarum Rex eſſe dicebat. Quare cum a multis hiſtoria cõmendetur, plurimis omiſſis, præcipuos ſolummodo hiſtoria præcones ponemus hic, vt lector ad earum cognitionem magis inflammetur.

Aemilius Ferettus, hæc dicit, magna profectò quædam res eſt, ac vtilior, quàm vulgo credatur hiſtoriæ cognitio, per quam tutò idem propè in otio, vmbraq. conſequimur, quod vix per multos, magnosq. labores, ſummaq. pericula vitæ, ac fortunarum induſtria nobis noſtra comparatur. Quamobrem ſi eos homines, prudentiores cæteris exiſtimamus, quos vſu, ac experientia rerum peritos cognoſcimus: eos medius fidius, vel æquare, vel proximè ſaltem ad illos accedere iudicabimus, qui infinitis ferè actionibus hominum hiſtoriæ beneficio ſpeculatores diligentes interfuerint, qui etiam eò mihi præſtare videntur, exercitatis tantum hominibus, quòd propter anguſtias temporũ, quibus in hac noſtra breui, & incerta vita premimur, & propter eas ſolicitudines, quæ vel diligentiſſimè agentes, & accuratiſſimè aliquid a perfecta meditatione rerum nos auocant, pauciſſima agere poſſumus, cum ille tamen interim, qui in litteras, & monimenta veterum incubuit, vſque ab ipſius orbis initijs repetita memoria conſilia, & facta in vtramque partem inſignia diſcere valeat, atque repræſentare: præſertim cum pauciſſimi poſſint res tractare magnas, neque enim multis contigit, aut principes eſſe, aut principum virorum conſilia regere, omnibus verò licet, qui non omnino illiterati ſunt, quæ multis ætatibus geſta fuerunt, ab infinitis pœnè hominibus, veluti ſubiecta oculis per rerum memoriam in pauciſſimos dies vnamq. mentem concluſa recognoſcere.

Hiſtoriarum notitia confert ad intelligendas ſcripturas, nam S. Aug. de adiſ. doc. chri. quicquid de ordine temporũ tranſactorum indicat ea, quæ appellatur hiſtoria, plurimum adiuuat ad libros ſacros intelligendos. Nam & per Olimpiades, & per Conſulum nomina multa ſæpe quæruntur a nobis.

Iſidorus 1. Ethimolog. multi ſapientes præterita hominum geſta ad inſtructionem præſentium hiſtorijs indiderunt, ſiquidem & per hiſtoriam ſumma retro temporum annorumq. ſupputatione comprehenderunt, & per Conſulum, Regumq. ſucceſſum multa neceſſaria perſcrutantur.

Salluſtius memoria rerum geſtarum vehementiſſimè animus accenditur ad virtutem, nec prius egregijs veris flamma ſedatur, quàm eorum virtus famam, atque gloriam maiorum adæquaueris. ex negotijs, quæ ingenio exercentur in primis magno vſui eſt memoria re-

rum geſtarum, cuius de virtute multi dixere.

Franciſcus Patritius de regno lib. 2. cap. 10. hiſtoriarum cognitio Regibus, Ducibus, Imperatoribus, & omnibus Principibus per quã neceſſaria habenda eſt, quam Cicero appellat teſtem temporum, vitæ magiſtram, veram memoriæ, ac veritatis nunciam.

Politianus in præfatione in Suetonium, ea eſt vna, cuius ope aduerſus omnem fortunæ temeritatẽ, quaſi Vulcanis armis muniti ſumus, atque armati, ea hoc quoque nobis præſtat, vt quod ad rerum cognitionem attinet, ſuperioribus etiam vixiſſe ætatibus videamur: Neque non tamen, & illud hiſtoriæ ingens eſt meritum, quòd & bonos viros laudando extollit, & improbos vituperando deteſtatur; ſola denique cuſtos eſt fidiſſima temporum, & ipſa a temporibus; quaſi mutuò referentibus gratiam cuſtoditur; & inferius hiſtoria & fœlicitatem participat nobis, & citra illud nocumentum prodeſt homini, & veritatem ipſam velis, equisq. quòd aiunt inter prima proſequitur. Quapropter vt in pauca conferam, verè hoc mihi videor eſſe dicturus, nullius, aut facultatis, aut diſciplinæ tantam vtilitatem, quantam hiſtoriæ exiſtere; nam tum perpetua ſtigmata inurat improbis; cum ſempiterna gloria afficiat bonos, illos a malis actibus metu dedecoris absterreat, hos ad præclara facinora ſpe laudis adhortetur, magna meritò ex parte præſtantiſſima quæq. excellentium virorum opera dicta, factaq. ipſi accepta referentur hiſtoriæ.

Quintilianus, hiſtoria per ſeſe tenet lectores; nullius, aut tantæ facultatis, aut diſciplinæ tanta vtilitas, quanta hiſtoriæ exiſtit.

Quidam, nullis ex libris plus vtilitatis capi poteſt, quàm ex eorũ monumentis, qui res publicè, priuatimq; geſtas bona fide poſteris prodiderunt. Ex bonæ enim fidei ſcriptoribus ſuper alias innumeras, hæc præcipua capitur vtilitas, quòd nulla res æquè, vel bonorum Regum animos ad res cum laude gerendas accendit, vel Tyrannorum cupiditates cohibet, ac refrenat; dum vtrique cernunt horum litteris ſuam vitam omnem mox in totius orbis; imò ſeculorum omnium theatrum producendam, & quicquid in abdito nunc vel faciant, vel aſcito fuco prætexunt, vel metu diſſimulari cogunt, verius, quàm ignorari, paulo poſt clariſſima in luce ſub oculis omnium traducendum, cum iam metu pariter, ac ſpe libera poſteritas. Nec vlla corrupta ſtudio magno conſenſu rectè factis applaudet, pariq. libertate his diuerſa explodet, exſibilabitq.

Andreas Alciatus, Maxima ſemper apud veteres fuit hiſtoriæ autoritas, eoq. omnibus temporibus in honore habita, vt cùm plurima variarum rerum ſtudia, & quidem nobiliſſima haberentur, rerum tamen geſtarum ſcriptores ſemper primas partes ſibi vendicarent.

Proſit corporibus medicina, publicè interſit plurimos eſſe Iuris conſultos, ſummo ſe in faſtigio poſitos credant Philoſophi, de gradu deijci non ſinat ſe militaris gloria, cedunt, hæc tamen, ceſſereq. omnia hiſtoriæ Autoribus: cùm qua nulla non artium aliquo tempore malè audierit, ſolam hanc profeſſionem extra aleam eſſe, ſemper exiſtimatum eſt. Eiecti Vrbe Roma pluries Philoſophi, & Rhetores fuere Senatus conſultis, quoque diffamati, mathematici, nec medici, niſi poſt ſexcenteſimum, & eò amplius annnm conditæ vrbis admiſſi, cùm tamen interim Piſo. Fab. Pictor, cæteriq. Annalium ſcriptores ſummam dignitatem nanciſcerentur. Si enim id genus profeſſores cur tanto opere ſuis ſtudijs incumbant, diligenter animaduertimus, non aliud certè cauſa erit, quàm pecuniæ cupiditas. Quid enim as medicis parat, niſi abominatione digniſſimus morbus, maliq. aliqua lues? quid militibus, niſi humani generis diſcordia, rapacitaſque? quid aliud noſtrorum temporum Philoſophia reſpicit? At ſola gloriæ cupiditate ſcribitur hiſtoria non mercenario obnoxia ſtipendio, ſed quæ ſola ſibi ipſi pulcherrimum præmium ſit. Hinc non à viliſſimo quoque tentata, ſed in Principum ferè, & illuſtrium virorum exercitamentis fuit.

Marcus Antonius Muretus in Salluſtium. In deliberationibus nihil vtilius eſt cognitione hiſtoriæ. Similia enim è ſimilibus eueniunt, extant in hiſtorijs præclara exempla omnium virtutum, quibus animus ad imitandi ſtudium accenditur, neque vlla pars eſt hiſtoriæ, quæ non proſit ad vitam, vides bonis benè ſuccedere, malis malè? diſce qualia conſilia ſunt, tales plerinque eſſe & euentus. Vides bonis multa aſpera, atque incommoda obijci? paupertatem, ignominiam, exilium, cruciatus corporis, &c. Diſce ea mala non eſſe, neque tantùm acerbitatis eſſe in eis excipiendis, quantùm gloriæ in fortiter perferendis. Vides homines improbos abundare diuitijs, gloria, honoribus, potentia, & ſimilibus? diſce ea vera bona non eſſe. Nihil enim verè bonum eſt, niſi quod meliores eos, in quibus eſt, & laudabiliores facit; & in oratione in Cornelium Tacitum. Si nihil eſt hominis animo iucundius, quàm diſcere, & eorum, quæ ſuaptè vi, ac natura iucunda ſunt, tantò quidque iucundiùs, quantò laboris, ac moleſtiæ minus exhibet, dubitare de hiſtoriæ ſuauitate nemo poteſt, cùm ſcripti genus nullum ſit, ex quo aut plura, aut citius, & minore animi contentione diſcantur. Artium præcepta, dum traduntur moleſta ſunt; Mathematicæ non plus pulchritudine inuitant, quàm difficultate deterrent. Illa ipſa Princeps. ac Regina artium Philoſophia nunquam tam multos habuit ſtudioſos ſui, vt non plures obtrectatores habuerit; vna hiſtoria eſt, quæ omnium ſtudia alliceat,

ceat, aures teneat, animos mulceat, à qua ſi quis abhorrere ſe dicat, parum abſit, quin ipſe ſe ne hominem quidem eſſe fateatur, & inferius, neque vlla certior eſt regula iudicandi, quò quaque res euaſura ſit, quàm inſpicere, quem exitum ſimilia in longinquitate temporis ſæpiùs, ac frequentiùs habuerint. Quòd ſi aut temporis hominibus ad viuendum conceſſit breuitas, aut ipſa vitæ ratio pateretur, vt idem homo multa ſecula integra, mente, integriſq. ſenſibus vixiſſet, multas prouincias obijſſet, ad intimas Principum virorum de grauiſſimis rebus conſultationes frequenter adhibitus eſſet, omnium ſententias audijſſet, rationum, quibus quiſque niteretur, pondera, ac momenta diligenter expendiſſet, obſeruaſſet poſtea, & notaſſet diligenter, quid ex ipſo conſecutum eſſet? quis non incredibilem quandam in eo vigere vim conſilij crederet? quis non eius ſententiam de rebus gerendis, in Oraculi propemodum loco, ac numero habendus fateretur? At qui quod natura nobis denegat, præſtat hiſtoria, vt qui eam diù, ac diligenter peruolutarunt omnibus ætatibus vixiſſe, omnes regiones perluſtraſſe, omnibus publicis conſilijs interfuiſſe; omnia, quæ vnquam contigerint præſentes ſpectaſſe, atque annotaſſe videantur.

Fridericus Furius, boni conſiliarij etiam nota eſt hiſtoriarum cognitio, nimirum, ſi viderit, & legerit ſingulari attentione, & diligentia omnium ſeculorum memoriam; maximè autem hiſt. ſui Principis, necnon amicorum vicinorum, & inimicorum eius, hunc, qui in lectione hiſt. diligenter verſatus, & rerum fructum ex ipſis decerpere nouit, perfectum Conſiliarium, & officialem prudentem dixero. Nihil tali deeſt, in omnibus negotijs gubernationis eſt exercitatus, imò viua quaſi exercitatio, & experientia cenſetur.

Adamus Kellerius lib. 1. cap. 8. de off. iur. polit. Hiſtoria adeò ſtudium circa omnem cognitionem verſatur, vt & leges non ſint niſi hiſtoria, quæ continet ſententias, atque conſilia veterum prudentium, quibus Reſpub. conſtituerunt, & Ciues in pace, atque virtutis cultu continuerunt, nec alia de cauſa ea hodie addiſcuntur, niſi vt idem præſtare valeamus.

Eſt igitur vitæ humanæ compendiaria inſtructio, exemplum morum, ac naturarum hominum, negotiorum index, certa actionum experientia, prudens, atque fidelis in rebus dubijs conſultrix, magiſtra pacis, lux belli, portus, ac requies omnis generis hominibus.

Iuſtus Lipſius, ſi vlla quidem res ad prudentiam publicam, priuatamq. facit, facit hiſtoria, eademque ad ciuilem hanc partem vtiliſſima.

Beroaldus in oratione per eum habita in enarratione Titi Liuij. cùm

cùm omnium diſciplinarum cognitio vtilis, atque iucunda mortalibus ſit, hiſtoriæ cognitionem mediusfidius vtiliſſimam, iucundiſſimamq. eſſe cenſeo, ex quo cum multum omnibus ſcriptoribus debeamus, qui non ſibi, ſed etiam poſteris vixiſſe creduntur, plurimum profectò hiſtoricis debere nos non poſſumus inficiari, quorum labore, ac induſtria effectum eſt, vt omnium ætatum, omnium gentium, omnium populorum res geſtæ, omnia præclara facinora ſcirentur à nobis, intelligerentur, & cognoſcerentur, vt iuxta illuſtriſſimorum virorum dicta, factaue memoratu digna contueri, ediſcere, & recordari liceret, qua quidem re nihil pulchrius, nihil iucundius, nihil magnificentius excogitari poſſe contenderim.

Inſuper S. Auguſt. lib. 1. ſuarum orat. in orat. de laud. hiſt. & orat. dicit, quod magna ſemper apud præclaros Principes, ac populos non modo Græciæ, ac Latij, ſed etiam cæterarum totius Orbis nationum, atque gentium laude, & gloria, digni habiti ſunt geſtarum rerum ſcriptores, qui vel hiſt. vel annal. litteris commendauerunt, quòd plurimum, tum ad antiquitatis memoriam, tum etiam ad iuuandam Rerumpublicarum adminiſtrationem, ſcriptorum monumenta prodeſſe videantur.

In tantum etiam ſunt vtilitatis Chronicæ, quod probant in cauſis decidendis, ſecundum Bart. in l. 1 ff. ſi cert. pet. Bald. Anton. & alij in c. inter dilectos, extra, de fide inſtrum. poſt gloſſ. ibi, in verbo, magis, & etiam gloſſ. in verbo, tranſtulit, in c. per venerabilem extra, de elect.

Plinius ad Tacit. dies noctesq. cogitare ſe ſcribit, quæ quoque poſſit tollere humo, id autem ſolam prope hiſtoriam polliceri, beatosq. putat, quibus Deorum munere datum eſt, aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda, beatiſſimos quibus vtrumque.

His de cauſis, mirum haud eſt, ſi hiſtorici Principibus gratiſſimi fuere, vt Antipater Seuero, Clitarcus Alexandro, Reſtius Theodoſio, Hieronymus Rhodius Demetrio, & Ariſtoteles Alexandro, qui beneficium octingentorum talentorum animalium hiſtoriæ conſcribendæ cauſa in eum contulit, ipſeq. Homerum, vt militiæ magiſtrum, præ manibus ſemper habebat; oſtendunt enim Hiſtorici plurima de exercitu, de eligendis, ac cognoſcendis militibus, de acie inſtruenda, de Caſtris, de agminibus, de arcium oppugnationibus, de defenſionibus, de annona, de inſidijs faciendis, atque euitandis, deq. cæteris rebus, quæ propriæ ſunt belli. Hiſtoria ad virtutem animos inflammat, à vitijs remouet, vitam virtute præditis donat, ſceleſtos perterrefacit, benemeritos æternis præmijs afficit, infames opprimit, eruditos famæ, ac ſplendore locupletat, in Deum pietatem commendat,

dat, in parentes, in patriam, beneuolentiam, ac charitatem laudat, honeſtatem extollit, prudentiam exaltat, perpetuaq. fama bonore dignum nobilitat, animæ internos mores, actiones, naturam, operationem patefacit, tempora refert, ordinem narrat, noua declarat, geſta demonſtrat, curioſos ſatietate explet, documenta omnibus tradit, homines cautos, ac prudentes reddit. Hac mali à bonis, à vilibus audaces, iuſti ab iniuſtis, miſeri à fortibus cognoſcuntur. Hac rerum veritatem, hominum caſus, ac infortunia, rerum geſtarum ſagaces actiones, cum prudentia coniunctas ſcimus; intellectum demum acuit, memoriam auget, phantaſ. delectat, auditorem recreat, lætos, mœſtos, ambiguos homines reddit, vt inquit Thomas Garzonius in plateà vniuerſali.

Mentes etiam barbarorum delectat, afflictis conſolationem, vilibus audaciam præbet, imperitos docet, omneſq. denique ad virtutem excitat, atque inflammat. Selimus Turcarum Imperator Cæſarem imitari conabatur, lectione ipſius hiſtoriæ in Turcicum ſermonem verſæ. Lucium Lucullum ſcribit Cicero, cùm eſſet Romà ad bellum Mithridaticum profectus, rei militaris omnimo rudis, tantam tamen inter nauigandum, in percunctandis peritioribus, in rebus geſtis legendis operam poſuiſſe, vt cùm in Aſiam planè Dux factus peruenißet, tantus in omni genere belli extiterit, vt maximi illius Regis confeſſione, atque iudicio omnibus quorumcumque ſeculorum Imperatoribus anteferretur. Alexander autem Seuerus Romanus Princeps, quoties ſibi deliberandum de negotio bellico foret, peritos hiſtoriæ homines primò conſulebat, neque id iniuria, vt inquit Politianus, ſi enim ſapientiam, quod ait Afranius, vſus quidem genuit, mater autem peperit memoria, qui nam tandem ſapientiores vel eſſe, vel haberi debent, quàm ij, qui non ætatis vnius, atque Vrbis, ſed omnis æui, omniumq. nationum facta, atque mores animo, & memoria comprehenderunt.

Tandem qui hiſtoriæ cognitione deſtitati ſunt, puerorum ſimiles videntur, præclarè enim Cicero, neſcire, quid geſtum ſit, anteaquàm naſcereris, hoc eſt ſemper puerum eſſe.

Ex his ſatis conſtat, omnibus, ac Principibus præſertim, hiſtoriam non ſolùm vtilem, verùm etiam neceſſariam eſſe, nam nulla res magis prudentiam perficit, quàm hiſtoriarum cognitio, multa enim videntur facilia, quæ ſi executioni traduntur, & ad experientiam deueniuntur, impoſſibilia cognoſcuntur, quæ quidem rectè dignoſcere Princeps hiſtoriarum cognitione poterit. Et ſi non impoſſibile, ſaltem difficile eſt, quòd Princeps verum ius cognoſcat, ſine optimorum hiſtoricorum cognitione. Quare de hiſtoricis dicendum eſt.

Non

Non enim omnis hiſtoria prudentiam ciuilem gignit, Lipſius præclaros hos exiſtimat. Inter Græcos Thucydidem elocutione tota grauem, & breuem, denſum ſententijs, ſanum iudicijs, occultè vbique inſtruentem, actiones, vitamq. dirigentem, orationibus, ac excurſibus penè diuinum. Polybium iudicio, ac prudentia Thucydidi haud diſparem, cura, ac ſtilo ſolutiorem; qui excedit, obrumpit, diffundit, & ſæpè non tam narrat, quàm ex profeſſo docet. Lectione Principis dignum Plutarchum, ſi quem alium Principe ſcriptorem. Xenophontem ſuauem, fidum, circumſpectum, è quo tamen haurias magis prudentiam ciuilem, quàm vt vltrò eam propinet. Nicetam Crotoniatem parùm vulgo notum, ſed digniſſimum notitia, vt hiſtoricum enarrationis diſtinctæ, compoſitæ, ſine vanitate, ſine ineptijs, breuem, quod ſatis ſit, ac fidum. Nicephorum Greg. iudicijs crebrum, & plerumque rectum.

Inter Latinos autem Cornelium Tacitum mirabilem omnino ſcriptorem, de quo initio diximus. Caium Salluſtium omninò primum. Titum Liuium diffuſum illum, & placidum, in concionibus maximè diſertum, iudicijs, ſententijsq. bonum, & ſi non frequentem. Q. Curtium probum, legitimumq. hiſtoricum, miræ in ſermone facilitatis, in narrationibus leporis, verum in iudicijs, argutum in ſententijs, in orationibus facundum. Caium Cæſarem, qui res ſuas ipſe digeſſit, compoſitè ſanè, & pari modeſtia, ac libertate. Inter mediæ autem ætatis ſcriptores Ammianum Marcellinum fidei, ac iudicij ſatis clarum. Lambertum Schanaburgenſem non contemnendum in Germanicis rebus. Rodericum Toletanum in Hiſpanicis. Philippum Cumineum omnia videntem, penetrantem, arcana conſiliorum eruentem, & ſubinde inſtruentem nos ſalutaribus, rariſq. præceptis. Paulum Aemilium, cuius ſcribendi genus eſt doctum, neruoſum, preſſum, ad ſubtilitatem, ac argutias inclinans, & relinquens, defingenſq. aliquid in animo ſerij Lectoris. Aeui ſuperioris Hiſtoricos duos, Franciſcum Guicciardinum, prudentem, peritumq. ſcriptorem, & tales ſuos lectores facientem, liberum, & veracem, ab affectibus immunem, non tamen ab odio, quod retegere non ſemel videtur in Ducem Vrbinatem. Paulum Iouium, ſtilo bonum, grauemq. & planè ad hiſtoriam, iudicio, ac fide ambiguum, vbi affectus non diſtrahunt, rectum, vbi illi adſunt obnoxium. Hæc ſunt Lipſii iudicia; Cæterum Flauius Vopiſcus, non dubitanter affirmat neminem ſcriptorem, quantum ad hiſtoriam pertinet, non aliquid eſſe mentitum, ac gloriatur ſe multa prodidiſſe, in quibus Liuius, Salluſtius, Cornelius Trogus manifeſtis teſtibus conuincerentur. Et Guicciardinum, qui omnium opinione verior exiſtimatur, Ioannes

nes Baptiſta Leo mendacij arguit. Riccobonus ferè omnes in ſtilo reprehendit. Plinij ſcabroſum, Suetonij leuem, grammaticum, non hiſtoricum. Lucij Flori conciſum, Taciti aſperum, Paterculi, Iulij Capitolini, Aelij Lamp. Trebellij Pollionis, Flauij Vopiſci, Aelij Spartiani, Volcatij Gallicani tenuem. Sexti Rufi corruptum, Eutropij inelegantem, Ammiani Marcellini durum, Procopij naturalem ferè, ac ſine artificio; Agath. & Iornandi confuſum. Pauli Diaconi, ac Blondi barbarum eſſe dicit. Verumtamen quia lectores ſupradictorum hiſtoricorum cognitione non explentur, ſed alios legere volunt, operæ pretium erit hic circa tam bonos, quàm malos hiſtoricos aliquid notare, vt fructum ex eorum lectione haurire poſſint; quamobrem, vt inquit Lipſius epiſt. 61. ordine opus eſt, ne confuſa, & vaga lectio ſit, aut deſolutaria, vel interrupta, traicere ſe ex vna, in aliam, eſt momentaneæ voluptatis, & tempus ſuum, imò, & ſe fallunt. Attentio, & lectio cùm legis non ſuſpenſum, aut attonitum te habeat, tantùm nouitas, aut magnitudo euentuum, inſiſte, inquire cui hoc rei facere poſſit, ecquid vſum ſui præbere. Mora hic aliqua inter legendum, & tarditas fateor, ſed nimirùm dicto veteri, nulla res poteſt eſſe eadem feſtinata ſimul, & examinata, nec eſſe quidquam omnium, quod habeat laudem diligentiæ ſimul, & gratiam celeritatis, tarda igitur, & quære, iam reperiſti, tum ſit electio, ideſt, vt ſtilum capias, & exerceas, & velut annonam in horrea quædam reponas. Trade libris, in quo labor aliquis & virum in legendo remota, ſed mihi crede vtilis, ſi quidquam in omni ratione ſtudiorum libri iſti quattuor totidem titulos habeant, rerum, quas præcipuè in hiſtorijs notes, memorabilium, ritualium, ciuilium, moralium, quorum memorabilium res deſigno magnas, & cum admiratione, aut metu legendas, ſiue audiendas, vt eſt notabilis potentia alicuius Regis, aut populi opera, vel opes, prodigia, & noui, aut inſoliti euentus, vno verbo quicquid non obuium, & magnitudine, vel raritate commendat. Ritualia autem, quæ pertinent ad inſtituta, ritusq. veteres, ſiue quos in publico, ſiue quos in priuato vſurpabant. Ciuilia, quæ ad vitam, & regimen commune faciunt, & hanc hominum verè, & legibus deninctam ſocietatem. Moralia denique ea, quæ priuatim ad nos, & vitam formandam virtutibus amicam, vitijs alienam. Ecce quatuor ſunt tituli, quod ſupereſt referre in eos, quidquid illos ſingules facit, ſiue ſententiarum, ſiue exemplorum, idq. cum hac attentionis cura, & iudicij item norma.

Princeps nobilis, ac quilibet alius bonos verſabunt hiſtoricos, vt inquit Antonius Poſſeuinus in bibliotheca ſelecta par. 2. cap. 4. lib. 16. quod item ad ſeſe perficiendos attinet, id ſumant. Reliqua Dei gloriæ

com-

commendanda deteſtandis peccatis, fugiendisq. vitijs tanquam normam adhibeant, & maximam ſeſe victoriam reputaturos de hoſtibus intelligant, ſi ſeipſos cuſtodierint. Neque verò eos legant, vt gentem ſuam iactabundè alijs præferant, animorum plus vni, quàm alteri nationi adhereant, aut inde obloquendi de alijs captent occaſionem. Quamquàm enim in bello iuſto ab ijs, qui militiæ adſcripti ſunt pugnare liceat pro eo, cui cauſa iuſta adiudicata eſt: non tollitur tamen id, quod Chriſtus tam ſeriò mandauit. Diligite (inquit) inuicem, ſicut ego dilexi vos. Alioquin peſſima nobis eſſet hiſtoria, quæ charitatem, quæ finis eſt legis, & Euangelium tolleret, ſicuti & Euangelium eſſet mutilum, ſi diſciplina militaris ſuis exulta legibus abijceretur, cùm Apoſtolus dicat, gladium non ſine cauſa ſtringi ad vindictam malorum, laudem verò bonorum. Neque verò abijciant animum in legendo, non inchoatas relinquent hiſtorias, non modò hanc, modò illam curioſius arripient, ſed integras abſoluant, vt & in reliquis ad exitum abducendis viros ſeſe præſtare cordatos, & fortes aſſueſcant. Porrò ætas hiſtoriæ ſtudijs idonea ſemper eſt: tenerior quidem ad mandanda memoriæ, quæ audit; prouectior autem ad percipienda, aut efficienda, quæ percepit. Præterea, cùm non eorumdem, qui militiæ ſeruiunt, ſint eadem officia, artes, munera, ideo ſuus cuique ſtatus agnoſcendus eſt, ad quem propriæ diſciplinæ, & lectionis hiſtoriæ ratio referatur. Neque enim Sacerdoti, qui ſequitur Caſtra, verſandi ſunt libri, qui de ratione arces expugnandi, ſtratagemmata moliendi, copias in aciem educendi, equitandi, curſum in mare tenendi, ad ſcopum collineandi, & iaculandi lanceas, ad congreſſum aptandi, ac de alijs huiuſmodi agunt, ſed ij, quibus vita Chriſtianæ inſtitutio, ac conſcientiæ militum vincula, & ſolutio, exemplaq. ad omnem virtutem, & cohortationes ad pietatem, hæreſumq. atque Ethnicorum perfidiæ expugnatio, Sacramentorum denique adminiſtratio traditur. At, & cùm maritima alij, terreſtria reliqui bella tractent, ita ſe vir militaris initio comparet, oportet, vt ne fruſtrà ijs tempus terat, quod legendis alijs fuerat vtilius inſumendum. Hoc animo, qui ad legendas hiſtorias acceſſerit, alijs iam cautionibus, & legibus præmuniendus eſt. Prima, vt nihil inde concipiat, ex quo tepeſcat in Chriſtiana pietate, ac religione Catholica Romana, vel alienior fiat à reuerentia erga Catholicos Principes obſequio, vel quidquam remittat de diligentia, & fortitudine rei, quæ iuſtè, ac maturè legitimis Principibus deliberata promouenda ſit. Itaque ſicuti ab Hiſtoricis autoritas, bonumuè nomen Pontificum, & Principum, ac Rerumpublicarum carpitur, aut etiam non omninò iniuſtè reprehenditur nihil præiudicet, omnia verò, vt illicò reſpuenda, ſic neque facillimè

cillimè eredenda eſſe arbitretur memor illius diuini verbi. Qui citò credit leuis eſt corde, fieri enim poteſt, vt Hiſtoricus haud æquè alterius, atque alterius Principis geſta, cauſas, periſtates (hoc eſt circumſtantias) ſit aſſequutus. Aut ſi eas nouerit, expedire tamen non exiſtimauerit; vt quæ eſſent recentiſſima (dum ij, de quibus agebatur, erant ſuperſtites) omnia prodirent in vulgus, vnde videlicet erumperent diſſidiorum ſemina, vel populi irritarentur aduerſus Principes, aut compoſita aliqua pax turbaretur. Mitto ſpem præmiorum, adulationem, odium, cæteras animi perturbationes, & alia, quæ forſan, vel promiſſa, vel collata nonnullis fuerant, vt non ita religioni ſibi ducerent, ſiquid ſilentio inuoluerent, vel obſcurarent, vel exagerarent, aut denique falſarent. Et ipſa quoque rerum ſuſceptarum conſilia, variaq. rationes, quæ non ſtatim omnibus liquent plurima eſſe poſſunt, puta, finium, perſonarum, temporum, vt qui in hiſtorijs reprahenduntur non modò non affines culpa, ſed maxima potius laude afficiendi. Itaque & ſuſcepti conſilij, rerumq. geſtarum exitus, tranquillo oculo ſpectandus eſt. Etſi enim prudentiam inde, fortitudinemq. Principis æquitatemue, ſiue iniquitatem cauſæ, haud ſemper rectè perpendes (quoniam, & hæc omnia poſſunt impediri peccatis aliorum, quæ pluribus haud innotuere, tantam nihilominus id lucem affert, vt deinceps planum fiat Deum ipſum (licet ijdem Principes cuncta fortè non proſpexere) eorum cordibus illapſum obfirmaſſe ijs in deliberationibus animos, quæ hiſtoricis, & reliquo Orbi Chriſtiano longiſſimè à iuſto videbantur abfuiſſe.

Sed hæc pauca notaſſe ſufficiat: Si quis ampliora deſiderat, & præſertim rationem, & ordinem legendi omnes hiſtorias ipſum Poſſeuinum, Ioannem Bodinum in methodo ad facilem hiſtoriarum cognitionem, ex emendatis, Laurentium Duccium in arte hiſtorica, qui antiquos, & recentiores examinat, Ioannem Iouianum Pontanum, Ioannem Antonium Viperanum, Lucianum, Dionyſium Alicarna., Sebaſtianum Foxium, Franciſcum Robertellum, Franciſcum Patritium, Vbertum Foliettam, Lambinum in Aemilij Probi vitas, Franciſcum Balduinum, ac alios legat, ex quibus plurima, quæ ad ipſam hiſtoriam, & ad Hiſtoricos pertinet haurire poterit.

Poſtquam Bruto & Caſſio cæſis, &c.

Super illa verba, ne ijs quidem annis, quibus Rhodi ſpecie ſeceſſus, &c. de ſolitudine aliqua dicemus.

Quod

Quod Princeps ſolitudinem fugere deberet.

MAgnis viris ſeceſſus ſæpe aguntur, & frequentantur, quo intenſius iram, ſimulationem, & ſecretos animi motus exerceant, ac meditentur, & in altitudinem ſe condant, occaſione poſtea oblata promunt, quæ in illa ſolitudine concoxerunt, vt inquit Scotus. Quare ſolitudinem fugere quiſq. deberet: nam ſolitariè viuere, iucundè difficile eſt, non .n. eſt facile per ſeipſum aſſiduè operari, cum alijs verò, & ad alios facilius, vt ait Ariſt. 9. Ethi. & ad Nico. c. 9. ratio aũt cur ſolitudo Principes præcipites, ac iracundos reddere ſolet, eſt atra bilis, quam ſolitudo generat, vt inquit Albertus de mot. animæ cap. 6. atra autem bilis homines peſſima cogitare impellit, ad facinora perpetrãda animos inclinat, ex quibus cædes Ciuium, vindictæ, ſuſpiciones ſubditis periculoſæ exoriuntur. Soli, opportuniorem habent occaſionẽ malè cogitandi, malè exequendi, & malè peccandi; malum enim, quod nemo videt, nemo arguit, vbi autem non timetur reprehenſor, ſecurus accedit tentator, licentius perpetratur iniquitas, vt Hieron. affirmat. Exemplũ non quæramus, Tiberij habemus, qui Rhodi non aliud, quàm iram, & ſimulationem, & ſecretas libidines eſt meditatus, quiq. rectius adminiſtrauit viuentibus Germanico, ac Seiano, quibus aliquam rationem habebat, quàm ſolus. Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet, inquit Seneca epiſt. 61. quare rectè Ariſt. homo ſolitarius, aut Deus, aut beſtia, prompti aditus, obuia comitas ſunt Principis virtutes non vitia, vt ait Tac. lib. 2. Quamobrem Princeps habere cum multis conſuetudinem debet, Auguſti imitatione, qui Mœcenate, Agrippa, & alijs familiariter vtebatur, & in motu, geſtu, affectu, & conuictu maximam ſeruare affabilitatem: minuta quædam, vt ait Phedon. animalia cum mordent, non ſentiuntur. adeò tenuis illis, & fallens in periculum vis eſt, timor indicat morſum, & in ipſo tremore nullum vulnus apparet. Idẽ tibi in conuerſatione virorum ſapientium eueniet, non deprehendes quemadmodum, aut quando tibi proſit, profuiſſe deprehendes, vt inquit Seneca lib. 2. epiſt. 95.

At dices ſolitudinem a multis laudari, ac probari; Reſpon. aliquos loqui de ſolitudine mentali, non autem corporali, aliquos, vt Senecam de ſolitudine, quæ ad comparandam philoſophiam facere videtur. Cæterum ſolitudinem non religione, non rerum cæleſtium indagine tractam, ſed prauo affectu, & rigore naturæ ductam, om-

nibus pernicioſam, ſed maxime Principi eſſe conſtat.

Super illa verba ſeruiendum fœmina contigit dubitare.

Vtrum fœminæ viris præferri in regnando debeant.

QVamquàm multa ſint exempla mulierum, quæ rectè reſp. adminiſtrarunt, dicendum tamen eſt viros fœminis præferri debere.

Primo quia, vt ait Lipſius vir ad virtutem, ad regimen natus animo, corpore, voce, viſu robuſtior, & quem magis vereare, aut venerere. In fœmina omnia leuia, mollia, quæ amorem, non reuerentiam, creent. A natura ipſæ magis timidæ ſunt, quàm timendæ. Non igitur hic autoritas. Iam in viro prudentia, & conſtantia: in illis calliditas, aut argutiæ, imbecillitas deinde iudicij, & in decretis, ſenſibusq. Euripus ſepties in die mutant. Raro etiam altum, honeſtumq. ſpirãt, ſunt in vanis, aut vilibus curis; non ergo ad ſceptrum, & publicum decus idoneæ. Duæ etiam virtutes Principum primæ. Iuſtitia, & fides firmiter vix ſunt in iſtis. Non prior, quia inclinant faciliter, miſerantur facillimè, & gratiæ, aut affectui obſecundant. Non altera, quia mobiles ingenio ſunt, & mutant, vt ventus. Ne clementia quidẽ ſit, quæ putetur, & benignior ille vultus, neſcio quomodo ſæuum ſæpè animum, & vindicem celat. Quid de laſciuia, aut luxu dicam? vtrique vitio opportunas ſcimus, & pudorem, atque opes prodigere: præſertim cum ſui iuris, ac ſpontis frenum non habent, quod adſtringat.

Secundo, quia nimis præcipites ſunt, & dum quod facere imbiberũt efficiant, fas, nefasq. pro eodem putant, vt affirmat Muretus; quo minus omnia turbentur, ac ruant; quo minus cœlum terræ miſceatur, dũ potiantur eo, quod cupiunt, non recuſant. Metum, pudorem, religionem, charitatem etiam coniunctiſſimorum exuunt, vt ad honeſta pauidæ, ſic ad illicita audaces. Cum autem per ſe fœminæ parere, miſerum eſt, tum longe infœliciſſima gens, cuius ipſe Princeps fœminæ paret. Minus interdum malorum efficiunt ſolæ; quãquam enim omnia præ ſua libidine nihili faciunt, interdum tamen ſi ſolæ ſint naturali ſexus ſui timiditate refrænantur, non vt virtute vitium, ſed vt vitium contrario vitio paulum reprimatur, ac retundatur. At ſi cupiditatem ſuã virorum, vel autoritate velari, vel nomine ipſo firmari poſſe videant, nihil tam periculoſum, quod aggredi, nihil tam munitum, quod labefactare, nihil tam ſanctum, quod violare non audeant. Magna populi

cala-

calamitas eſt, vxorius Princeps, terque, quaterque, vt Poëtæ loquuntur miſeræ gentes, quarum Principes vxoribus ſuis nubunt. Nam vt cicuta, ſi ſola bibatur meri potione, ne exitio ſit, impediri poteſt, ſin permiſta cum vino hauſta ſit, nullus iam ſupereſt remedio locus; ita muliebris impotentia ſi ſola bacchetur, Imperio viri frænari, ac coërceri poteſt, ſin virili autoritate, vallata & illo quaſi vehiculo adiuta, ad Reip. vitalia penetrarit, vix ab imminenti exitio populũ ſalus, vt aiunt, ipſa ſeruauerit. Deſperata, & profligata res eſt, vbi venenis remedia miſcuerint.

Tertio quia, vt Ariſt. 2. polit. genus mulierum nimis imperioſum eſt, & animi mores hominum ſibi ſubigere valde deſiderant, & Iuuenalis teſtatur loquelas haſce illis proprias eſſe.

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Noui ingenium mulierum, nolunt vbi velis, vbi nolis cupiunt vltro.

Verè ait Comicus, crede mihi inquit Auguſt. ſi totum cœlum eſſet papirus, & totum mare attramentum, & omnes ſtellæ pennæ, & omnes Angeli ſcribentes, non poſſent deſcribere aſtutias mulierum: & multi ſunt ità fortè ſuarum iugo ſubacti, vt ab iſtis ſemper pendeant, tunc etiam ſi litteras ſcribant, participent de conſilio grauium, & arduarum rerum, & malint viciſſim penſum, & colum cum Sardanapalo tractare, numerare rapas, olera, vaccas, caſeos, butyrum, carnes, oua, linum, fila, & eiuſmodi muliebria agere, quàm portare cum Alex. Magn. haſtam, vt aſſerit Tholoſanus de Rep. lib. 2. cap. 21. & eſt fœmina, vt ait Plinius interdum peſtis generis humani.

Quarto, quia lex diuina ſubeſſe, non imperare viris fœminas iubet. Gen. 3. & in Epiſt. D. Petri cap. 3. ad Ephesios 5. ad Coloſſ. 3. ad Corinthios 1. cap. 11.

Quinto quia, & virilia munera multa ſunt, fœminarum ſexui, ac pudori contraria; Magiſtratus enim publica eſt perſona, & palam, atque publicè ſui facere copiam debet, quæ ſunt contra muliebrem impudicitiam. fœminæ eſt manere domi, tolerare colo vitam, famulas ad lumina longo exercere penſo, vt inquit quidam.

Sexto, crudum nimis ſeruitium eſt mulieribus obedire, & vbi hæ imperant, non modo a libertate, ſed etiam a ſeruitute homines degenerant, vt affirmat Tac. de mor. ger. & Lipſius lib. 2. polit. 3.

Septimo, quia iura humana eas immunes ab omnibus publicis officijs eſſe voluerunt, vt Dynus, ac Decius in l. quod fœmina, ff. de reg. iur. proſequuntur, idq. ſecundum Ludouicum Viues de fœmina

chriſtiana, vt pudicitiam, ac caſtitatem omiſſis omnibus negotijs diligentius poſſent cuſtodire.

Octauo, quia indecorum eſſet, imperfectum perfecto imperare, at mulier eſt quid imperfectum, cum ſit ſecundum Ariſt. 2. phiſ. maſ. occaſione natus, ergo.

Nono, quia quemadmodum lex Dei videtur remouiſſe a principatu mulierem, ſic etiam lex naturæ ab eodem, eſt autem ordo naturalis in hominibus, vt ſeruiant fœminæ viris, filij parentibus, quia nulla iuſtitia eſt, vt maior ſeruiat minori, vt inquit Tholoſanus lib. 7.cap.11.

Decimo, quia mulier eſt peccati ſymbolum, labilis enim mollis, & ad delinquendum procliuis admodum eſt mulier, tantaq. infirmitate, vt Salamon dixerit, meliorem eſſe iniquitatem viri, quàm mulierem benefacientem, cui concinnit Menandri Verſiculus.

Muliere nihil eſt peius, vel etiam bona.

Alter quoque vbicunque mulieres ſunt, ibidem mala ſunt omnia, quoniam mulier homini confuſio eſt, continua ſolicitudo, indeficiens, pugna, quotidianum damnum, adoleſcentiæ naufragium, animal peſſimum, pondus grauiſſimum, aſpis inſanabilis, humanum mancipium, & vt ait Chryſoſt. amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura, boni colore depicta, malum omni malo peius, ſiue illa mulier pauper ſit, ſiue facultatem habeat cooperatrix eſt malitia ſua, ſi iniuriam patitur inſanit, ſi honorem accipit extollitur. ſi potentis vxor ſit, non ceſſat nocte, atque die callidis ſtimulare ſermonibus, blanditur nequiter, & quod vult, rapit violenter. vt refert in num. myſterio. P. Bongus. Qui vitia mulierum ſcire deſiderat, præter ſatyricos, & tragicos, ac Venereos poëtas, legat bibliam auream, de fallacijs mulierum. Platinam contra mores pag. penult. Roſarium Buſti. lib. 11. ſimpl. apud Celeſtinum cap. 1. Alanum Card. in clem. ſi benef. quæſt.10. Antonium Gueuaram in vita M. Aurelij, de malitijs mulierum. Ioannem Alexandrinum, Campanellam mulierum, Arioſtum in poëmate cantu 25. & 26. Corbaccium, & Nouellas Io. Boccacij, Ghirardi, & aliorum. Maganellum. Albericum in dictionario in verbo mulier, maleum, maleſ. Polyanthеam in verbo adult. & mulier. Ioſephum Paſſum in defectibus mulierum. Antonium Porracium de mulierum conſortio fugiendo. Petrum Paulum Camertinū de inſidijs mulierum euitandis. Rinaldum Olanum de arte meretricum. Paulum Filardū in libello, quod Lenones ruina ſunt adoleſcētiæ. Torquat. Taſſum in poëmate cantu 4. Fridericū Fernandium de illecebris

mulierū. Petrum de Albo in libello cur mulieres peius ſequantur, & in alio, cur mulierū conſilia improuiſa ſint meliora. Gregorium Touagliā in libello, vtrum in menſa aliquis anteaquàm bibat honeſtè poſſit mulieri præbere, & vtrum mulier vicem reddere ante compotori teneatur; Martinum de luce in libello de 45. mulierum principalibus artificijs. Remigium Siluanum de mulierum malitia, & noſtros libros de curioſa doctrina lib. 4. cap. 7. & lib. noſtrum de muliebri excellentia, & quæſtiones amatorias.

His de cauſis, & quia in ſacra Scriptura non legitur fœminas in Regno vnquam ſucceſſiſſe, & vt ait Lucas de Penna in l. penult. C. de prof. & med. lib. 10. quod ſi regna regunt vuluæ, gens tota proclamat ſimul, concludendum eſt eas Imperio dignas non eſſe, bonas autem honore eſſe celebrandas, vt proſequitur Bartholamæus Caſſaneus in catalog. gloriæ mundi.

Illud autem verum eſt, vxores, & matres principum ſummo honore homines afficere debere, vxores præſertim, quia radijs maritorum corruſcant, quare poſt Principes præcedere debent, & eadem priuilegia, quæ habet Imperator, habet, & Auguſta, tex. in l. Princeps, ff. de leg. & ideo ſedent a dexteris iuxta illud, aſtitit Regina a dextris tuis, in veſtitu deaurato, circundata varietate; & ideo Auguſta vtitur eadem prærogatiua, qua vtitur Imperator, vt facit l. Fiſcus in fine de iure fiſci, & Lucas de Penna in l. 3. C. de præfecto cubi. lib. 12. dicit etiam Miniſtros Auguſtæ eodem, quo & miniſtros Principis priuilegio gaudere.

Matres deinde ſequuntur, vt habetur 3. Reg. 2. poſitus eſt thronus matris, iuxta thronum Regis, prout dicit Ant. Flor. in par. ſuæ ſummæ tit. 15. cap. 20. & textus dicit in illo loco, quòd Rex Salamon fuit in occurſum matris ſuæ venientis ad eum, adorauitq. eam, & fecit poni thronum ad dexteram ſuam, quod verum eſt, quando Regina non adeſt, vt interpretatur Caſſaneus, & Corn. Tac. idem dicit de Nerone, qui etiam fuit in matris occurſum. Quare maximè debent homines honorari mulieres, eisq. locum, quoàd præcedentiam cedere propter ſexus debilitatem, non autem dignitatem, quæ hominibus, non illis videtur naturalis eſſe.

Hæc, atque talia agitantibus graueſcere valetudo Auguſti, & quidam ſcelus vxoris ſuſpectabant, &c.

Super illa verba dabat, & fama, vt vocatus, electusq. &c.

Vtrum melior ſucceſsio, an electio.

Prima opinio eſt Plinij in Paneg. qui ait Imperaturum omnibus, eligi debere ex omnibus; videtur etiam Tacit. 2. hiſt. quia optimũ quemq. electio inuenit, nam naſci, & generari a Principibus fortuitum, nec vltra æſtimatur cooptandi iudicium integrum, & ſi eligere velis conſenſu monſtratur.

Videtur etiam electio quandam libertatem habere.

Poteſt hæc opinio probari primo, quia ex omnium ſententia mixtũ Imperium hominum ex Rege, & optimatibus eſt omnium perfectius, & vtilius, hocq. Lacædemones ab omnibus laudatos vſos fuiſſe conſtat, at Lacæd. Reges eligebantur, ergo.

Secundo quia, vt ait Buridana, per illam viam eſt melius principem aſſumi, per quam contigit meliorem accipi, ſed hoc eſt per viam electionis, ergo, maior eſt nota, quia ſemper expedit, quòd Princeps ſit optimus, & minor probatur, quia electio fit cum conſilio, ratione, & deliberatione, etiam electio habet præferre maius bonum, minori.

Tertio, quia melius eſt principem eligi per illam viam, quæ nunquã deficit a noſtra poteſtate, ſed electio eſt eiuſmodi, ſucceſſio enim generis deficit, ergo eſt melius illam viam aſſumi, per quam cedunt rixæ, & diſſenſiones in Ciuitate, ſed hoc eſt per electionem, ergo.

Quarto, quia in ſucceſſione peſſimi poſſunt admitti, non in electione, in qua optimi, & aptiſſimi per eam capiuntur, poſſunt etiam ſuccedere infantes, & pueri.

Quinto, quia in electione, vt inquit Lipſius cap. 3. in monit. & exemp. polit. 3. aperitur virtutibus campus.

Sexto, quia electione regna creſcunt.

Septimo, Reges, vt ait Philoſophus abſoluti boni eſſe debent, ſed hæc perfectio virtutis certius per electionem, quàm per ſucceſſionem acquiritur, ergo electio magis, quàm ſucceſſio approbanda videtur; minor probatur, quia vt habet Ariſt. 2. lib. reth. nobiles multi a parentibus degenerant, & in deteriores mores prolabuntur, at in tota multitudine inſtar monſtri eſt, ſi vnum ſtudioſum, & prudentem virum non inuenias.

Octauo, quod eſt ſecundum virtutem, melius eſt eo, quod fit ſecundum naturam, ſed electio fit ſecundum virtutem, ſucceſſio verò ſecundum naturam, ergo electio eſt ſucceſſione melior.

Nono, Athenienſes, Lacædemonij, Carthaginenſes, Romani, magna illa mundi lumina diù floruerunt, at iſti omnes electione ſuorum

Conſu-

Conſulum, & Regum vtebantur, ergo electio videtur eſſe nobilior.
Decimo, ſucceſſio ab Ariſtotele reÿci videtur, ergo male ſecundum Ariſtotelem defenditur, antecedens patet, dicit enim perniciosum eſſe, vt patribus filÿ diſſimiles Regnum obtineant, hoc etiam addit, quòd tam cæcutit amor parentum in ſuos filios, vt aliquando ineptos ſucceſſores poſt ſe relinquunt.
Vndecimo ſucceſſio, in Regibus elationem ſubditorum gignit, deſpicientiam, negligentiam in rebus adminiſtrandis, regendisq. publicis adfert, cum iure quaſi hæreditario ſceptrum illi deberi ſibi exiſtimant, nec de amittendo eodem curam, atque cogitationem vllam ſuſcipiunt. At eſt illa, libera cum eligendi, tum remouendi reges ratio dignitatis, modo atque libertatis magnum ſit argumentum, ſed & vinculum, vt inquit quidam, quo coerceri Reges, atque Principes, eoq. impelli poſſunt, vt hominibus, non beſtÿs imperare ſeſe cogitent; ità gerendum eſſe Imperium ſciant, vt rationes ordinibus reddantur, niſi alto de ſolio magno cum dedecore deſcendere velint.
Secunda opinio eſt Taciti ann. lib. 2. qui affirmat minore diſcrimine ſumi principem, quàm quæri; nam eſt paratior, quia magnis, aut nouis conatibus opportuni ſunt tranſitus rerum, & ſecurior, quia prauæ aliorum ſpes cobibentur, ſi ſucceſſor non eſt in incerto 13. ann. & 4. hiſt. non claſſes, non legiones perinde firma Imperÿ munimenta, quàm numerum liberorum. eſt Buridanæ, qui etſi in prima concluſione aſſerat, eſſe melius principem aſſumi per electionem, quàm per generis ſucceſſionem, tamen ſecunda concluſione conſideratis circumſtantÿs aſſerit, melius Principem aſſumi per ſucceſſionem generis, quàm per electionem; quod quattuor modis, primo conſiderando paternam nobilitatem, ſecundo obedientiam ſubditorum, tertio eligẽtium diſſenſionem, quarto inſpiciendo regni vacationem. primo, rex filium ſuum inſtruit; ſecundo, ſubditi aſſueti ſunt obedire; nam, vt philoſophus, diuturna conſuetudo facit obedientiam; tertio, quia fauore, vel odio eligi poſſet aliquis; quarto, inſpiciendo Regnum vacat regimine, quod non ſit, cum immediatè Regnum acceptet. Eſt Lipſii, qui tribus de cauſis vtilius eſſe affirmat; prima, quia nullum eſt interegnum, atque ità nec competitio, nec bellorum materies, præſertim cum iura ſucceſſionum legibus, aut moribus vbique firmentur; ſecunda, quòd charitas vtrimque maior, & ſubditorum in genitum, & ſanguine Principem, & Principis in ſubditos certo, & veteri iure ſuo. Tertio, quia Imperium eſt adſtrictius, & reuerentia, aut obedientia promptior. Eſt Lelÿ Zechÿ lib. 1. de principe; quia facilius populi obediunt principi comperto, quàm nouo, & difficile alienigenis ſubÿciuntur: ſecundo, quia populi nouis exactionibus non grauantur,

tur, ſed impoſitis a patre continuatur: tertio, quia ſic vita Principis viuentis, eſt tutior, cum inſidÿs non pateat, vt quando neſcitur quis ex extraneis ei ſit ſucceſſurus, & etiam quia mortuo Principe electiuo Reſpub. vexatur, & ex mutatione principum alterius generis facile regna intereunt, & tranſeunt in aliud nomen, & ditionem, ex mutatione Regum ærarium minuitur, & iura Regni omnes euertũt, videntes Regem morti proximum, nec vllos ſucceſſuros, eſt & multorum aliorum, quos longum eſſet recenſere.

Probatur præterea hæc opinio, primo, quia aliquam oportet intercedere moram in eligendo, ſed ſi procraſtinatione aliquid intermiſſũ fuerit, illud verum eſſe deprehenditur, quod in ſacris litteris deturbato rerum ſtatu legitur in diebus illis Regem in Iſrael nullum extitiſſe, feciſſe vnumquemque, quod ſibi rectum videretur, vt quidam dicit.

Secundo, quia in electione locus eſt malis, aliquando iuſiurandum violatur, locus datur largitionibus amori, & gratia aliquid tribuitur, largitur eligendus multa ambitione, multa contentione fiunt, contentiones, ac diſſidia excitantur, quæ omnia in ſucceſſione non eueniunt.

Tertio, quia naturam ſequendo, rarò fallimur, ſed natura ſucceſſionem amat, nam in domo patri filius ſuccedit, ex vna familia multæ aliæ, ex his pagi, inde Ciuitates, regna, imperia fluunt, & quattuor monarchiarum principes, orbis ſucceſſione quadam tranſlata in filios fuerunt, vt quidam affirmat.

Quarto, quia tardius ad comitia electores veniunt, quare ſæpius occaſiones rerum gerendarum amittuntur, & Tac. hoc vitium ineſſe Germanis ſcribit, vt ad publicos conuentus non ſimul, nec iuſſi conueniant, contentionibus aliquot dies conſumant. Idem de Romanis Cicero queritur, nec vt ſacrificÿs, ſic conſilÿs certum expectari tempus poſſe, diem imò horam, niſi prouiſum fuerit magnas ſæpe adferre clades docet, & de Græcis Thucydides affirmat, quòd ægrè, ac tardè ad comitia veniant, & vbi conuenerint plus temporis priuatis controuerſiis, quàm publicis negotÿs tribuant, ità optimas rei gerendæ occaſiones negligant, quòd ſi verò vlla in re alia in regum certè electione celeritate eſt opus.

Quinto, quia aliquando exteros eligere oportet, quod quidem indecorum eſt, & tutum minus, leges iura, immunitates, aras, focos, vitam denique ipſam, exteris, atque ÿs credere, qui lingua, moribus, rebus alÿs plurimum a nobis diſcrepant, vt ait quidam.

Sexto, quia noui Reges, vel Principes plerunque ſine ſubditorum magna offenſione, aut etiam pernicie creantur. familÿs enim mutatis,

tis, reges noui quæruntur, atque conſtituuntur, dum ad opus, atque potentiam alij reſpiciunt, alij familiæ vetuſtatem, ac ſplendorem propoſitum habent, alij ad rei militaris peritiam oculos, atque animos conuertunt, de alijs alij cogitant. Ipſi quoque Reges, qui ſucceſſione quadam ad ſuos Regni peruentura gubernacula norunt, maiori cuncta ſtudio, cura, diligentia adminiſtrant liberorum amore, quaſi ſtimulo quodam excitati, ſolicitè ſceptrum tenent, religiosè leges, aut nouas ferunt, aut ante latas tuentur, pacis, atque concordiæ amantes ſunt, in id ſedulò incumbunt, vt quæ ſunt Regni, ac ſubditorum, non vt aliena, ſed ſua ſarta, quod aiunt tectaq. retineant, vt quidam probat. Ex his patet ſucceſſionem electione eſſe meliorem, ſed anteaquã argumenta primæ opinionis ſoluamus multa erunt hic, quæ ad electionem, ac ſucceſſionem pertinent notanda.

Notandum primò ex Philone Hebræo, de creatione Principis, Principes ſortitò creari non decere, ſors enim ad fœlicitatem, non ad virtutem attinet, itaque ſæpe accidit, vt ad principatum ſors eueheret, quos vir bonus non ferret in ſubditorum numero: Nam & minores Principes, qui ab alijs vocantur Domini, non omnes vernas, emptitioſue aſſumunt in famulatũ, ſed ſolos morigeros, obſequentesq. cæteros refractarios, & incorrigibiles gregatim, interdum haſtæ, auctioniq. ſubijciunt, vt indignos, qui vel ſeruiant in boni viri familia. Quantò minus decet, dominium, principatumq. integrarum Ciuitatum, gentiumq. ſorti committere, lubricæ rei pendenti à fortuna inſtabili; certè in ægrotis curandis ſortium nemo meminit, nec enim ſorte capiuntur Medici, ſed peritiſſimus quiſque eligitur. Item cùm de proſperitate, ſaluteq. nauigantium agitur, non ſorte decernitur quis gubernaturus puppim aſcendat, ne fortè aliquis imperitus, vel in tranquillitate, ac ſerenitate aſciſcat naufragium, ſed quæritur aliquis, qui artem gubernandi à iuuentute didiſcerit, hoc eſt qui ſæpè nauigauit, perluſtrauitq. aut omnia, aut plura maria, qui benè nouit emporia, portus, ſtationes, receptacula, quæ vel in continente ſunt, vel in inſulis, qui in mari quoque callet inuenire ſemitas ex obſeruatione ſyderum, peritus ſtellarum, & ſuos curſus ad illarum motus dirigens, ita, vt per inuia viam expediat, & nouo more maria terreſtri animanti aperiat, reddatq. trajectu facilia, & poſtea Ciuitates magnas, populoſas plenas habitatoribus, eorumq. adminiſtrationem, & curam rerum priuatarum, ac publicarum, ſacrarum, ac profanarum, quam meritò quis artem artium, & ſcientiam ſcientiarum dixerit, committemus incertæ rei, fortuiteq. reiecto veritatis examine. Eſt autem veritatis examen rationabilis probatio.

Notandum ſecundò, ex Martino de Cazarijs tractatu de Prin-

cipe, quando duo ſunt electi Imperatores in diſcordia, quilibet adminiſtrat, donec declaretur, cuius electio eſt validior, & priuilegium, ab altero conceſſum, valet, qualiſcunque ſit exitus quæſtionis, ſecundum Oldra. conſ. 21.

Tertiò, ex eodem, quòd Imperatoris electio non habeat certum tempus præfixum, ſed ſufficit certum terminum electoribus aſſignare, quo elapſo ſi negligunt eligere, ſuperior eliget.

Quartò Electores Imperatoris, qui elegerint vnum, poſſunt vocare, & eligere alium, & negligentibus electoribus eliget Papa, etſi ſunt electi duo, cognoſcet Papa.

Quintò, Rex in vita ſua poteſt determinare, qui ſit Rex, an primogenitus, an ſecundus genitus, vt ait Baldus in proem. Decret.

Sextò, ſi ij, quibus competit electio, tenerentur eligere ad voluntatem alterius, eſſet tollere ſubſtantiale electionis, cùm eligere ſit vnum ex pluribus aſſumere.

Septimò, ſi vnus ex ijs, ad quos ſpectat electio, debitè vocatus, noluit intereſſe, non habetur pro contradicente, & erit, ac ſi non eſſet elector, & præſentes poterunt eligere ſine eo.

Octauò, ex Stephano Malereto de electione liberè facta, & poteſtate regia, in electione requiri conſenſum liberum. Itaque ceſſat electio, cùm adimitur eligendi libertas, & vbi non eſt voluntas libera, ibi non eſt electio. 23. q. 5. c. ad fidem; Vnde ſi in actu electionis adhiberetur metus, ceſſaret libertas conſenſus; & ideo electio non valeret; & hinc dicit Bart. in tractatu de Tyranno, quòd Ciuitas habens electionem rectoris, ſi per Tyrannum ſit compulſa eligere Rectorem, non valet electio. Et ſi Tyrannus iuit ad Ciuitatem liberam cum exercitu magno, & propter timorem exercitus, Ciuitas elegit Tyrannum in Dominum, transferendo in illum omnem iuriſdictionem, non valet, quòd tali timore agitur, & ſic in ſimilibus actis, vt in electione Regis, in tranſlatione iuriſdictionis non voluntas requiritur ſimpliciter, ſed etiam, quòd adſit voluntas libera. Ideo quando voluntas eſt coacta, habetur pro non voluntate.

Hoc tamen intelligitur de coactione conditionali, non autem abſoluta; nam metus circa perſonam incertam non vitiat actum electionis, nam ſi compellitur eligere incertum de certis, tunc enim valet electio, ſecus quando electores coguntur eligere aliquem in indiuiduo.

Nonò, ex Lelio Zecbio libro 1. de Principe, quòd ſi plures filij extent, ſolus primogenitus in Regno ſuccedit, niſi mos contrarius receptus, vel lex Regni aliud expoſcat, cùm eiuſdem rei duo in ſolidum domini eſſe non poſſint. l. ſi vt certo §. ſi duobus. ff. commod. idq. ex conſue-

conſuetudine omnium ferè gentium ſeruatur, vt vnus tantum ſit Rex, & is primogenitus arg. c. in epi. 7. q. 1. c. 1.

Decimò, ſi duo gemini nati ſunt, prior editus in lucem ſuccedit, etſi id dubites, prior maſculus præſumitur genitus, quàm fœmina. l. ſi fuerit legatum §. fin. de reb. dub. ſed ſi ex ſuto vtero nati ſint, ſorti res erit committenda, vel erit locus gratificationi, ſi pares ſint meritis, vt dicit Io. Andr. in add. ad ſpec. l. 4. par. 3. c. de fœudis.

Vndecimò, conſuetudo Regni, quòd primogenitus præferatur, non debet interpretari contra vtilitatem totius Regni, quare ſi primogenitus eſt inſufficiens ad regendum Principatum, vel Regnum, poſſet ſecundogenito ſuo fauenti Regnum concedi, ſecundum Bald. in auth. hoc amplius C. de fid. commiſſ.

Duodecimò, Spurij ad ſucceſſionem Regnorum non admittuntur, iuxta probabiliorem ſententiam, & vſum, nam ſpurij non poſſunt dici ex ſtirpe regia legitimi, cum non ſint nati in matrimonio, vbi eſt tantum coniunctio legitima. Exo. 20. Mar. 10.

Decimotertiò, ſi Rex ante adeptionem Regni, filium ſuſceperit, & poſt alium, præponi debet natus ante, cùm non ſit ſpectanda ratio temporis adeptionis dignitatis, ſed naturæ, ſic natus ex Senatore, etiam ante adeptam Senatoriam dignitatem dicitur Senatoris filius. l. Senatoris filius. ff. de Senat.

Ad argumenta, reſpondetur electionem per ſeipſam conſideratam; ſucceſſione nobiliorem eſſe, cùm in electione præſtantes tantummodo eligi debeant, ſed ob factiones, & ſeditiones, ac alias grauiſſimas circumſtantias vtilior, ac melior eſt ſucceſſio. quare ad.

Primum reſpond. ſecundùm quid tantummodo fuiſſe eam electionem meliorem, quare, & ad decimum idem reſpondetur dicendo, Ariſtotelem ſecundum quid intellexiſſe, & non mirum, quia Græcus, & liber Regna amat proxima libertati.

Ad nonum dicendum, quòd non concludit, nam præponderant exempla alia, & pro vno electionis, centena ſunt ſucceſſionis, vt inquit Lipſius; præterea Hiſtorici exiſtimant electionem Principum in hiſce Imperijs ipſorum ruinam peperiſſe.

Ad octauum reſpondet quidam, quòd etſi natura aliquando ſit imperfectior virtute, incertior tamen non eſt; præterea non ſolum naturam, ſed etiam virtutem, non ſortem, ſed prudentiam in ſucceſſione compoſito ſpectari, quippe ad hanc populi conſenſus, optimorumq. Senatus requiritur, eodem modo ad ſeptimum reſpondetur.

Ad vndecimum dicendum non ſemper vera eſſe, & peiores eſſe electionis conditiones, quàm ſucceſſionis, vt probatum eſt, & ad omnia poteſt reſponderi electionẽ ſecundum quid, non ſimpliciter meliorẽ eſſe.

Quod

QVOD ad creationem Summi Pontificis attinet, dicendum eſt, neminem humano diſcurſu de eo diſputare poſſe, nam & illi aliquando eliguntur, de quibus nulla mentio facta eſt, & qui longiſſimè ab humano diſtant ingenio, non enim humana libidine, ſed diuino decreto fiunt, vt inquit Iouius in vita Had.6. Cardinales, Principes huic, vel illi faueant; hæc vel illa moueant, omnia corrumpent, immediatè, & ſimpliciter à manu Dei Pontificatus emanat, Spiritus ſanctus viſibiliter operatur, & Cardinales illum à Deo eſſe electum oſtendunt, idq. vſitatius his modis.

Mortuo Romano Pontifice, ſacrisq. nouem diebus à Cardinalibus celebratis, & Miſſa Spiritus Sancti die decima ſolemniter decantata, Patres Conclaue ingreſſi, diem integrum ſequentem formandis legibus impendunt, ad ſanam Romani Pontificis adminiſtrationem, maximè neceſſarijs: Quibus Patrum quiſque ſubſcribens iure iurando, votoq. promittit obtemperaturum ſe illi, ſi Pontifex factus fuerit. His actis ſtatim quodam die comitia prima indicuntur: Mane autem eius diei Patres omnes induti pallijs à ſummo deorſum apertis, quas crocias appellant, in cappellam, vbi Corpus Christi aſſeruatur, conueniunt; ibi diuina Spiritus Sancti ritè ſacra celebrantur: Quibus abſolutis ſuo loco diſponunt ſe per ſubſellia: Quiſque autem, quos eligere decreuit, in codicillo ante deſcribit, huncq. anulo ſuo obſignat. Inde tres ex Patribus ad Altare aſcendentes, Decanus videlicet Præsbyterorum, & Diaconorum primi, calicem, in quo eo die ſacra facta ſunt, ad medium altaris conſtituunt, Cuſtodes ipſi omnium, ac inſpectores inſtantes. Poſt hæc eodem ordine procedunt, & reliqui Patres, atque ante Altare in genua procidentes, codicillum ſigillatum in calicem immittunt. Id autem poſtquàm ab omnibus factum eſt, tres illi, quos dixi, calicem ipſum ad cæteros inferiùs conſedentes ſublatum altius oſtendunt, conſiſtentes in ſubſelliorum medio; vnde ſpectari, & adiri à circumſtantibus poſſunt. Numerant mox codicillos, quorum, vt conueniſſe numerus inuenitur, ſinguli à Decano aperiuntur, & leguntur, ac Diacono proximo pronunciandi traduntur. Patrum quiſque papirum tenens, ac pugillar, quos quiſque eligit chirographo annotans. Nullus autem ex Alexandri Tertij conſtitutione, pro Pontifice haberi poteſt, qui duarum partium, ex Cardinalibus integra ſuffragia tulerit, qui numerus ſi ex codicillis adimpletur, tunc Pontifex creatus eſt, ſin minus, liberum eſt cuique quem voluerit Patrum non elatum à ſe ſcripto, voce eligere, quæ electio ratiò acceſſus appellatur. Datum eſt quempiam ex ſolis codicillis eligi vocum acceſſio conficere opus ſoleat. Alius eſt quoque creandi Pontificis mos, qui per adorationem dicitur. Hoc autem eſt cum duæ partes

tes

tes Cardinalium, non expectato (vt aiunt) ſcrutinio, ſed voce tenus omnium conſenſu, & voluntate quempiam ex Cardinalibus in Romanum Pontificem ſalutant, atque venerantur, qua ratione multi renuntiati ſunt.

Quando autem in creatione Pontificis diſſentiunt, electionisq. ratio diſcordijs agitatur, & res protrahitur, dum vnuſquiſque ipſorum ad Pontificatum aſpirans, nemini cedere vult, per viam compromiſſi in paucos Cardinales facti, qui Pontificem eligant, ſe concordant; quomodo Kal. Septembris, Anno M. C C. L X X I. in Pontificem Maximum renunciarunt ſex Cardinales Thedaldum Vicecomitem Placentinum Archidiaconum.

Hi ſunt praecipui modi Pontificem creandi. Sed antiquis temporibus alio modo creabantur. Obteſtatur Clemens Septimus in Bulla, Cardinales, vt in electione Summi Pontificis deponant omnem priuatum affectum, & caſſent omnia facta, obligationes, & iuramenta, quæ data, vel facta eſſent de aliquo eligendo, monet omnes fideles, vt ſtatim audita Summi Pontificis morte, eius celebrent exequias, & quotidie orent pro vigili concordia, & vtili prouiſione Romanæ Eccleſiæ. Prælati autem in ſuis prædicationibus ipſos ſubditos ad hoc hortentur, vt eis frequentiam orationum, & obſeruantiam ieiunorum indicent.

Contra eligentes Pontifices ſimoniacè eſt Bulla Iulij II. & contra ipſos electos ſub multis pœnis emanata, & præcipuè, quòd tam electi, quàm eligendi cadant, & priuantur omnibus dignitatibus, honoribus, officijs, beneficijs, &c. multa ſunt, quæ obſeruantur in ipſo conclaui, & ante, quæ recenſere nimis hic eſſet.

Nihil primo Senatus die agi paſſus, niſi de ſupremis Aug. &c.

Super illa verba: cuius teſtamentum illatum, dicendum eſt.

De præſtantia teſtamenti, & de teſtamentis pijs.

RE*ctiſſimè profectò Valerius Maximus lib. 7. cap. 8. teſtamenta actorum hominis, & præcipuè curæ, & vltimi eſſe temporis ſcriptum reliquit; nam hic vltimus hominis actus eſt perfectiſſimus, quippe qui à maturo, atque exacto, & diu præmeditato iudicio nanciſcitur. In omnibus quidem rebus aliquod fuci ineſſe poteſt, ac in teſtamentis pectora nuda patent, ipſaq. veritate moribundi vtuntur, qua viui, & incolumes tantummodo fruebantur. Quare Nazian. in*

orat.

orat. in Athan. ſuprema iudicia ſaniorà, & ab omni fuco remotiora eſſe teſtatur. Cuius rei præclarus extat Seneca locus lib.8. de benef. cap. 11. qui eiuſmodi eſt. Quid cum in ipſo vitæ fine conſtituti ſumus, cum teſtamentum ordinamus, non beneficia nobis nihil profutura diuidimus; quantum temporis conſumitur, quamdiu ſecretò agitur, quantum, & quid demus.

Quid enim intereſt, quibus demus, à nullo recepturi. Atqui nunquàm diligentius damus, nunquam magis iudicia noſtra torquemus, quàm vbi remotis vtilitatibus, ſolum ante oculos honeſtum; ſtetit tamdiu officiorum mali iudicis, quamdiu illa deprauaſpes, ac metus, ac incertiſſimum vitium voluptas, vbi mors interclußit omnia, & ad ferendam ſententiam incorruptum iudicium miſit, quærimus digniſſimos, quibus noſtra tradamus. Nec quidquam cura ſanctiore componimus, quàm quod ad nos non pertinet; qua de re fortaſſe Plinius epi. 18. lib.8. teſtamentum ſpeculum cuiuſque morum eſſe dixit. Cicerò verò lib 1. Tuſ. quæſt. teſtamento, tamquam argumento ad immortalitatem animorum confirmandam vtitur; dicit enim, quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid adoptiones filiorum, quid teſtamentorum diligentia, quid ipſa ſepulchrorum monumenta, quid elogia ſignificant, niſi nos futura etiam cogitare, & Romani adeò teſtamentum magni fecere, vt legitima teſtamentorum latina dumtaxat lingua concipi potuiſſe voluerunt. Proinde legatum Græcè ſcriptum non valebat, teſte Vlpiano tit. 25. Fideicommiſſum verò Græcè ſcriptum valebat, vt idem tradit. Hæc pauca de teſtamento, cuius ſi quis exactiorem materiam legere cupit, Barnabam Briſſonium lib.7. de formulis antiq.

Cæterùm, vt ex illis verbis patet, populum, & milites dono affecit, quod deinde multi ſunt imitati Imperatores.

Noſtri verò pro animabus, locis pijs mortis articulo donant, qui donationis vſus apud gentiles non fuit, antiqui enim ſolummodo ea Deis donabant, quæ ad placandam eorum iram conducebant; quare Cic.lib.2. de leg. impius ne audeto placare donis iram Deorum, & Plautus in prolog. rudentis Iouem ſe placare poſſe donis, hoſtijs; & Virgilius.

Dona ferunt, onerantq. aras, mactantq. iuuencos.

Quæ & dona propriè vocabantur, nam vt Cornelius Ponto in libro de nominum, verborumq. differentia ſcribit, donum dicitur propriè, quod Dijs datur, munus verò, quod hominibus; neque ſi mortuorum animas fruſtrà placare conabantur, id non donatione delubris facta noſtra ſimilis efficiebant. Sed animalibus nempè porcis, tauris, agnis, ouibus, vel herba, vt verbena, faba, &c. quæ Natalis Comes in

ſua

ſua mithilogia elegantiſſimè oſtendit, quaq. nos, vt à noſtro inſtituto aliena miſſa facimus.

Quod ad nos attinet, hortamur oẽs, vt articulo mortis Eccleſia, vel pauperibus aliquid erogent, & teſtamenta ſacrarũ rerum cauſa condita, ſuos effectus ſortiri hæredes ſinant, eſt enim à natura, à pietate, à religione, & à lege alienum, ea directè, vel indirectè impedire; ſunt multi Nepotes, qui vt pietatis inimici, Auorum, vel Auunculorum teſtamenta irrita facere omni ſtudio conantur. Semper apud probos homines pia cauſa commendatio maxima fuit, & qui eam impediunt in ſuæ cauſæ patrocinium ſe eſſe pauperes aſſerentes, rerum humanarum, ac diuinarum ſunt ignari; impièq. agunt, quaſi res Deo creditæ tutiores non eſſent; patrimonium Deo creditum, inquit ille, nec Reſpub. eripit, nec Fiſcus inuadit, nec calumnia aliqua forenſis inuertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ, Deo cuſtode, ſeruatur, hoc charis pignoribus in poſterum prouidere, hoc eſt futuris hæredibus paterna pietate conſulere; & vt ſaniſſimè Diuus Hieronymus libro ſecundo epiſt. ad Eliodorum, licet paruulus ex collo pendeat Nepos, licet ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus vbera, quibus te nutriuerat, mater oſtendat, licet in limine Pater iaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum Crucis euola. Solum pietatis genus eſt in hac re eſſe crudelem.

Obſeruanda eſt ergo mortuorum vltima voluntas, quoties vel in pauperes, vel in Eccleſiam homines liberales ſunt. Sidonius Appollinaris libro octauo, epiſtola quarta ad Coſentium dicit: inuigilet cœleſtibus lingua præconijs, anima ſententijs, dextera donarijs, quia quicquid Eccleſiæ ſpargis, tibi colligis. Quamobrem diuites aliquid pauperibus in teſtamento relinquere deberent, vt inquit Chriſoſt. in hom. 2. ſuper Pſal. 50. idem de Eccleſiis, ac Sacerdotibus, ijs præſertim, qui quadam ſunt feruentiore religione præditi, nam vt optimè Saluianus, nullos pietas minus reſpicit, quàm quos præcipuè religio commendat, quod quidem Principes Chriſtiani ſuperioribus ſeculis pietatis zelo fecere, aurum, & amplos reditus Eccleſiæ donarunt; qui priſtinus donandi ardor, non Clericorum deprauatis moribus, vt nonnulli impiè aſſerunt, ſed hominum auaritia frigere cœpit.

Quomodo enim præſtantiſſima Monachorum, vel Fratrum inſtitutiones, ad publicam vtilitatem inſtituta in Scholis legere, in Templis concionari, peccata audire, rem ſacram celebrare, ſexcentaq. alia officia exercere poſſent, cultuiq. diuino vacare, ſi alimentorum victu, pecuniæq. cura detinẽtur, quomodo poſſunt incrementa capere, Monaſteria ædificare, Religionem numeroſam reddere, cæteraſq. ſine

pecu-

pecunia propagare. Religio, vt Lupus Ferrarienſis epiſt. 42. dicit durare non poteſt, niſi facultatum fulciatur augumento, nec propagari, & multos in Religionem accipere non poteſt, niſi ei denuò aliquid ſubminiſtretur.

At quidam primò impiè dicunt, Religiones his temporibus otioſas eſſe, ſcandaloſas, peruerſas; quare non mirum, ſi non amplius ferueat ille donandi affectus, quo primi Chriſtiani ardebant, opulentiamq. Sacerdotum luxuriam generare, & ſimilia, ad quod

Reſpondemus, otioſos Sacerdotes non eſſe, & has voces impias, & ſacrilegas eſſe, nam, vt Saluianus libr. 8. de guber. Dei, inquit, ſacrilegij, quippe genus Dei odiſſe cultores, ſicut enim ſi ſeruos noſtros quiſpiam cædat, non in ſeruorum vicem cadit, & ſi à quopiam filius verberetur, alienus in ſupplicio filij pietas paterna torquetur, ita, & cùm ſeruus Dei à quoquam læditur, Maieſtas Diuina violatur; & Anacletus Papa Epiſc. 1. dicit: Iniuria Sacerdotum ad Chriſtum pertinet, cuius vice funguntur, otium venerabile exprobant, & ita ſunt iudicij expertes, vt non videant, dum illud otium damnant, neceſſe ſit etiam manus Moſis, qui cæteris pugnantibus, Deum in monte inuocabat, damnare; damnabitis, vt inquit Anneus Robertus lib. 1. cap. 2. rerum iudicatarum otioſas, & inutiles ambas illas Moyſis palmas, quibus quieſcentibus, & demiſſis infeliciter pugnabatur. Exod. 17. continuò ad Deum eleuatis Iſraelitæ victoriam reportabant. Imperator Conſtantinus reſcribit, magis religionibus, quàm officijs, & labore corporis, vel ſudore Remp. contineri. Lupus Abbas Ferrarienſis ad Carolum Regem de Monachis ſuis reſcribens, qui indeſinenter vobis in diuerſa occupati, pro ſalute, ac proſperitate veſtra excubant, Monachos, quos Diuus Aug. de oper. ad Monac. laborioſos vocat, illi otioſos appellabunt, vt proſequitur Anneus Robertus loco citato.

Quòd autem Monachi, Fratres, & Presbyteri non modò vtiles, verum etiam neceſſarij ſint, ex eo probatur, quia certiſſimum eſt, populos Principibus, & vi, & numero potentiores eſſe: quamobrem, quando volunt, poſſunt à Principe deſciſcere, & tamen non deſiſcunt etiam duris vectigalibus impoſitis, huius cauſa Religio eſt, quæ vna eſt in Principe, & in ſubdito, quare nulla accidit rebellio, & ſi accidit ſtatim extinguitur, ratio autem, cur populi non deſiſcant, eſt religio, Presbyteri, ac Fratres, & Monachi, hi enim anima ſunt corporis, Reipub. & membra, dum eamdem habent animam a corpore deſciſcere non poſſunt.

Quare quando Principes male ſubditos tractant, religioſi cauſa ſunt, ne deſciſcant, imò cauſa ſunt feruentioris obedientiæ, idq. concioni-

cionibus, ac ſecretis confeſſionibus, eos ad benè agendum hortantur, ac animos peruerſos, ac malè coluctantes bonos reddunt, & paradiſum, ac infernum ante eorum oculos ponentes, eos adhortantur, atque perterrefaciunt, & ad Eccleſiam eos proficiſci impellentes, in quibus, dum res ſacras audiunt, dum diuinis officijs vacant, dum omnia ſacra intuentur, dum lectores, ac concionatores audiunt, dum deuotos homines inſpiciunt, ac humiles viros, futurum ſeculum credant, & hoc libentiſſimè deſerunt, & ſi iniuria afficiuntur, in Deum credunt; eumq. ſcelerum vltorem, ac præmiorum remuneratorem eſſe ſibi perſuadent. His, & alijs actibus animi ad ſequendam pietatem inflammantur; aliter Leone, ac teterrimis beſtijs eſſent peiores, cum eis nec ingenium, nec potentia, nec vis deficerent: ſola ergo religio eſt Principum conſeruatrix.

Prætereà bona Eccleſiæ ſunt omnibus Catholicis communia, quia multi Clerici illa participare poſſunt, & ſuſtentare vitam. Ingenio præditi, & bonæ indolis adoleſcentes, qui ob fortunæ incommoda ſtudia aſſequi non poſſunt, Reip. Eccleſ. beneficio in ea incumbere valēt, præſertim in monaſterijs, in quibus maximam nanciſcuntur commoditatem. Plerique verò tam nobiles, quàm plebeij fructibus, ac prouentibus canonicatuum, ac Epiſcopatuum viuunt, & ne familiæ nobilium pauperum in peius ruant, quæ Reip. corpus, ac gloria ſunt, hanc habent commoditatem pro ſecundis genitis, ac filiorum multitudine; & quia litteræ ad hos gradus præuiæ ſunt, hinc virtutis amor oritur in omnibus, hinc Cardinales, hinc ſummi Pontifices. Qua remota cōmoditate, nemo eſt, qui neſciat ſummos quoque gradus remoueri: nullus enim Cardinalis, nec Pontifex fuit ſine religione, quā non ſolū ob communem, verum etiam ob priuatam commoditatem vnuſquiſque fouere, locupletare magnoperè deberet; neque dicas ego Laicus ſum, nec vllum negotium mihi eſt cum Eccleſia, nam nati, & natorum, & propinqui, & agnati Eccleſiaſtici eſſe poſſunt, & priuatas facultates in nihilum redigere poſſunt, non autē, quæ religioni tribuuntur, cum perpetuò maneant: neque dicas ſacerdotes aliquos malos eſſe; nam hoc eſt dicere, te Chriſtum non amare, qui enim Chriſtum diligit, qualis ſit ſacerdos, ipſum quoque diliget, quoniam per eum tremenda myſteria conſecutus es, vt dicit Chryſoſt. hom. 10. in priorem ad Theſſalonicenſes, dic mihi ſi cupidus viſendi regias auro multo ſplendentes, & lapidum pretioſorum ſplendore vndique corruſcantes, inuenires eum qui claues haberet, is autem rogatus abs te confeſtim illas reſeraret, introq. te mitteret, an non illum præ omnibus honorares? an non æquè, vt oculos tuos diligeres? Sacerdos verò tibi Cœlum aperuit, & illum nec amas, nec amplecteris. ſi vxorem habes, an non eum, qui tibi eam con-

ciliauit omnium maximè amas? Itâ ſi Chriſtum amas, ſi amâs regnum cœlorum agnoſcere eos, per quos illud habes, quapropter legitur 1. Theſſ. 4. propter opus ipſorum, pacem habete cum illis.

Dicunt ſecundo, & hæretici ſunt, quaſdam religiones, vt Ieſuitarũ arte, & ingenio vaſis argenteis, & omnibus ornamentis aureis viduas, iuuenes, homines ſpoliare; non pium eſſe domos pauperum diſſipare; ſacerdotes ætate, ac morbo confectos ſedibus ſuis exigere, villas parrochorum eripere, nobiles exterminare, hæredes patrimonio priuare, cogere, vt viduæ facultates opimas relinquant; fertiles agros, ac delitias ne Laicis quidem tolerabiles emere, arte multa prædia colligere, opibus eminere. præterea nihil in illis niſi ficta frons, perpetua rapiẽdi cupiditas, ac quædam ex arrogantia autoritas, quippe qui maximos honores ſibi deberi exiſtimant, & ſicut Turca mundi monarchiam appetit, ſic, & illi religionum omnium principatum, nullas inſidias, vt ad illum perueniant intentatas relinquunt, nulli labori parcunt. Homines fallaces, & adulatores, qui ſub ſpecie religionis, ac ſanctitatis, homines noua, ac inſidioſa, & pernicioſa arte decipiunt, quippe qui vultum ad decipiendos homines, & totius corporis habitum, atque ipſam rationem ad ſimulandum, & diſſimulandum accommodatam habent; pauperes contemnunt, neminem amore, vel obſequio, niſi Reges proſequuntur, & vt expeditius rei ſuæ conducant choro carent, nec longa, nec parua, ſed nulla pſalmodia vtuntur; quare Sotus lib. 10. de iuſt. q. 5. ar. 3. dicit vix mereri nomen religionis ordinem illum, qui caret choro; lucris, & honoribus ſecularibus inhiãt, in curijs principum cũ ſcandalo verſantur, ſecularibus negotijs plus nimio incumbunt, nec exemplo Petri, qui in atrio Principis Chriſtum negauit, commouentur, ſed volunt inter homines diſparis profeſſionis agere; eorum intolerabilis arrogantia negari non poteſt, qui vt alijs ſeſe anteponant, ſuãq; ſanctimoniam iactent; adeo Chriſtiano nomine contenti non ſunt, vt a ſanctiſſimo Ieſu nomine, Ieſuitæ voluerint vulgò ſalutari; & ita in omnibus ſunt operibus fallaces, vt Gabaonitæ a multis appellantur, & monaſteria, quæ ædificant regia palatia, ac propugnacula videntur; quaſi mundus æternò eſſet duraturus; & nonnulli etiam dicunt ipſos ſuperbiæ cauſa nolle ſe fratres vocare, ſed patres, quia volunt multos ſpurios principibus generare, quos ſemper habent in vtero charitatis.

Ad hæc omnia, quæ falſiſſima ſunt, dicimus iſtam religionem a ſummis Pontificibus approbatam, ac laudatam ſine maxima Dei, ſummiq. Pontificis iniuria neminem poſſe vituperare, nam cum Paulus III. Pont. Max. inſtitutum ſocietatis breui formula comprehenſum legiſſet, vehementer illud approbauit, & in eo Spiritum Dei ineſſe teſtatus eſt, ſeq. non tenues fructus ſperare, neque exiguos, ex tã

exiguo,

exiguo, tenuiq. principio vtilitates ad Dei eccleſiam peruenturas expectare, quamobrem illam. Apoſt. ſua aut. anno 1540. approbauit. Iulius vero III. ipſam etiam formulam litteris ſuis inſeruit, recepit, & approbauit. Greg. quoque XIII. anno 1584. apertè confitetur, non immeritò fuiſſe ab anteceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus multà huic Societati conceſſa, ob egregias, ſic enim loquitur, virtutes, & dona diuinitus elargita; cum illius finis præcipuus ſit catholicæ religionis defenſio, ac propagatio, animarumq. in Chriſtiana vita, & doctrina profectus, tum etiam proprium eſſe gratiæ eius vocationis teſtantur, diuerſa orbis terrarum loca ex Rom. Pont. per Præpoſitos Generales directione peragrare, vitamq. in quauis mundi parte agere, vbi ſaluandarum ſua opera animarum copioſior prouentus ad Dei gloriam ſperetur, vt dicit Staniſlaus Reſcius in ſua ſpongia; quare illi nequaquam homines vaſis argenteis expoliant, neque ius argenteum, aè aureum in omnibus eorum contubernijs, & cœnaculis vllum aſpexiſſe, quod ereptum diceretur. Diligunt illi quidem, cum propheta decorem domus Domini, idq. ſummopere laborant, quod Paul. præcipit, vt ea, quæ Dei ſunt, omni adhibito ordine, ſummaq. fieri poteſt dignitate, & Cerimonia Deo reddantur. Inde porrò fit, vt audientium, & intuentium animi vehementius excitentur ad cultum diuinum, aureis, & argenteis ornamentis illuſtrandum, nec contigit adhuc videre neminem, qui quidpiam apud Ieſuitas inuenerit, quod ſuum dicere poſſit. Quare illa verba ſunt floſculi dicendi, loquendiq. moduli olim in Iuliani capite, & in eius ſchola meditati, qui vt falſi nihil agunt.

Frons ficta illis non eſt, ſed tota charitatis, ac amoris plena, nec vli blandiuntur, niſi ſalute hominum ducti.

Quod ad Chorũ attinet Gregorius de Valentia ſummus Theologus diſ. 10. q. 6. de diſc. religionum puncto 11. dicit, quod comparatio religionum facienda eſt, attendendo ad illa, in quibus differunt, videlicet ad finem immediatum, ad obſeruantias, ſeu exercitia, quæ vſurpant cauſa eius finis. Ex fine immediato perfectior eſt, religio deſtinata ad vitam contemplatiuam, quàm quæ ad vitam actiuam refertur, & adhuc illa perfectior, quæ non ſolum ad vitam contemplatiuam, ſed etiã ad opera ſpiritualia vitæ actiuæ ordinatur, vt ad audiendas confeſſiones, concionandum, & docendum illa, quæ quis eſt contemplatus. Hoc enim tantò melius eſt, quantò perfectius eſt illuminare, quàm lucere ſolum, ſicut rectè diſſerit Thomas ar. 6. ex parte finis immediati generatim loquendo: Religio aliqua eò erit perfectior, quò opera charitatis, vel plura, vel præſtantiora ſibi propoſuerit. Ex parte verò obſeruantiarum, & exercitiorum perfectio maior religionis ità metienda eſt, vt

illa Religio perfectior cenſeatur, quæ vtitur obſeruantijs, magis accõmodatis ad ſuum finem immediate conſequendum: Quare ſicut rectè docet S.Tho.art.6. ad 3. non ideo perfectior Religio exiſtimanda eſt, quia abſolutè loquendo vſurpet maiores corporis afflictiones, & vigilias, ſed reſpondendum eſt quàm accommodatè eiuſmodi obſeruantiæ adhibeantur ad finem religionis. Tota enim ratio mediorum æſtimanda eſt ex propoſitione ad finem.

Hinc rectè docet S.Tho.ar.7.non ideo religionem eſſe perfectiorem, quod ſtrictiorem paupertatem abſolutè ſeruet, ſed quod illã, quæ maxime confert ad finem religionis. Hinc etiã ar.8. rectè idem docet, vitæ ſolitudinem abſolutè loquendo, non pertinere ad perfectionem religionis, quin imò incipientibus periculoſam eſſe, tantumq. perfectis conuenire. Vnde in Conc. Agathenſi c.38. eiuſmodi inſtitutum vitæ tantum ijs permittitur, qui prius longo tempore ſeſe in communi vita probauerint. Et in 6.ſyn.can.41. requiritur, vt prius aliquis laudabiliter vixerit in Societate per duos annos, vel tres: Sed & Baſilius longiorem abſolutè præfert Societatem ſolitudini.

Denique ex eodem fundamento patet, religionis perfectionem minimè metiendam eſſe ex cantu, vel longa pſalmodia; nam fieri poteſt, vt eiuſmodi inſtitutum chori minimè conferat ad alicuius religionis finem, ſicut reuera non ſatis conuenit ijs religionibus, quæ ſunt ad concionandum inſtitutæ. Vnde & Caiet.art.6. aſſerit in eiuſmodi ordinibus illos ſolum debere recipi, qui ad eiuſmodi munera ſint idonei, & præterea nullos exceptis ſufficientibus miniſtris. Atque etiam D.Tho. ſupra q.91.art.7.ad 3. aſſerit cantum non cõpetere Epiſcopis, & alijs, quos miniſterijs ſpiritualibus vacare oportet; Quare cum eadem ſit ratio Religioſorum, eiuſmodi miniſterijs deputatorum, fatendum eſt in eius generis ordinibus conuenienter ſtatui poſſe, vt Officium diuinum publicè in choro non dicatur, maximè cum deceat nullos eſſe in talibus ordinibus ineptos ad miniſteria ſpiritualia. Si quando autem in aliquo ordine ſimili, chorus introductus eſt, cauſa videtur fuiſſe, vt inepti ad alia miniſteria ſpiritualia in his occuparentur, non igitur tales recipiantur, & non erit in huiuſmodi religionibus neceſſarius chorus.

At reſpõderi poſſet, quod etſi religio attendẽda ſit ex immediato fine, attamen ſicut pars eorum eſt a confeſſ., pars legit, pars miniſtrat, pars concionatur, ſic pars choro vacare deberet, vt populo ſatisfaciat.

Si in aula verſantur, id non faciunt, vt Chriſtum negent, neque vt gulæ ſatisfaciant, ſed vt animas Chriſto lucrifaciant, ipſumq. Chriſtum imitantur, quem legitur in domo cuiuſdam principis Iudæorum intraſſe, in qua hydropicum ſanauit.

Si adi-

Si ædificia illorũ palatia videntur, numerus eorũ ingens id exigit, ſi propugnacula videntur, faciunt, vt diutius durent; quare nec Principes, nec Reſpub. muros, ac propugnacula conſtruere deberent, quia, & ipſi credunt mundum non eſſe æternum; & tamen vellent, vt longiſſimo tempore durarent. Quare potius dicere debuiſſent maleuoli eorum domos eſſe cupiditatum carnificinam, flagitiorum peſtẽ, frænum furoris iuuentutis, mortem cupiditatum, & laſciuiarum omnium.

Artes eorum bonæ ſunt, non malæ, nam ſi arte iuuentutem numeroſam in ſuas ſcholas colligunt, benèfaciunt; nam nil in diſcipulis præter diſcipulos amant, quidquid docent, faciunt; æſtimari autem præceptoris magnitudo non poteſt vita, qui docet doctos facere diſcipulos, ſed magis bonos contendunt, vt inquit Reſcius ad vſum vitæ non ad conſuetudinem ſcholæ loquuntur. Nihil habent melius, quod optent, quàm vt diſcipuli Deum, & proximum diligant, & hoc ſolum auditoribus ſuis ex omnibus, quas profitentur, litteris proponendum putant, quod bonus vir faciat operam, quam præſtant, non tantum ipſis præſtant, ſed tanquam ipſis. Nemo poteſt dicere nullam habent cogitationem mei, non in ſinu meo ponit, ſed in medium proijcit verba. In turba enim multorum præcipuam de ſingulis curam habent, non tanquam publici partem, ſed tanquàm proprium cuique dantes beneficium. Laborem in docendo, & moleſtum illud tædium, quod oſcitantes diſcipuli pariunt, ſine ſupercilio deuorant, hortando, bonam indolem erigunt, laudando animum addunt, monendo deſidiã diſcutiunt, ingenium latens, & pigrum iniecta manu extrahunt, nolentibus timorem adhibent: nec ideo diſcipulis proſunt, vt proſint & ſibi, aut eos faciant vtilitatis ſuæ inſtrumenta, ſed omne laboris ſui præmium in eorum profectu ſtatuunt, ad ſuſpecta tempora occurrunt, nullum illis miniſterium oneri, mortem inertiam putant, præceptores profitentur, amicos agunt, & quod in omnibus eorum ſtudijs eximium eſt, cum ſciant paucis opus eſſe ad bonam mentem litteris, omnem ſimul ſapientiam in compendio tradunt, timere Dominum, cui omnes ſuas ſcientias dirigunt.

Si Ieſuitæ voluerint appellari, id non ambitione factum eſt, ſed tota errant via, vt inquit Io. Perellius in dialogo de catholica doctrina, qui putant homines illos, a faſtu, & oſtentatione ſemper alienos, omniq. modeſtiæ deditiſſimos, hoc ſibi nomen vnquam aſſumpſiſſe, vt Ieſuitæ nuncuparentur. Quod illis vel inuitis vulgus indidit, & loquentium conſuetudo paſſim confirmauit, fruſtra illis reclamantibus, qui inde ab initio Societatis Ieſu nomen acceperunt, etenim res ipſa poſtulabat, vt qui vnum, idemq. religioſæ vitæ inſtitutum am-

plecterentur, ſeq; totos publicis Eccleſiæ commodis procurandis addicerent, vt ſub Ieſu ducis, ac principis vexillo peculiarem militiam inſtituerent, certum aliquod nomen præ ſe ferrent, vt & ab alijs piorum, & religioſorum cœtibus diſtinguerentur. Itaq. non abs re fore viſum eſt, ſi quemadmodum cohors aliqua ſuam a Duce, & Principe appellationem mutuatur, ſic ipſi a Duce ſuo, nomen, & peterent, & acceperunt, eo nempe, quem vnum ſemper in oculis ferre, ad cuius vitam imitandam ſeſe totos componere, cuius deniqae gloriam in Eccleſia ſincerè promouere coniunctiſſimis animis maximè deſiderarent. Neque ſanè illi tam iniquos, & maleuolos vllos fore putarunt, qui probo ipſis verterent, nomen animo planè ſimplici delectum, atque ſuſceptum, quod Chriſtianis alioqui omnibus congruebat, & cui ſimilia quædam religioſarum familiarum cum Itali tum Hiſpani ſonare ſolerent, vocant enim religioſos quoſdam Ieſuatas, & pias ſocietates, ſiue congregationes nonnullas de bono Ieſu, alias ſanctiſſ. Trinitatis, quaſdam Chriſti Crucifixi. &c.

Quamobrem, qui in Ieſuitas inuehuntur ſunt furijs abrepti, fluctibus obrupti, procellis implicati, Megere facibus accenſi: indolis ſunt impuriſſimæ, animum fartum calumnijs cupiunt exonerare, mentem mendacijs pregnantem excutere, geſtu equidem ità prompti, & acuti ſunt ad omnes calumnias omnibus veſtigijs perſequendas, vt ab illis nihil aliud expectemus, vt inquit Reſcius, quàm vt affirment Ieſuitas in Paradiſo ſerpenti perſuaſiſſe Euam, vt ſeducerent, aut Pilato autores extitiſſe Chriſtum, vt in Crucem ageret; quæ eſt per Deum hæc tanta calumniandi libido, quæ lacerandæ famæ cupiditas? quod intorquendarum calumniarum deſiderium. Iam & vereri pij homines poſſunt, ne & Græcis adfuiſſe dicant Ieſuitas, cum Helenam raperent. Et equidem contra omnem iudiciorum tum ciuilium, tum Eccleſ. conſuetudinem, eos qui nec ſibi malè ſunt conſcij, nec vllius adhuc facultatis a quoquam conuicti, & ne citati quidem, & audıti fuere innocentiſſimos, vt protecti ad omnem audaciam ſicophantæ criminibus attrociſſimis accuſant ijdem, vt Iudices condemnant, vt Tyranni proſcribunt, vt Carnifices flagellant. Quis verò ſit tam emotæ mentis, & ignarus, vt in re graui ſeu viliter, & more puerorum ſtilo exercenti fidem accommodet, qui magno numero maledicendi formulas, quæ apud M. Tullium in Philip. Verrinis, & alibi leguntur in vnum quaſi faſcem, vt inquit Perellius, colligant, & in Ieſuitas immerentes effundant, nimirum, vt quos ratione, & veritate ſuperare non poſſunt, eos falſis criminationibus in vulgi ſaltem odiũ, & contemptum ſi quomodo poſſit adducant.

Verum enimvero Societatis huius homines, vt ſunt Euangelicæ philo-

philoſophiæ obſeruatiſſimi, ſimulq. modeſtiſſimi iſtorum canum notis iam ante latratibus, ac morſibus adeò non commouentur, vt etiam infelicitatis parte ponant a talibus amicis, tam blandè ſalutari, a quibus vituperari, nihil profectò ſapientum iudicio aliud eſt, quàm laudari. Nunquam illi maledicta penſant maledictis, ſed potius pro maledicis, æmulis, & iniquis criminatoribus Dominum precantur, qui mentem illis meliorem aliquando inijciat, & Saulos in Paulos diuina ſua virtute, & potentia conuertat. Et quoniam temporis parciſſimi ſunt, nullum illis otium datur ad iurgandum, ipſaq. pietatis ratio vitat, ne ad bonas horas male collocandas, aut voluntatem adferant, aut facultatem adimant. Cur verò illi tam diris vnius homuncionis probris acceptis ſeſe vel purgarent, vel defenderent, quorum virtus, & pietas toti iam orbi nota, atque teſtata eſt. Qui ſummis quibusq. principibus, & magiſtratibus iam pridem ſuum ſtudium operam, eruditionem, pietatem probauerunt? Quorum in Eccleſia functiones, & fuerunt, & ſunt plurimis vbique gentium mortalibus ſalutares: qui huius vitæ illecebris, & prauis animi cupiditatibus prorſus Nuncium remittentes religioſæ ſanctimoniæ, & perpetuæ morum honeſtati, atque integritati ſe ſe conſecrarunt, qui ad extremos in Eccleſia Chriſti ſuſtinendos exãthlantosq. labores, quocunquè a ſuis maioribus mittantur, ſemper accincti, & expediti ſunt, qui ſine quæſtu, & emolumento gratis diuinas; & humanas litteras interpretantur, & in iuuentute ad omnem doctrinæ, & chriſtianæ probitatis excellentiam conformanda, & inſtituenda maximas quasque, & incredibiles moleſtias ſubeunt, imò contemnunt; quorum in Euangelio prædicando ſtudium, ac diligentia tot Ethnicorum myriadas in Orbe nouo ſuperioribus annis ad Chriſtum, & Eccleſiam adiunxit, quorum patientiam, & barbarorum furor, & Hæreticorum crudelitas ſic exercet, ac probat, vt ſuam de Eccleſia benè merendi voluntatem, & officium ipſa vitæ huius deſpicientia; & ſanguinis profuſione ſubinde teſtari debeant, quorum vitæ ſanctimoniam, & doctrinæ ſinceritatem multis, & illuſtribus ſæpe miraculis Diuina Bonitas illuſtrauit, quorum denique eximia literarum doctrina, & in omni diſciplinarum genere præſtantia tanta eſt, vt niſi ab ea hæretici magnopere ſibi metuerent, non tantis viribus, & machinis hoc vnum ſodalitium oppugnarent.

Satis reſponſum videtur ijs, qui Religiones contemnunt, ac illudunt, quiq. ea inuenerũt, quibus iniuria Dei, ac Eccleſiæ locupletẽtur, apud quos plus pecuniæ cupiditas, quàm Dei cultus, ac timor poteſt; cum enim peccandi liberam habeant conſuetudinem, deuorare pauperum, vel Eccleſiæ pecuniam non dubitant, & cupiditate inflammati

non ſolum in auaritia ſua viam queſtus illicitam inueniunt, verum etiam exitum, ac rationem defenſionis inſtituunt, belli, ac armorum neceſſitate aliqui prætextu, intolerandam licentiam, ac inexplebilem auaritiam obtegunt, ius naturæ confundunt, legari quidpiam piæ cauſa vetant, vel exitum, vel emptionem bonorum Eccleſ. impediũt, & tamen ſemper ſub Chriſtianis Principibus Eccleſiæ bona augeri, & prouentus Eccleſiaſticos emptionibus, ac acquiſitionibus multiplicari ſemper non modo licitum, ſed honeſtum fuit. Prædij autem Eccleſ. immunitatum priuilegia auferri, & reſcindi adeò indignum foret, quod ne barbari quidem infideles, & pagani ſacerdotibus ſuis, & ſacro patrimonio exemptiones, priuilegia, & immunitates inuidioſè denegauerint. Apud Aegyptios ſacerdotum agros immunes fuiſſe legimus apud Herodotum lib.2. Non permiſit Artaxerſes, vt quis vllum Leuitico ordini tributum imponeret. Eſdras lib.1.cap.7. edixit Romulus, vt ſacerdotes a militaribus officijs, cæterisq. muneribus, & præſtationibus publicis immunes, & liberi eſſent, vt inquit Halicarnaſ. lib.2. Coi cum tributorum immunitatem ab Imperatore Claudio peterent, inſulam ſuam Aeſculapij veneratione præcipue commendarunt. Ac refert Tacit. lib.12. Claudium hoc potiſſimum reſpectu voluiſſe, vt omni tributo vacui Coi ſacram, & tanti Dei miniſtram inſulam colerent. Druydes in Gallia, vt refert Cæſar lib.6. com. omniũ munerum, ac tributorum vacationem, & immunitatem habuerunt. Eandem ſequentes Imperij ratam eſſe voluerunt: Itaq. Clericis, & Religioſis immunitatem inuidere, quàm Ethnicis ſacerdotibus ſuis nunquam denegarunt, impium eſſet ingratum, ac iniurioſum, vt inquit Anneus Robertus lib.2. rerum iudicat. cap.2. Nam & Conſtantinus conſtitutionum Romanarum libri, & ſacri Canones, & Pontificum decretales Epiſtolæ habent frequentes de immunitate Eccleſiarum.

Quare qui non cognoſcit illos, qui Eccleſiaſtica doni ſpecie rapiunt, vel legata, & emptiones impediunt, eſſe principatu indignos, teſtatoris voluntatem, quæ apud omnes iuris peritos eſt lex, floci pendentes, nec pudet pietatem violare, nam veniens contra voluntatem teſtatoris, vt inquit Baldus in tract. de dote, in princ. 5. par. dicitur iura pietatis violare, etiamſi hominis voluntas tendat contra fauorem libertatis: quare ſeruari debet, nam vt Scholaſticus Poeta in verſibus, quos de ſtrigibus Aeneide ſub Octauij Auguſti nomine ſcripſit.

Sed legum eſt ſeruanda fides, ſupremaq. voluntas,
Quod mandat, fieriq. iubet parere.

Et Seneca lib.3. contro. Agitur de iure teſtamentorum, quorum interit omnis poteſtas, ſi viui neglexerint Imperia mortuorum, nec me-

diocri

dioeri vtique ratione, quemadmodum ſcitè Quintilianus declam. 308. docet moribus, & legibus comparatum fuit, vt quoties fieri poſſet, defunctorum teſtamentis ſtaretur. Neque enim aliud (inquit ille) videtur ſolatium mortis, quam voluntas vltra mortem: Alioquin poteſt graue videre, etiam ipſum patrimonium, ſi non integram legem habet. Et cum omne ius nobis permittatur viuentibus, cur aufertur morientibus? Quamobrem ſi tu tributa a Clericis exiges, ſi emptionem impediueris; ſi legata irrita feceris, ſi Eccleſiam veneratus non fueris, ſi Sacerdotes iniuria, vel damno affeceris, ſi volueris res Dei tollere, Deus regnum tuum velocius tollet, nam vt refert Greg. Turonenſis lib. 4. Clotharus Rex indixerat, vt omnes Eccleſia regni ſui tertiam partem fructuum fiſco exoluerent, quod licet inuiti cum omnes Epiſcopi conſenſiſſent, atque ſubſcripſiſſent, viriliter Beatus Incurioſus reſpiciens ſubſcribere dedignatus eſt, dicens Clothario, ſi volueris res Dei tollere, Deus regnum tuum velociter auferet, quia iniquum eſt, vt pauperes, quos tuo deberes alere horreo, ab eorum ſtipe tua horrea repleantur, qui enim ſacerdotes tangit, pupillam oculi Dei tangit, vt habetur Zach. 2. quare venerandi ſunt, ac obſeruandi ſacerdotes, non autem extorquendi, non fraude decipiendi, non ignominia afficiendi, vt tua pareant voluntati. Quaſi vaccæ laſciuentes declinarunt, & dilexerunt afferre ignominiam protectoribus ſuis loquitur Oſeas 4. & qui ſacerdotes carcerare conantur, vel qui Domino rectè ſacrificant, indubitanter perſequuntur, & dilaniant, cuius vicem funguntur, vt ait Dominus per Iobel. prop. cap. 3. nunquid vltionem reddidiſtis mihi, & ſi vlciſcimini vos contra me cito velociter reddam viciſſitudinem vobis ſuper caput veſtrum, nam ſi modo quiſquam oculos Principis ſeculi erueret, quid de illo eſſet, ſi pro ſeculi poteſtatibus, talia ab hominibus fiunt, quid pro his fieri putatis inquit Alex. epiſt. 1. de ſacerdotibus non vexandis, de quibus Dominus ait, qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.

Super ea verba, ea ſola ſpecies adulandi ſupererat dubitari poteſt.

Vtrum aſſentatio aulica cauſa ſit Tyrannidis.

DVbium non eſt, quòd omnium nocentiſſima beſtia ſit aſſentatio, maximè in aula Principis, nam vt fulmen ſæpè diffringit illaſa cute, ità aſſentatio Regum præcordia vulnerat, vt inquit quidam ſub ſpecie amicitiæ. Aſſentatio enim dulciſſimam vocem Hyenis, & vora-

*voraciſſimum ventrem Charybdis habet ; blanda eſt, & tamen aſpe-
ra, dulcis, & tamen amara, candida, & tamen nigra , quid multis ?
facie humana eſt,& tamen vipera . Ariſt. aſſentatores Tyrannorum
comites eſſe affirmat, illoſq. cauſas eſſe, cur pro ratione, libido,pro le-
ge, voluntas , pro inſtitutis , maiorum placita , & decreta populi do-
minentur . quidam probat hæc monſtra eſſe ipſas calamitates,& peſtes
Rerump. in quibus admittuntur natura aſſentatoris , qui eſt ſpecie
amicus, hoſtis verò animo, totus diſſimulator,& inſidiator vitæ,quòd
ſi ità ſit non aliter, quàm ignis omnes, quibus cum agit , in ſuam na-
naturam conuertere, & transferre nititur . At ſi Reges,viroſq. prin-
cipes, apud quos maximè viuit, & verſatur ſemel inficiat,periculum
eſt , ne ipſi diſſimulatores fiant , rationiſq. imperio relicto paſſiones
animi, ac affectus aſſequantur, & quid aliud eſt , quàm ſecundum
affectum regere,quàm Regnum in tyrannidem commutare: Verum
tamen ſi lactantia vbera aſſentantium viri primarij ſuxerint,veluti
aſpidum aculeis vti ſtatim in lethargum, & alium ſoporem incidunt,
in vallo phantaſmatum perpetuò ſomniant , qui ſint , & vnde oriun-
tur obliuioni tradunt , indulgent affectibus , contemnunt leges ciues ,
corrumpunt Ciuitatem, fallunt toti Tyranni,& crudeles fiunt : qua-
re inſidioſa eſt aſſentatorum vita , eòq. tendunt , vt oculi principum
primo cæcutiant, & effodiantur , quo facto principes primum ad phi-
lautitiam,& amorem ſui,tum ad contemptum,& odium aliorū ruant;
hinc fraus , perfidia , imperioſa voluntas , velox appetitio vindictæ ,
abrogatio legum, aliaq. ſexcenta mala in Ciuitatem fluunt , quæ po-
tius tyrannidem, quàm pacatum Reip. ſtatum , & adminiſtrationē
arguunt , & repræſentant , quare rectè Elyſius Calentius quadam
epiſtola principem quendam hortatur , vt has peſtes abijciat his
verbis .*

*Paraſitos iſtos, & quos tu recipis nebulones , quanti æſtimes non
intelligo, eos te amare iudicas, qui te cœnandi gratia laudant, erras,ſi
tales putas amicos, qui de te aliter Domi, aliter foris ſentiunt . Iſtic
ſi ſapientiam tuam admirantur,illic dementiam tuam rident,qui tam
facilè omnia credas ; Genus hominum peſſimum , & latenti profectò
aſpidi ſimile . Amicos tibi exiſtimato , qui te errare poße, ac conſilio
egere dixerunt , qui aßentatores amouerint , rei tuæ ſeruandæ inten-
ti te amarunt , paruerint interdum, obiurgarint , quòd ſi ſecus accè-
perit, illud in te rectè dici poterit, obſequium amicos, veritas odium
parit; peſſimè conſulere iſtos video, quos tu diligis adoleſcentes, dum
ſtudia litterarum deſerenda, libidines verò, conuiuia, venatus, cæte-
raq. eiuſmodi animi oblectamenta molliter ante oculos ponunt . Non
conuenire aiunt Regibus ſtudia humanitatis , quæ fabulas vocant ,*

hiſtrio-

hiſtriones autem, & meretrices habere ad voluptatem conuenire, iudices, ac Sophiſtas diſcere litteras oportere, non Reges, qui cum Imperio nati ſunt. Improba quidem vox, & nequaquàm libero homine digna; quis Regem negat ſapere oportere, niſi Regem non eſſe eum debere profiteatur, ſapientia ne? an ſtultitia? & ignauia populos ſic regendos putant. Iudices habendos eſſe dixerint, qui regimen conſultant. Illud eſt dicere canes habendos eſſe, qui cæcum ducant, qui ſi non recta proficiſcatur via, præcipitem Comitem trahant: Tutius ne eſſe exiſtimant aliorum iudicio, quàm ex ſententia viuere, longè profectò errant, tu quoque longius Hiarea, ſi tales auſcultaueris. Regem te eſſe vis, diſce prius, quid ſit, quod Regem agere oporteat, & in primis ſapientiæ ſtudia, & humanitatem cole, Philoſophos ſectare, poetas delectare, leges ſcito, quæ tibi oculos faciant, & quò profecturus ſis largius oſtendant viam. Hoc maximoperè noſtrates Principes conſiderare deberent, his calamitoſis temporibus, in quibus tanta eſt adulationis peſtes, vt quicquid Reges delirent, ac Principes ex iſtorum maximè lenocinio oriatur, vt inquit Lucius Vitruuius Roſcius; quod animaduertens Antiſthenes Athenienſis ſatius eſſe dicebat, cùm neceſſitas vrgeret, in Coruos, quàm in aſſentatores incidere, quòd illi mortuos, hi viuentes deuorent. Deſertos enim aiebat Crates Thebanus, qui cum aſſentatoribus eſſent, non ſecus ac vitulos, cùm inter Lupos ſunt. Iſocrates ſic admonebat Nicoclem: Da libertatem benè ſentientibus, vt habeas autores, & comprobatores eorum, de quibus ambiges, conſidera illos, qui bona mente obſequuntur, ne mali plus habeas, quàm boni. Idem Dom. cùm ſic hortabatur: odio tibi ſint adulatores, tamquàm deceptores; ambo enim iniuria illos afficiunt, qui faciles aures patefaciunt. Caue, dicebat Solon: ſingulos obſerua, ne fortè odium in corde tegant, dum blanda, ex accidenti facetè alloquuntur, duplaq; illis lingua ex mente ſonat: adulationes indecoras pellendas eſſe dicebat Auguſtus. Aſſentatio (inquit Cicero) minimè nocere poteſt, niſi ei, qui eam accipit, atque delectatur. Scribit D. Hieronymus: Adulatores, & inimicos caue, quorum ſermones ſuper oleum molles, & ipſi ſunt, corrumpunt fictis laudibus animas leues, & malè credulas mentibus blandum vulnus infigunt. Creuit hoc in noſtra ætate vitium, & in vltimo ſine ſtetit, nec augeri poteſt, in hanc omnes nos ſcholam, ſtudiumq; dedimus, vt officium putemus illudere, quodq. ipſi ab alijs libenter accipimus, id alijs quaſi quoddam munus offerimus, & ſpe recipiendæ laudis eos, à quibus laudari volumus, ante adulamus: ſæpè adulantium reſiſtimus verbis ad faciem, & in ſecreto mentis fouemus, maximumq. fructum cœpiſſe nos dicimus; ſi vel fictis laudibus prædicamur, nec cogitamus,

tamus, quid ipſi ſumus, ſed quid alijs videmur; Vnde eò producta res eſt, vt neglecta veritate meriti, de ſola opinione curemus. Qui teſtimonium vitæ noſtræ non à conſcientia noſtra petimus, ſed à fama. Beata mens eſt, quæ perfectè hoc vitium vicit, nec adulatur aliquando, nec adulare credit, quæ nec decipit alterum, nec ipſa decipitur. Hæc ille. Omnis dubio procul adulatio, omnis aſſentatio pellenda eſt, quæ eſt vitiorum adiutrix, & non modò amico, ſed ne libera quidem eſt digna. Sunt adulatores ad decipiendum calidiſſimi, ideò Iſaias 3. populum admonebat, vt eos fugeret, popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt. Prou. 10. Fili mi ſi te lactauerunt peccatores, ne acquieſcas eis. Ierem. In ore ſuo pacem loquitur cum ſuo amico, & occultè ponit ei inſidias. Ideò Hieronymus ad Celantiam: piloſos, & palpantes adulatores quaſi hoſtes fuge, nam nihil eſt, quod tam facilè corrumpat mentes hominum, ſicut adulatio, adulator enim, vt inquit Gregorius, ſcorpio eſt, qui palpitando incedit, ſed cauda ferit; & Hugo de Sancto Victore adulator amicus in obſequio, hoſtis in animo, comptus, in verbo, turpis, in facto, latus, ad proſpera, fragilis, ad aduerſa, inflatus, ad obſequia, anxius, ad opprobria, immoderatus, ad grandia, facilis, ad humana, difficilis, ad honeſta. Huius peſtis peſtilentia percutiunt Principum laterales palatini Canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falſitatis. Hi ſunt, vt inquit Alanus de complanctu naturæ, qui magniloqua commendationis tuba in diuitum auribus citharizant, qui medica adulationis fauos foras eructant, qui vt emungant munera, caput diuitis oleo adulationis mungunt, prælatorum auribus puluinaria laudum ſubijciunt, qui ab eorum pallijs, aut fictiam puluerem excutiunt, aut veſtem fictitiè deplumant inplumem, qui à voluntate vultum, ab animo verbum, à mente linguam, ab intellectu loquellam amplo diſſenſionis interuallo diffibulant. Plerumque enim exterius plauſibiliter applaudendo collaudant, quos interius contradictoria deriſione defraudant; foris vultu apparent virgineo, intus Scorpionis pungunt aculeo, foris adulationis mellitos compluunt imbres, intus detractationis euomunt tempeſtates, & vt vmbra quicquid agas reſpondet, & adeſt, ſic adulator quoquò te vertas ſequitur. Quamobrem Principes adulatoribus non credant, nam quemadmodum ſplendet Luna ſine feruore, modò plena, modo exigua, modo nulla videtur, mutatum ſiquidem lumen numquàm in eodem ſtatu permanet, ſed creſcit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus comparet, ſic qui conſcientias ſuas in alienis labijs poſuerunt, modò magni, modò parui ſunt, modò nulli, ſecundùm quod adulatorum linguis vel vituperare, vel laudare placuerit. Veriſſimè Seneca libro quarto q. nat. adulatoribus aures

ne

ne præbeas, artiſices ſunt ad captandos ſuperiores, illis etiam ſi benè caueris, par non eris, ſed mihi crede proditioni ſi caperis, ipſe te trades.

Hanc adulationis peſtem, perpetuum principum malum, proximis ſeculis primus, qui in Italia aluerit . . . . . fuit, vt dicitur; Petri Gonuellæ iocis delectatus, eòq. venit impuriſſimus vſus, vt iam non ſolùm voluptati, ſed ambitioni res hæc Principibus exiſtat; ò quàm rectè illi putant, non fidem merere eam laudem, qua quis alium ſui commodi gratia proſequitur; nihil enim boni in adulatoribus eſt; Nam quemadmodum meretrices bona omnia præter mentem, & prudentiam ſuis amatoribus precantur, eodem modò adulatores ijs, cum quibus agunt, vt inquit Anthiſtenes apud Stobæum; & ſicut Chamæleon omnem imitatur colorem, præterquàm album, ſic adulator in turpibus nihil non imitatur, ſolùm quod honeſtum imitari non poteſt, vt ait Plinius lib. 8. cap. 83. & quod oleum eſt muſcis, formicis, ferèq. reliquis inſectis, ideſt adulatio ſtultis Principibus, ſic aſſentatione, & obſequio palponum in exitium trahuntur, ipſi trahunt Rempub. vt idem dicit, & non ſolùm humano generi, ſed & ipſi ſuo eſt inimicus, vt ait Caſtellanus, imò hoſtis; veritatem enim oppugnat, eiq. fucum facit, offundens tenebras oculis imperitorum; omnium pernicioſiſſimus is eſt adulator, qui Regibus aſſidet, illum enim corrumpendo vniuerſum pœnè regnum perdit. Quare Princeps rectiſſimè veritatem cognoſcat, & iſtos paraſitos miſſos faciat, nam ſi aures præbebit, illecebris ineſcatus, apud eos manere cogetur, ſed ſi omnes mendaces perſuaſiones bona fide coarguantur, vt inquit Philo Iud. in lib. quis rerum diuinarum ſit hæres, & ad hoſtimentum peccata compleantur, continuato curſu fugiemus, & oram ſoluentem nauigabimus à regione mendaciorum, ac ſophiſmatum ad veritatis ſtationes, portusq. tutiſſimos. Impoſſibile enim eſt auerſari, odiſſe, deſerere mendacia probabilia rationibus veriſimilibus, niſi detegatur ad plenum eorum iniquitas, quæ tum dimum apparebit, ſi diligenter cum veritate conferatur; quare cautiſſimè caueant, nam aliqui Reges, quamuis ſe flagitio omni contaminent, rectè tamen iudicant, nec eſſe quidquam honeſtate præclarius, neque Regis amplitudine magnificentius, itaque ſtatuunt virtutem; atque grauitatem eſſe Regibus ſummoperè retinendam. Hunc igitur naturæ ſenſum, vt inquit Oſorius, quo Reges potuiſſent è flagitijs emergere, & ad ſtudium honeſtatis, & grauitatis applicari, non extingunt quidem adulatores; nec enim poſſunt, ſed illo ad multò maius flagitium, atque leuitatis dedecus abutuntur, id enim perficiunt, vt, quamuis Reges ſint omnibus ſceleribus aſtricti, & propter animi leuitatem contempti, & abie-

obiecti, nihil tamen ſibi deeſſe putent, nec ad honeſtatis elegantiam, nec ad honeſtatis magnitudinem; quantùm enim ad honeſtatis opinionem attinet, flagitijs, quibus homines ſcelerati Principes deditos eſſe vident, virtutum nomina imponunt, temeritatem enim appellant fortitudinem, ignauiam, ac timiditatem, prudentiam nominant; & ſi Rex crudelis extiterit, eam crudelitatem, ſeueritatem ſalutarem eſſe dicunt: Si verò fuerit in animaduertendo diſſolutus, eam negligentiam, & timidatem clementiam eſſe prædicant, immortali laude celebrandam; ſi Regni opes temerè profundit, magnificum, ſi pecuniã magno ſtudio coegerit, ſapientem vocant, ſic etiam ſi bibit liberalius, hilarem, atque feſtiuum, ſi ludit intemperantius, vrbanum, ſi ſe abijcit moderatum, ſi effertur inſolentius, magnanimum eſſe confirmant. Hac igitur ratione, dum hæc, & alia flagitia virtutum nominibus ornant, id aſſequuntur, at quamuis Reges ſint omni flagitio corrupti ſibi tamen ſummam honeſtatem augent, & in magnitudine falſi decoris inſoleſcunt. In grauitate verò conſtituenda, quibus rationibus vtuntur, illi ceota ſunt, qui grauitatem, & autoritatem ex prudentiæ magnitudine, & ex virtutis conſtantia, & ex iuſtitiæ ſplendore, ſed ex ſuperbia, & inhumanitate petendam exiſtiment. Summo igitur ſtudio cauent, ne Rex omnibus ſuis conueniendi poteſtatem faciat, ne benignè homines appellet, ne cum populo loquatur, neue quidquam populare habeat, ſed vultum ſibi ſeuerum, grauem, & mutum denique fingat, ſeq. quaſi per ſignum dedicatum domi contineat, quod certis tantum diebus ſit in aperto, ac propatulo collocandum. Ad illam verò ſuperſtitionem, cum qua Reges adiri ſolent, cupiunt ſemper aliquid adijcere, quo Regis nomen diuinius eſſe videtur, vt cùm homines Regem aſpexerint, non ſe populi moderatorem, atque patriæ parentem, ſed numen cælo delapſum intueri putent, ad cuius aſpectum commoueantur animo, & toto corpore contremiſcunt. Hac igitur ſuperſtitione plerique homines imbuti, non laborant, vt Reges debito amore, & pietate proſequantur, ſed vt apertè, atque concinnè ſeſe ad illorum pedes abijciant, & illorum manus, quoties illis verbum ſolito benignius excidit, oſculentur, & vt ſibi ſint propitij tam ſuppliciter, atque demiſſè poſtulent, vt non cum Principibus; ſed cum ipſo Deo loqui videantur, quæ quidem res eò prouexit ipſorum Regum amentiam, vt ſe Deos exiſtimarent. Obſeruant etiam quod Poeta dicit.

Si cupis autem
Delectare aliquem, verbis laudato decenter
Ipſum, resq. ſuas, vel ſi quid geſſerit vnquam,
Egregiè ne te pigeat laudando probare.

Nam

Nam ſapiens neque,ac ſtultus laudarier optat,
Interdum lepidis, riſumq. mouentibus, aures
Mulceto dictis,referendo; ſi qua iocoſa eſt
Fabula,vel ſi qua eſt vetus,aut noua digna relatu
Hiſtoria,& demum,ſi quid ſcis poſſe placere,
Non contradicas, immò aſſentire loquenti
Sint non vera licet; quod ſi pudet illa fateri,
Tu ſaltem taceas; Nam diſſimulare tacendo
Maxima plerunque eſt prudentia, vt verè neſcit
Vt benè vulgus ait,qui neſcit diſſimulare,
Nunquam mihi crede,nocet defendere verum
Temporis,atque loci proinde eſt ſeruanda, hominumq.
Conditio ſemper,ne quid te lædere poſſit, &c.

Et quod Terentius ait.

Iſtud nimirum eſſe ſapere,qui vbicunque opus ſit
animum poſſis flectere.

Aulicum quemdam in ſpeculo vitæ aulicæ libro primo, capite quinto ſub finem introducit per fabellam Hartam Scopperus de ſeipſo gloriantem.

Quodcumque Princeps expetit,
Meusq. mandat conſulo,
Quamuis id Vrbes perderet,
Aut Ciuium concordiam,
Et omnium Reſpublicas:
Partem,vel omnes rideo.

Similem Terentiano iſti in Eunucho dicenti.

Eſt genus hominum,qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt,tamẽ hos cõſector,hiſce ego nõ paro me,vt rideant;
Sed his vltra arrideo,& eorum ingenia admiror ſimul.
Quicquid dicunt laudo,id rurſum ſi negant, laudo, id quoque
Negat quis,nego,ait,aio, poſtremò imperaui egomet mihi
Omnia aſſentari,is quæſtus nunc eſt multò vberrimus.

Ratio cur hunc amant quæſtum,dicit Antiphanes his verbis,nulla ars eſt, aut eſſe poteſt iucundior, aut prouentus alius,quàm adulandi induſtria, pictor labores duros, ac amaros tolerat, agricola rurſum in quantis periculis verſatur omnibus præſtò eſt ſolicitudo,& labor,nobis vero cum riſu, & delicijs tranſigitur, non enim maximum opus eſt iocari, dulce ridere,cauillari cum aliquo,ebibere multum,non ſuaue eſt mihi quidem; ac poſt diuitias 2. locumtenen. benignitatem facilè oſtendit,ſubſequitur, & obſequitur, cunctos honorat, vniuerſis inclinat,frequentat curias, & aulas viſitat optimates, multa fert no-

na,

ua, aures mulcet, adſurgit, & amplexatur, applaudit, & adulatur. Promptus, & feruidus, vbi placere cognouit; remiſſus, & tepidus, vbi putauerit diſplicere, vt inquit Innocentius Tertius de contemptu mundi cap. 25. cap. 26. res minimas adulator non tangit. Nam quemadmodum pediculi diſcedunt à morientibus, & corpora relinquunt, cùm primum ſanguis extinctus fuerit, quo nutriri ſolent, ſic aſſentatores res aridas, ac frigidas minimè tangunt, nobilibus, ac potentibus imminent, hisq. aluntur, ſed ijdem commutatis rebus ſtatim aduolant, vt loquitur Plutarchus lib. de diſcrim. adul. & amici rectiſſimè præcipit Pictorius illo epigrammate.

Accipitres vbi vidit Anas, & aprica Phileni
Cerua Canes properæ dant ſua terga fugæ.
Sic velut hoſtileis fuge dulcia verba ſagittas
Mollis adulator non minus hoſte ferit.

Verba enim adulatoris nihil prudentiæ, nihil ſobrietati addunt, vt inquit Plutarchus, quemadmodum ſunt cibi nonnulli, qui neque ſanguinem iuuant, neque ſpiritibus, neque neruis, aut medullis vim aliquam addunt. Sed pudenda tantum permouent, aluum tumefaciunt, & carnem gignunt ſubputrem, ac flauidam; ſic aſſentatoris oratio, nihil addit ſobrietati, nihil prudentiæ, ſed aut quadam amoris delectatione delinire, aut ſtultam iracundiam, aut inuidiam irritare, aut moleſtum, & inanem animi faſtum inducere, aut in dolore collacbrimari, aut morum difficultatem, & illiberalitatem, ac pertinaciam ſemper delationibus turbulentam; ac ſuſpicantem reddere, nō ignorabit, quiſque animaduerterit bonis eiectis, exules nobilibus, & generoſis ingenijs inſidiantur, neque hæc ſolùm perdunt, verùm etiā magnas ſæpè familias, Dynarchias amplas, florida Regna, potentiſſima Imperia labefactant, deſtruunt, euertunt, & hoc ita tectè, aſtutè, occultè, callidè faciunt, vt eſſe viri boni, amici fidi, ſocij eandi, & ſinceri videantur, non niſi damno iam accepto agnoſcantur, vt inquit quidam.

Conclamant Patres; corpus ad rogum Senatorum ferendum; &c.

Super illa verba ius apud Ciues dicendum erit.

De Iuſtitia.

PRincipes iuſtitiam facere iure diuino tenentur. Pſal. 71. Iudica populum tuum in iuſtitia tua, & pauperes tuos in iudicio. ibid. Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis. Legimus Saul Regem reprehenſum, & contraxiſſe offenſam, quia non exercuit iuſtitiam, & non ſolum ſunt iuſſi iuſtitiam miniſtrare, ſed etiam non eſſe partiales, & ſine perſonarum acceptione. Vnde legitur Deut. 13. Si frater tuus, & amicus tuus, & vxor tua, quæ in ſinu tuo dormiuit deprauare voluerit veritatem, ſit manus tua ſuper eos, & effundes ſanguinem ipſorum, & vt melius iuſtitiam antiquitus poſſent iuſtitiæ adminiſtratores adminiſtrare, querelas populi tabernaculum Dei ingredientes ad Dominum referebant, vt ſecundum illius Imperium iudicarent. Exod. 32. Maledictus, qui prauertit iudicium aduenæ, pupilli, & viduæ, & qui iuſtificat impiũ, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterq. apud Deum. Audite ergo Reges terræ, & intelligite, diſcite iudices terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placete vobis in turbis nationum, quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Sap. 6. Quoniam conuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fructum iuſtitiæ in abſynthium, qui lætamini in nihili, ecce ego ſuſcitabo ſuper vos domus Iſrael dicit Dominus exercituum gentem, & conteret vos. Eſa. 5. Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longè venientis, ad cuius confugietis auxilium. 10. Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſtum 61.

Item in nouo teſtamento, Chriſtus Rex ſuper omnes Reges, volens qualis erat iuſtum ſe oſtendere, & iuſtitiam facere legitur. Matth. 22. Dixiſſe interrogantibus Iudæis, ſi eſſet licitum dare tributum Cæſari, reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo, & legitur Chriſtum dixiſſe, niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquã Scribarum, & Phariſæorum non intrabitis in Regnum cœlorum. Matt. 5. Dans in exemplum Principibus, vt inquit Petrus Bullega in ſpeculo

Principis rubrica 11. de propoſitione grauaminum coram Principe quòd vbi iuſtitia obfuſcatur per Scribas, & Phariſæos, id eſt per malos Iudices, Regna euertantur, & certè ſi Princeps rectum iudiciũ, & iuſtitiam non ſeruauerit, a Deo redarguetur; vnde legimus Ioan. 16. Arguet mundum de peccato, de iudicio, & de iuſtitia; & noua lege æquâ lance iudicandum eſt, ſicut antiqua lege; vnde ſcriptum reperiemus itâ magnum iudicabis, vt paruum, & non erit apud te acceptio perſonarum. Deut. cap. 1.

Quamobrem Princeps, & illorum officiales, vt dicit Camillus Borellus in add. ſpec. princip. debent, ſicut eorum poteſtas a Domino Deo eſt, itâ grato animo illa vti, vt ad ipſorum exemplum cæteri diſcerent; principum namq. vita, vt Plinius nepos in Traiani Cæſaris panegyrico aſtruit cenſura eſt, eaq. perpetua ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur. Ipſi ſurda aure ſerpentum more fingunt longius ire, & ne videantur eorum opera praua officiales eligunt, qui poſtergatis penitus legum, Canonumq. placitis, nihil aliud ſtudent, niſi vt Domino placeant, ob quod laxatis penitus voluntatis habenis in miſeros ſubditos infeliciter ſæuiunt, ipſosq. bonis ſpoliant, vt dominos ditent, ac veſtiant, ipſosq. excoriant, & ad ſanguinis vſque, ac animæ deliquium emiſſionem totalem reducunt. O miſeri, o terque, quaterque miſeri, & infœlices, cum vna ſimul ante Dei tribunal exactam reddent geſtorum rationem vſque ad vltimum quadrantem. Ignorat Borellus, cui potius infœlicitatem hanc tribuat, an officiali talia gerenti, vel domino potius non reluctanti. De his dici poteſt, quod cæcus cæcum ducit, & ambo in foueam cadunt, & equidem indigna, & infamis res eſt hominem nobiliſſimum munus corrumpere, præfectura enim, atque iudicandi munus, quàm neceſſarium vitæ humanæ, quàm excellens, quàm præclarum ſit exercitium, & a cunctis mortalibus honori habitum nemo eſt, qui neſciat, niſi qui legibus reijci recuſat, aut alienis iacturis ditari peroptat, vt inquit Rodericus Zamorenſis in ſpecul. vitæ humanæ lib. 1. cap. 13. Quare non debent fieri Iudices homines, niſi virtute valeant rumpere iniquitatem. Eccleſiaſt. 7. Nam & multa onera, & labores, & incommoda, & pericula illos concomitantur, ſed præſertim quæ Rodericus ponit primum periculum ex eo maximè imminet, quia plerunque ex cauſarum multitudine defectus accidit ſolicitæ diſcurſionis, quod vtique periculum cauens beatus Iob. 29. dicebat cauſam, quam neſciebam, diligentiſſime inueſtigabam. Super quo Gregorius, ad proferendas ſententias videamus, ne vnquam præcipites ſimus, ne temerè indiſcuſſa iudicemus, & quælibet audita mala ſtatim moueant.

Secun-

Secundum Iudicis periculum ſequitur, affectus a iud. & inordinata paſſio, quæ tanto certius ab eo committuntur, quantò difficilius ab eo ſuperantur. Vnde Aug. quaſi pro quodam miraculo narrat Appium collegam ſuum nullo affectu, odio, timore atque præmio iuſtitiam ſubuertiſſe.

Tertium Iudicis periculum paratur ex obliqua intentione, aut iniuſto animo. Vnde ſcriptum eſt, quod iuſtum eſt, iuſtè exequaris, quaſi dicere velit, non eſt ſatis Iudici iuſta decernere, ſed neceſſe eſt, ſi periculum vitare cupit, vt iuſtè iuſta decernat, ideſt recto animo agat ea, quæ leges iubent.

Quartum periculum, Iudicis continuè tentat donorum, videlicet, & munerum cupiditas. Quis enim ille eſt, de quo verè dicere poſſimus, qui diſcutit manus ſuas ab omni munere in excelſis habitabit. Ea ſiquidem pericula tantò Iudicibus promptiora ſunt, quantò facilius euitantur. Vnde Iſidorus multi tribunal aſcendunt, ſed raro Iudices inueniuntur, qui populos legum moderamine regant, & ſi vetera ad hoc vitandum periculum perſuaſioni deſint, illud Petrarchæ occurrebat, quia Iudex ipſe populorum honorato quodam exilio damnatur, dum otium domeſticum, cum externa ſollicitudine permutatur. Amara certè, & turbida iudicum ſors eſt. Habent enim domum non modo muneribus apertam, ſed & litibus ſilentio vacuam, querimonijs plenam, iniurijsq. refertam. Quicquid languidum, quicquid ægrotum in prouincia, ſeu Ciuitatis viſceribus latet, totum ſibi tractandum, curandumquè reſeruatur. Vnde Plautus durum admodum opus dicebat multos corrigere, quia ſeſe corrigunt pauciſſimi. Adde illud Plutarchi præclarum exemplum, qui cum Iudex eligeretur, renuit dicens, quare ſic iudicabo, quaſi ſtatim ab alijs iudicandus. Nec modo ab hominibus iudex ipſe iudicatur, quippe in quem totius populi oculi vertuntur, ſed durius a Deo ſummo omnium iudice iudicari timeo, dicente ſcriptura iudicium duriſſimum his, qui præſunt. Poſtremo pudor eſt, quod Iudicibus, & Magiſtratibus pudor nullus ſit his praeſſe, quibus ſubeſſe dignius fuerat. His de cauſis noli fieri Iudex, niſi virtute vales rumpere iniquitatem; Reges enim conſtituti ſunt, vt iuſtitiam ferant, vt inquit Cic. 2. de off. vt ſummos cum infimis pari iure retineat, vt nec opulenti iniuſtum aliquod patiantur, nec plebs contumeliam accipiat; quamobrem iudicium, & iuſtitiam in omni tempore princeps faciat, & Iudicibus ſuis præcipiat, & graui quidem autoritate, vt in officio ſeſe contineant, ne pecunia corrupti iniuſtè cauſas iudicent, iudiciumq. peruertant. Ad hæc nihilo minore ſtudio monebit, vt omnino manus a muneribus abſtinentes habeant, vt inquit Io. Bernardus Gualan-

dus, nulla enim incitatior eſca ad iudicia corrumpenda, quàm muneribus inſeruire. Is morbus è foro, è curia, è regia ſummopere arcendus. Nam quibuſdam hoc præſentaneum eſt venenum, quibuſdam vero alijs ſenum illabitur, & cum aliquanto potentius penetrauerit morbidè inficit, animumq. & corpus effæminat. Sic nullum officium Tribunali redditur, ſic nullus pudor ibi conſiſtit, ſic inopum cauſæ patrocinio deſtituuntur, ſic legitima iuſtitiæ partibus, ac legibus omnibus ianua clauditur, & delictis aperitur, atque poſtremo ipſum imperium euertitur. Caueat igitur optimus Princeps, ne quis iudicium ſubuertat, ac eò ſtudioſius, quò liberus populus calumnias pro huiuſmodi in ipſum refundere conſueuit. Cambyſes inaudita ſeueritatis exemplum in mentem veniat, qui praui cuiuſdam Iudicis ex corpore pellem detractam ſelle intendi in eaq. filiũ eius iudicaturum ſedere iuſſit; exquiſitum hercle pœna genus, quo Iudicibus æternum documentum, atque horrendum reliquit, ne præuertere iudicium poſtea tentarent; nam aufer impietatem de vultu Iudicis, & firmabitur iuſtitia thronus eius.

Iuſtitiam, & perpetuos illius, vt poetæ loquuntur, ſiue comites, ſiue ſorores, veritatem, & fidem, pax, & amicitia, & bonarum artiũ cultus, & omnium rerum expectandarum abundantia conſequitur, vt ait Muretus oratione 6. Eam ſi colerent omnes, numquàm tuba, numquàm litui audirentur, arma aut exederentur rubigine, aut in ligones, ac vomeres conflarentur, belli, diſſenſionis, inimicitiarum ne nomina quidem cognita eſſent.

Iuſtitia aurea ſecula vigent, vt idem dicit, vbicumque enim iuſtitia dominatur, illinc fraudes, illinc doli, illinc periura exulant, non adulteri, non captores, non fures, non ſicarij, non venefici, non latrones, non teſtamentorum ſubiectores, non obſeſſores itinerum reperiruntur, ea denique propemodum eueniunt, quæ aureæ ætatis hominibus eueniſſe memorantur. Sine iuſtitia autem, vt inquit Macrobius de ſomnio Scipionis non ſolum Reſp. ſed nec exiguus hominum cœtus, nec quidem parua domus conſtabit. Quamobrem cum Reges facienda iuſtitiæ cauſa conſtituti ſint iuxta illud 3. Reg. de Salamone, conſtitui te Regem, vt faceres iudicium, & iuſtitiam, iuxtè iudicent, & quid exigit iuſtitia faciant.

Iubet iuſtitia, vt communibus quiſque, vt communibus: priuatis, vt ſuis vtatur, ſuum cuiq. ex æquo concedatur, non vel vi, vel dolo, cui inferatur iniuria, ad publicum cuncta commodum referantur.

Iubet iuſtitia, vt in contractibus locum fides inueniat, hæc eadem ne quidem hoſti data violetur, omnis in dictis, factisq. fraus abſit, amoueatur leuitas, inconſtantia exulet.

Iubet

Iubet iuſtitia, vt nec impunita maleficia relinquantur, nec ſeuerè nimis, acriterq. puniantur, in vltione ratio, in vindicta modus adbibeatur, ſit clementia temperata ſeueritas, coniunctam eadem miſericordiam habeat.

Debet eſſe clemens, ſed ſi non iuuat, ſit ſeuera; nam ægroti intemperantia facit, vt Medicus cogatur ad duriora remedia deſcendere, nempe ſectionem, vſtionem, & ſimilia.

Princeps, quàm acerbus eſt ſubditis, & durus, tam durum Deum, & ipſe quoque experietur, vt ait Agap. 8. & quà menſura alios fuerit metitus, eadem illi Deus remetietur, vt idem inquit, &

Sæuitia, & crudelitas ſiue in ſuos, ſiue in extraneos, tandem a Deo punitur, vt rectè Cum.

Poteſt quidem in leuiſſimis nobilium delictis conniuere; nam, vt Liuia lib. 55. Dion. in orat. ad Aug. nobilitas generis, amplitudo dignitum, fortitudo animi, & magnitudo potentiæ, in errores homines inducunt, non praua voluntas. Cæterum ſit omnibus æqualis, quia æqualitas facit Ciuitatem perfectam, firmam, & ſtabilem.

In facinoroſos etiam familiares ſuos animaduertat; nam ſit iniuria bonis, cum impunitas datur malis; pauciores enim boni futuri ſunt, ſi liceat impunè malos eſſe, nam cum expedit eſſe malos, tum nocet eſſe bonos, & cum præmium eſt male factis, tum benefactis pœna eſt.

Prius medicamentis leuioribus, deinde acioribus vtatur; nam vt Liuia in orat. ad Aug. multo plura corrigi poſſunt humanitate, & benignitate, quàm vlla crudelitate; imò aliquando odioſos reddunt ſubditos, & magis exaſperant. Medici rarò veniunt ad vrendum, & ſecandum, ne morbos efficiant grauiores, & eos perfuſionibus, ac mitibus medicamentis curent, atque molliant; nec exiſtimet Princeps inter morbos corporum, & has animorum perturbationes intereſſe; nam ea, quæ corporibus accidunt, ſæpè ſolent cum animis noſtris, quamuis incorporei ſint, conuenire.

Res, quæ inter ſubditos verſantur, princeps curare debet, vt omnes inter eos verſentur iuſtè, quod fiet, ſi vis auferatur, vt inquit Zechius, eos tuendo a Latronibus, exulibus, homicidis, furibus, & eiuſmodi; ijs etiã ſe grauibus, & validis manibus opponendo, & pœnas de male meritis ſumendo, tum ſi fraudes, quæ in contractibus, ponderibus, menſuris, ſcripturis, monopolijs victus ſubtractione, vel vſuris verſantur, auferantur. Tandem ſciat iuſtitiam eſſe principatus arcem, vt inquit Michael Verinus.

Iuſtitia, & charitas validæ ſunt principis arces,
Nulla Tyrannorum vis diuturna fuit.

Et cultus regius non eſt purpura, non aurum, non gemmæ, ſed maximè pietas, iuſtitia, & inuictus in rebus intrepidè agendis animus. quare ità ſe præbeat, vt ab ijs, quibus præeſt, alius non deſideretur, vt inquit Cic. lib. 1. epiſt.

E contra iniuſtitia eſt cuiq. odioſa, quis eſt omnium, vt inquit Muretus loco citato, quem iniuſtum eſſe opinetur, aditu, congreſſione ſermone dignum iudicet? quin eum, quaſi maleficum aliquod, & noxiũ animal refugiat, auerſetur, odio habeat? qui eius concurſum dirum, ſibi, ac tetrum, atque ominoſum putet? Quamuis enim omnia vitia bonis viris odioſa, atque inuiſa ſunt, tamen iniuſtitia præcipuè alienat ab ijs, in quibus eſt, aliorum animos, omniumq. ſibi odia conflat, conciliat, colligit. Cæteris vitijs affectos aliquando ferimus, quibuſdam ignoſcimus, quibuſdam non nimis offendimur, quibuſdam in hac vita, ac morum corruptione etiam oblectamur: Prodigos multi amãt, auaros tolerant, multos aliena intemperantia non offendit, qui voluptates nimis refugiunt, etiam ſeueritatis, ac caſtimoniæ laudẽ ferunt, audacia in bello interdum aliquis vſus eſt; timidis, & nimis cupidis vita ignoſcitur, iniuſtus communi omnium mortalium odio flagrat: ſuis, alienis, Ciuibus, peregrinis, notis, ignotis iuxta omnibus inuiſus, exoſus, intolerandus eſt. Itaq. & ſi illud omnibus hominibus a natura tributum eſt, tum rarò ſua vitia agnoſcant, eaq. modis omnibus tegere, & occultare conentur, aut etiam eis virtutum nomina imponere, vt ſe prodigi pro liberalibus, auari pro paruis, ac timidi pro cautis, ac conſideratis, audaces pro fortibus haberi, & prædicari velint; facilius tamen reperias, qui ſe auarum, timidum, audacem, libidinoſum, quàm qui iniuſtum eſſe fateatur. Hæc ille, & ſatis, inferius autem alia dicentur.

Super illa verba, cæterùm cupidine dominandi, dicendum eſt.

Vnde fuerit vis dominandi, & de cauſa formali, materiali, & finali dominij, & de multis ad Dominum pertinentibus.

DIco primo, dominium, quod homines in animalia, cæteraq. anima carentia habent, eſſe a Deo, iuxtà illud, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & beſtijs vniuerſæq. terræ, omniq. reptili, quod mouetur in terra. quæ

verba non modo ad ſtatum innocentiæ, ſed ad quemcumque alium hominis ſtatum referri debent, vt inquit Valentia diſ. 7. q. 3. de fine hominis in ſtatu innoc. p. 2.

Primò, quia in omni etiam ſtatu, eſt homo imago Dei, quia cum imaginis dignitate coniunctum eſt illud dominium, ſiue Imperium. Secundò, quia ſtatim homini condito benedixit Deus, illis verbis. Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram. Ex quo loco patet, ità in omni ſtatu competere homini illud dominium, ſicut eidem competit multiplicatio ſecundum ſpeciem. Vnde etiam poſt peccatum, dixit Deus Noe, & filijs eius. Gen. 9. Terror veſter, ac timor ſit ſuper cuncta animalia Terræ, & ſuper omnes volucres Cæli cum vniuerſis, quæ mouentur ſuper terram: Omnes piſces Maris manui veſtræ traditi ſunt; Ac ſimiliter ad hominem, in quocunque ſtatu pertinet illud Dauidis. Pſal. 8. Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum; Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues, & boues vniuerſas inſuper, & pecora campi; Volucres Cœli, & piſces maris: & illud Eccleſiaſt. 17. Poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum, & volatilium. Secundo idem probatur ex Patribus, qui homini adhuc competere dominium in beſtias rectè inde probant, quod omnes illæ capi, & domari poſſunt ab homine, vt etiam affirmat D. Iacobus in ſua canonica cap. 3. Qua de re præclara ſcribit D. Baſilius homil. 10. in exam. & D. Gregorius Nyſſenus orat. in illud. Faciamus hominem, præſertim de hominum ingenio, & artificio, quo in mari capi ſolent piſces grandiores; atque huc etiam illud ſpectat, quod D. Aug. lib. 83. quæſtionum q. 13. ſcite ſcribit hoc modo; Inter multa, quibus oſtendi poteſt hominem ratione beſtijs antecellere, hoc omnibus manifeſtum eſt, quòd beluæ ab hominibus domari, & manſuefieri poſſunt, homines a beluis nullo modo: Et illud item, quod ſcribit lib. 9. ſuper Geneſ. ad lit. c. 14. Homini donauit Deus, vt etiam carnē peccati portans, poſſit non ſolum pecora, & iumenta ſuis vſibus ſubdita, nec tantum domeſticas aues, ſed etiam liberæ voluntatis quaſlibet etiam ſauas feras, & capere, & manſuetas facere, & eis mirabiliter imperare potentia rationis, non corporis, cum earum appetitus, & dolores captans, paulatim illectando, laxando, præmendoq. moderans agreſti eas exuit conſuetudine, & tamquam humanis moribus induit.

Verum illud eſt, hominem munere diuino multo excellentius in ſtatu innocentiæ habuiſſe, & fuiſſe habiturum in animalia dominiū, quàm nunc naturaliter habeat, quia in ſtatu innocentiæ habuiſſet non

modo ſubiecta, ſed etiam perfectè obedientia ſibi animalia, vt Theologorum multi declarant, nunc autem & ſi ſubiecta ſint homini naturaliter animalia, non ſunt tamen ei perfectè obedientia, nam quadã ſunt fera, & indomita, quæ illi minime inſeruiunt, & alia domeſtica non ſine labore, & difficultate ad hominum vtilitates, atque obſequia accommodantur. in ſtatu autem innocentiæ ad nutum paruiſſent, nõ quouis modo, ſed eo tantum, quo potuiſſent, percipiendo aliqua ratione imperium hominis perſenſum. Quare ſi homo nullam ſignificationem externam voluntatis, & imperij ſui dediſſet, aut eam animalia percipere nequiuiſſent, vtpote longè diſſita, vel aliter fortè impedita, nequaquam paruiſſent, vt idem Valentia dicit.

Remanent multa veſtigia in animalibus ſeruitutis in hominem; nam omnia animalia hominem, ſicut principem timent. Elephas enim, vt Plinius ait homine obuio fortè in ſolitudine, & ſimpliciter oberrante clemens, placidèq. etiam demonſtrare viam traditur. Idem veſtigia hominis animaduertens, priuſquàm hominẽ intremiſcere inſidiarum metu ſubſiſtere, ab olfactu circumſpectare, vias perſtare, & alijs indicijs hominem timeri; hoc eodem modo Tigris expauit, quæ feris cæteris truculentior, atque ipſa Elephantis ſpernens veſtigia, homine viſo transferre dicitur protinus catulos. Quonam modo agnito; vbi ante conſpecto illo, quem timens, etenim eiuſmodi ſyluas minime frequentare certum eſt. Vnde ſciunt timendos eſſe, imò verò cur ſæpius conſpectum pauent, tanto viribus magnitudine, velocitate præſtantiores. Hanc hominis naturam feris timorem incutere declarauit Apollonius: Nam dum Apollonius, Pharaotis Regis Bactrianorum Elephantibus duceretur ad Brachamanos, cum vidiſſet periculum vnico quodam Elephantis ceruici infixo ducere ipſum ingens animal, tentauit Damaum eius indiuiduum Comitem, vnde eſſet hac tanta tam vaſti animalis erga puerum obedientia, & ignoranti, atque doceri exoptanti. Homo dixit, id eſt ex timore quodam actiuo homini ab opifice immiſſo, quem perſentientes inferiores, & animalia omnia ipſum hominem timent, & reuerentur.

Verùm hanc potentiam (vt inquit Georgius Venetus) propter peccatum amittamus, & quantò magis aggrauatur peccatum in homine, tantò magis a dignitate illa terrorẽ incutiente, & benignitate attrahente, decidit in timorem, & ſeruitutem aliorum. Inde primus Patricida, qui peccato parentis, quod contraxerat, addens homicidium ſe à dignitate illa deiectum ſenſit adeo, vt timens dixerit ad Dominum: Omnis, qui inuenerit me, occidet me.

Sed quantò magis homo pius eſt, tantò magis dominatur, ſicut patet de Noe, qui iuſtus in generationibus ſuis arcam fabricat, in quam

quam introducuntur ab eo aduocata omnes beſtiarum, ferarumq. & auium ſpecies, atque ſub eius imperio morantur quietè, donec ceſſent aquæ diluuij.

Moyſes etiam quamplurima animalia in flagellum Aegyptiorum vocauit, multiq. Sancti ſæuis animalibus dominati ſunt, beſtias crudeles manſuetiſſimas reddidere, & adueniente Chriſto dominium confirmatum fuit, data diſcipulis poteſtate calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, quod dominium tamdiu durauit, & durat in credentibus, quamdiu perſeuerauit, & perſeuerat fidelis, & perfecta ſeruitus in Chriſtum, non enim eſt abbreuiata manus omnibus, qui ipſi fidele exhibent obſequium; Quare qui magis domino ſimilis efficitur, & vnitur, tantò maiorem vim dominandi conſequitur. Qui crediderit in me, faciet opera, quæ ego facio, & maiora horum faciet. Et nihilò minus.

Pleroſque videmus, & ferè omnium hominum turbam mancipari potius, quàm dominari, quod euenit, quia homo Deo rebellis eſt; vnde vim dominationis habet.

Hinc homini à ſua dignitate delapſo, repugnant omnia, neque dignantur habere in Dominum eum, qui tam vile mancipium iam effectus eſt, atque ipſi obtemperare recuſant, quouſque in priſtinum honorem, à quo deciderat, reſtituatur, & vnanimis fiat cum Deo, à quo dominandi vim reſumat, ſicuti à principio iam acceperat. Tunc venena, & hoſtes non timebit, tunc feras non metuet, ſed ipſas terrore concutiet.

Hæc confirmat Sanctus Auguſtinus in 3. ſuper Geneſim ad litteram afferens animalia non fuiſſe à Deo homini venenoſa, & moleſta producta, ſed poſt peccatum infeſta, inimicaq. conſtituta ſunt, quod ex Domini ſententia in pœnam iniuſtæ rebelleonis primorum parentum delata, vt de ſerpente apertiſſimè patet.

Dico ſecundò, vera dominia eſſe à Deo, iuxtà illud Ioan. 19. non haberes poteſtatem aduerſum me, niſi data tibi eſſet deſuper. Prou. 8. per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt 3. Reg. 10. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuiſti, & poſuit te ſuper thronum Iſrael, & quod dilexerit Dominus Iſrael in ſempiternum, & conſtituit te Regem, vt faceres iudicium, & iuſtitiam. Salomon fatetur ſe Regem à Domino conſtitutum; non enim eſt poteſtas, niſi à Deo, & Deus ipſe Deuter. 16. conſtituit iudices, vel magiſtratus conſtitui iuſſit, vbi ante non erant, & Sap. 6. & Deus ipſe præfecit populo Moyſem Exod. 8. & Dauid quoque diuina ordinatione eſt electus 1. Reg. ibi idem aſſerunt D. Thomas opuſ. 20. lib. 3. cap. 1. Aug. lib. 4. ne Ciuit. Dei. Cumineus cap. 90. Lipſius in monit.

polit.

polit. Zechius, Bſeſius, & omnes boni politici. Homo enim in hominem non habet dominium, niſi id habet à Deo, nam rector omnibus ſubditis ſapientia debet antecedere, ſi eos rectè regere, & potentior, ſi reprimere velit, quare cum homo eiuſdem ſit ſpeciei, neque excellentiori polleat intellectu, quoad eſſentiam, neque acrioribus viribus abundet, quàm ſubditi ſimul, imperium in illos, niſi à Deo habet, non poteſt exercere. Caper non poteſt eſſe Dominus Caprarum, nec Taurus Vaccarum, neque Aquila Aquilarum, ſed paſtor, qui diuerſæ eſt ſpeciei, eſt Iumentorum dominus. Belluæ verò non Regem habentes diuerſæ ſpeciei per anarchiam viuunt, vt Lupi, Paſſeres, & id genus, vel per democratiam, vt Formicæ, Grues, Locuſtæ, vel per monarchiam, vt Apes, quæ diuerſæ ſpeciei Regem habent, multa animalia habent coronam à natura in capite, ſed inter homines nullus cũ corona naſcitur, quare homo, vt homo alijs præeſſe non poteſt, niſi à Deo autoritatem aliquo titulo non habuerit, vel electione, vel ſucceſſione, iure belli, &c. Quare Reſpublicæ à Deo duxerunt ortum, & à Deo modo vario nobis fuerunt patefactæ, & homines per naturam, interãq. commotionem eas inſtituerunt, ac informarunt.

Dico tertiò, multa dominia ex ſuperbia, & mala hominum intentione proceſſiſſe, vt de Lucifero, qui in alios dominandi maximo deſiderio flagrabat, Ezech. 34. & de Nembrot, cuius conſilio ædificata eſt Turris Babel; hæc dominia, & alia ab iniquo corde profecta, Deo nequaquam grata fuere. Nam Pharao, Rex Aegypti in mari rubeo ſubmerſus eſt, vt habetur Exo. cap. 9. Nabucdonoſor, Dathan, & Abyron dominari volentes, abſorti ſunt terra, Num. 16. Sennacherib à filijs iugulatus, 4. Reg. 19. Antiochus à vermibus conſumptus, ſecundum Machabæorum, quare horum, & aliorum iniquorum Principum Deum non cauſam efficientem, ſed permiſſiuam fuiſſe cenſendum eſt, nam, vt ipſe dicit Exo. 23. mendacium fuges, iuſtum non occides quia, auerſor impium, Prou. 11. abominabile domino cor prauum. Prou. 15. ſimiliter odio ſunt Deo impius, & impietas eius. Eccl. 15. nemini mandauit impiè agere.

Notandum eſt primò, tres eſſe cauſas, quæ dominia fundant, Deũ, prudentiam, & occaſionem; in aliquibus vna, altera notior apparuit, in Hebræo Regno Deus; in Romano prudentia, in Hiſpano occaſio euidentior viſa eſt, quamuis omnis cauſa in natura ad Deum refertur, nam omnes prudentiam, & occaſionem in rebus humanis, non omnia poſſe cognouerunt, quamobrem indirectè Deum omnes Aegyptij, Perſæ, ac Aſſyrij in ſtellis, ac ſyderibus, in oraculis Græci, Romani in auſpicijs, & augurijs Deum inuocauerunt. Chriſtiani autem directè Deum cognoſcunt.

Secun-

Secundò, Religionem eſſe totale fundamentum dominij; quare nulla natio ſine Sacerdotio fuit.

Tertiò, Tribus dominia potiſſimum acquiri, lingua, gladio, ac theſauro. Lingua eſt ſtudium, eloquentia, perſuaſio. Gladius eſt diſciplina militaris, ac potentia. Theſaurus eſt ars parandi pecuniam; ſed hæc tria ſunt etiam aliorum inſtrumenta, lingua enim eſt inſtrumentum religionis, & prudentiæ ad bonum animi, gladius ad corpus, ac fortunam, pecunia vero, vt ſecundarium inſtrumentum corporis, quod induſtriæ ſubiacet.

Qui ſolo gladio vtuntur, citò acquirunt, & citò amittunt, vt Tamberlanus, Attila, Brennius, & alij.

Qui ſolo gladio vtuntur. imperium animarum acquirunt, & paulatim ſine vlla moleſtia politici Imperij fundamenta iaciunt, quamuis aliquando vitæ, propter veritatem, quam prædicant, iacturam faciant: ſed ſucceſſores ſtatum fundant, vt his temporibus Ieſuitæ in India efficiunt; lingua enim animos hominum captat, animi deinde corpus, vnde Hiſpani hoc modo rerum potiuntur, & tale dominium validum eſt; ſed hæc lingua vera, & non diſſonans à veritate eſſe debet, nam nouæ ſectæ concionator non imperium fundat, ſed bellum inter primam, & ſecundam religionem commouet; quare imperium mali durare non poteſt. Si verò gladio, & lingua mendacio vtitur, quamuis citò acquirat, & imperium aliquandiu duret, tamen amiſſo imperio lex corruit, cùm abſint arma, quæ illam defendebant, è contra ſi lingua eſt verax, corrupto imperio, remanet lex, & ad alias tranſeũt nationes, vt Moyſes, qui gladio, ac vera lingua imperium fundauit, & Hebræi ſi imperium amiſerunt, lex tamen illis ſuperſtitioſa remanſit, ad nos autem reformata, eſt tranſlata, & veri Catholici amiſſo Imperio, veram legem Chriſtianam etiam in centro infidelium retinuerunt.

Quartò, fundamentum dominij in belluis vis eſſe videtur, at in hominibus ſapientia, qua elephantibus, equis, & alijs animalibus præcipit.

Quintò, omnes dominij titulos quos refert Bellarminus lib. 1. de tranſlatione Imperij cap. 8. vt ſunt; ius belli, electio populi, ſucceſſio hæreditaria, donum Principis, &c. in ſapientibus naturalia eſſe, in ignaris violenta, & contra naturam, nam naturaliter ſolummodò mas, fœmina, ſenex iuueni, pater filijs, fortis debili, pius impio, ſapiens ignaro eſt ſuperior.

Sextò, Etiamſi homo ſapientiſſimus eſſet, tamen deficiente bonitate, nunquàm præeſſe poteſt, quia ſine illa non poteſt Dominiorum fundamenta iacere, cùm impietas abſit à Deo, qui domi-

nijs

nijs fundamenta impertit.

Septimò, Sapientiam eſſe vnum ex fundamentis dominij, nam ſapientia ſi in viro forti reperitur, ſufficere videtur, impietate tamen abſente. Vnuſquiſque in arte ſua Rex eſt, & omnibus præcipit; gubernator enim Nauis omnibus religioſis, etiam Principibus, ac Regibus neceſſitatis tempore præcipit, & cæteris, qui cum illo nauigant, dicens: remoue hoc, vel illud; oportet dare vela ventis, & eiuſmodi. Medicus pariter infirmo etiam Regi, pædagogus Principum filijs, tutor pupillis: quare patet natura dominium in ignaro eſſe non poſſe, ſed in ſapiente, ideò ſapientia eſt dominij maximum fundamentum. Ille natura cæteris præſtat, qui ſapiens eſt, cui ſubditi libenter obediunt. E contra Tyrannus homines regere neſcit. Verùm, quia in aliquibus Principibus iſta ſapientia, non vera, ſed ſophiſtica eſt, neceſſe eſt breui tempore Imperia ruere.

Octauò, Illum eſſe verum Dominum, qui perfectè Deum, & ſubditos, vt filios amat, & periculis etiam vitæ diſcrimine pro illis ſe exponit, & omnes ſuas actiones, ad Dei gloriam refert, fortunas, ac diuitias, vt finem proprium non ambit, ſed tamquam conſeruationis inſtrumentum.

Nonò, In omnem vniuerſitatem dominatur, aut vnus, vt in Hiſpania, & Gallia Rex, aut multi, vt in Genua, Venetiarumq. Ciuitates nobiles, aut omnes, vt olim Athenienſes, & his temporibus Heluetij, aut vnus, & multi ſimul, vt in Poloniam, aut multi, & omnes, vt olim in Romanam Ciuitatem plebs, & Senatus, aut vnus, & multi, & omnes ſimul, vt in Lacedæmon. ille verè dominatur, apud quem ſumma Reip. poteſtas eſt: Quare

Dux Venetorum, ac Genuenſium non ſunt propriè domini, ſed habent quandam præminentiam: nam Conſilium generale Ciuitatis Venetiarum, vel Genuæ habet principatum, & dominium, vt notauit Iacobus de Ardizano in tit. de pace, & iuram.

X. Neminem in ſeipſum habere dominium, cùm homo non ſit dominus membrorum ſuorum, Quare dominium dicit ad alios relationem, cùm plures reſpiciat.

XI. Principes nõnullos ſubditos habere, & animo, & corpore vnitos, vt ſunt Catholici Principes, qui ſubditos habent eiuſdem religionis; aliquos corpore tantùm, vt Turca, qui Iudæos, Turcas, Chriſtianos habet, corpore vnitos in terris ſuis, animo autem diuerſos, cùm ſint diuerſæ religionis; aliquos, omnes animo, vt eſt Summus Pontifex, qui omnes Catholicos animo habet vnitos, cùm eoſdem articulos credant; vbi eſt eadem religio, ibi eſt perfecta animorum coniunctio, & quo feruentior, eò ſubditi fideliores, vt videre eſt in Hiſpanis, qui

ſummè

ſummè religioſi Regem ſuum ardentiſſimè amant. Sed ubi eſt religionum varietas, conſequenter perfecta coniunctio non reperitur; quare dominia rebellioni expoſita ſunt; priuata enim ſtudia, quæ varia religio parit, cauſa eſt, vt non omnia ad publicam referantur vtilitatem. Quare ſicut facile eſt eos, qui eiuſdem, ſic difficile eos regere, qui diuerſæ ſunt religionis, appello autem varias religiones ſectas, ac hæreſes multorum, qui ſum. Pont. audire nolunt. Eſt enim ſummus Pontifex caput omnium Chriſtianorum, cui præcepto diuino omnes obedire tenentur, & omnis gladius temporalis debet eſſe ad nutum Pontificis, qui vna religione omnium animos coniunctos tenet, & copulatos, & qui eum non recognouerunt, corruerunt, nam membrum, quod capiti non adhæret, viuere non poteſt. At Rex Hiſpaniarum, qui capiti ſuo recte adhæret, maximo, & incredibili dominio, pacificè, eoquè perfectiſſimo, & tutiſſimo fruitur. Reges enim, quantò ſunt in maiori fœlicitate terrena, tantò magis humiliare Deo debent, vt inquit D. Auguſt. lib. 8. de Ciuit. Dei.

XII. Ex Iacobo Bornito part. polit. lib. 1. de Repub. fund. iuſſionem, quæ eſt pars dominij, qua præcipit, vt aliquid fiat, quod ſi non fiat exequatur, quod iuſtum eſt, è contra facta cohareat, non ſe extendere niſi ad externa hominis opera; propterea cogitationes mentis, & actiones voluntatis vitioſa, iuſſioni non ſubiacent, ſed informationi tantum relinquuntur.

XIII. Eas Ciuitates, quarum Princeps in manu fortunas non habet, imperfectiſſimas eſſe, vt Genuenſis, quæ, vt dicit Boterus commodum priuatum ſequens, publicum negligens, in manu Regis Hiſp. omnia ferè bona habet fortunæ.

XIIII. Diſcrimen eſſe inter Ciuem liberum, & Ciuem regium, nam Ciuis liber eſt, qui liberè viuit in ſocietate quadam hominum; ciuis autem regius, qui ſub alicuius viuit imperio; ad hunc autem ex ſe non pertinet Reſp. cum vni ſoli ſit obediendum: ad alium verò ex ſe Reſp. pertinet, debetq. omnia ad Reſp. ſalutem conferre, quando opus eſt, quin bonum ducat oportet, qui proprijs bonis commune anteponit, non omnia confert ad ſalutem Reſp. ſed ſufficit, vt nullum priuatum bonum bono communi anteponat.

XV. Titulos, quibus acquiritur dominium eſſe ius belli, electionem populi, ſucceſſionem hæreditatis, beneficium diuinum, donum Principis, & ſummi Pontificis decretum, vt inquit Bellar. loc. cit. quibus addi poteſt emptio.

XVI. Ex Ioachimo Hoppero de inſt. princ. quòd ſicut ij, qui ſubſunt, non tam homini, quàm Deo ſe ſubeſſe cenſere debent, nam omnis poteſtas à Deo, & qui poteſtati reſiſtit, Deo reſiſtit. E contra

id ipſum

id ipſum animaduertat non ſuum, ſed Dei eſſe imperium, ſe autem Vicarios eſſe dumtaxat, nec paucos ſibi parere mortales, qui multo, quàm ipſe ſint meliores; quare vt Marius Salominius lib. 3. de Principatu dicit, nolint exiſtimare à Deo creatum mundum, & in eo homines, vt Principum ſeruirent emolumentis abſurdum quidem eſt ſupra quam dici poteſt, propter Principes factos homines opinari, nam liberos, atque æquales nos Deus genuit, Principes ſolum ad commoda populorum, quò facilius humanam, atque ciuilem ſocietatem innocenter cuſtodirent, multis ſe beneficijs iuuantes creati ſunt.

XVII. Ex Liuio, quod vinculum fidei eſt melioribus parere; & ex Dionyſio, quòd æterna naturæ lege receptum eſt, vt inferiores præſtantioribus pareant; & ex Ariſt. qui alios ingenio, & iudicio ſuperant, iure naturæ Principes eſſe vult.

XVIII. Inter omnia dominia, quæ fuerunt, vel ſunt, nullum fuit, quod Hiſpanum ſuperauerit, vel eſt, quod ſuperet. Europa non omnino tertiam partem poſſederunt Romani, Africæ vix ſextam, Aſiæ ne quadrageſimam, quidem, Americas porro Occidentales Indias, Oceani meridionalis inſulas ignorabant. Ita vt ſi Orbem vniuerſum in pares partes diuidas, Catholici Regis imperium latius hodie patere viginti partibus comperies, quàm olim Romanum, quippe quod in Septentrione, Rheno, & Danubio, ab Occidente, Oceano, à meridie Atlante mari, deſertiſque locis Africæ ab Oriente, Tygri fluuio clauditur, omnes enim oras Africæ, quas aluit Oceanus ipſe poſſidet, In Indiacis Gangem prope omnes maritimas vrbes, & inſulas; Malaca quoque regnum nobiliſſimum, & in conſpectu poſitas Moluchas Inſulas, innumeras. Ad oſtia maris Rubri Zacothoram inſulam, in ſinu Perſico Ormuntium, cum plurimis ſimul in Arabia, & Perſia nobiliſſimis portubus. Adde Philippinas noua Guineæ regiones, Americæ loca vaſtiſſima, quæ Oceanus ambit, interfluitq. ad fretum Magalianis vnde Hiſpagnolam Cubã Canarias Tereeras, ac deniq. quouis Hiſpaniæ Luſitaniæq. regios portus petas. Inde ſi in Siciliam Regnum Neapolitanum, Mediolanum, & inferiorem Germaniam. perrexeris, vaſtum penè circumdederis Orbem, & extra Catholici Regis imperium vix pedem aliquando extuleris, vt inquit Reſcius: Hæc dicta ſunt, vt vnuſquiſque ſciat, quam dominij molem illi deſtinauerit Deus.

XIX. Ex Franciſco Topio de poteſt. Princ. ſecul. §. 4. omnem cuiuſque rationis, & ordinis gubernationem, ſeu regimen maxime pertinere ad rationem, eſſeq. rationis opus: videmus enim ita natura comparatum eſſe, vt quæcunque ratione pollent, natura etiam magis imperare, & regere, vnde hominum genus omnibus alijs animantibus

imperat,

imperat, quæ rationis minime capacia exiſtunt. Inter homines verò ſenes regunt, at gubernant iuniores, viri fœminas, ſic in vnoquoque qui ſeruat ordinem à natura inſtitutum, ratio ſenſui, & anima corpori imperat.

XX. Duplex eſſe dominium temporale, & ſpirituale: primum ad ſeculares Principes attinet, vtrumq. ad ſummum Pontificem, qui enim eſt dominus ſpiritualium, conſequenter eſt temporalium; non è contra. Quare ſum. Pont. dominium habet ſuper omnes, etiam ſuper Imperatorem, qui Dominus mundi dicitur, nam, & ipſe ita eum eligi mandauit, & electus obedientiam Papæ iurat, nec hodie Popul. Rom. poſſet reuocare Imperatorem, nec degradare ſecundum Baldum in cap. 1. de iniur. inter dom. & vaſ. Sed ſolummodo Papa, & vacante Imperio, non ſuccedit Pop. Rom. Sed Papa tex. eſt in paſt. de re iud. ideo a Iudice laico appellaretur vacante Imperio, ad Papam, loco Imperatoris 11.q.17.c. omnis; & ipſe Imperator non poteſt renunciare Imperium, niſi in manibus Papæ, qui eſt ei ſuperior, ſed Papa, qui nullum habet ſuperiorem poteſt renunciare cap.1. de renunciat. lib. 6.

XXI. Quòd Papa eſt maior in adminiſtratione, quàm Apoſtolus, vt ait Innoc. in c. ſuper eo bigam. & Papa non poteſt deponi, propter inſufficientiam, vel negligentiã, licet alij ſic gloſ. in c.1. de renunc. L.6.

XXII. Quòd Papa loquitur de ſeſe in plurali ſemper, 1. q. graui de fal. ſed Imperator aliquando loquitur in ſingulari perſona de ſeipſo, vt l.3. C. ad l. falcid.

XXIII. Principibus neſcientibus regere Principatum, & patem, & iuſtitiam ſeruare, ad inſtantiam ſubditorum datur coadiutor a Papa.

XXIV. Papa a nullo pendet, ſicut Sol ſe habet in planetis, ſic Papa in omnibus.

XXV. Imperatorem, & Auguſtum non antea dici ſolitum, quàm poſt acceptam coronam a Rom. Pontif. vt ſcribit Paul. Diaconus, & Germani ſcriptores teſtantur Henricus, Mutius, & Albertus Crantius, & ex noſtris Ptolomaus Lucenſis, & Sanct. Antoninus Archiepiſcopus Florentiæ, Georgius Merula in lib. de rebus geſtis Vicecomitum. Blondus, & reliqui, apud quos ſcriptum inuenitur Greg. V. conceſſiſſe Germanis Principibus, propter eorum in Rom. Eccleſ. beneficia, vt eligerent Regem Romanum, ſed ea tamen lege, vt autore Pontifice iuſtum, ac legitimum Imperium poſſideat, neque poteſt Auguſtus, aut Imperator vocari, niſi prius benedictione imperiali a Rom. Pontifice accepta. Idquè ſeruari ſolitum ſcribit Innocentius in epiſt. de Coronatione Caroli IIII. Imp. iniuncto inquit, & coronato

Regi

Regi acclamatur Domino inuictiſſimo Imperatori Romano, & ſemper Auguſto ſalus, & victoria. Romanus Pontifex ex priſca conſuetudine Regem electum approbat, ad Imperium promouet, Auguſtū vocat, & iniungit. Rex enim Regum, & Dominus dominantium Ieſus Chriſtus, cui dedit omnia pater in manu, ſub pedibus eius ſubijciens vniuerſa, cuius eſt terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & omnes habitantes in eo; imò cui flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, ſummum Apoſtolicæ Sedis, & Eccleſiæ Romanæ Pontificem, quem in beato Petro ſibi Vicarium ordinauit ſuper gentes, & regna inſtituit euellendi, deſtruendi, diſperdendi, & diſſipandi, ædificandi, ac plantandi poteſtatem contulit, & ipſo facto hanc poteſtatem exercuerunt; nam regna inſtituerunt, vt Bohemiæ, vt apparet in Innoc. III. regiſtris Dux enim Bohemiæ ab Apoſt. Sede obtinuit, vt in litteris poſſet titulo regio ſe appellare; eiuſdem etiam Sedis Apoſt. autoritate obtinuit Balduinus, vt poſſet Rex Ieroſolomit. conſtitui, & Regnum Armeniæ ab Honorio III. fuit confirmatum Regi Ieroſolomitano, & Rex Vngariæ a Romano Pontifice accepta corona ſolitus fuit Rex appellari, & Hyberniæ a Paulo IV. & multa alia, quæ longum eſſet recenſere; Regna etiam ipſa tranſtulerunt vt a Græcis, ad Germanos, regna prætereà confirmauerunt, vt Zacharias Pipino, Imperatores depoſuerunt, vt Innocentius VIII. Fridericum, & alij alios, & aliquando eandem poteſtatem ipſi exercuerunt, vt Gregor. V. qui Othonem III. coronauit, & Clemens VII. Carolum V.

At dices, cur hanc poteſtatem non ſemper exercent; reſpondetur tunc illam Pontifices exercere, quando illis expedire videtur; religio enim cuncta moderatè, & patienter agit interuallo temporis iniecto, vt inquit Auguſtinus Stheucbus contra Laurentium Vallam de falſa Conſtant. donatione, multa contemnit, ius ſuum non agnoſcit, execratur iactantiam, tumultum, inſolentiam, ſuperbiam. Nihil ei cum ſtrepitu, & perturbatione, ac contentione agere conſuetum eſt. Patienter tempus expectat, ſiquis etiam res illius capiat, haud properè conſurgit ad arma, regnare patitur, quos ad Regnum cupiditas rapuiſſet. omnia ſuffert, benigna eſt, patiens eſt, regna enim, & ſimul religionis eſſe, & ſimul a Regibus, & Principibus, Imperatoribusq. teneri poſſunt, ipſis Pontificibus conſentientibus.

Ex his patet temporale dominium, ſpirituali iuriſdictioni adiunctum eſſe, quare Pontificē oportet agnoſcere; nam omnes, qui a veritate declinarunt, & qui contra Pontificiam maieſtatem latrarunt, miſerè corruerunt, vt prolixè probat Hieronymus Albanus in lib. pro oppugnata Rom. Pont. dignitate.

XXVI. Ex

XXVI. Ex Bornito ſummum imperium eſſe ſummam imperandi poteſtatem, quod maieſtatis eſt, a quo inferius quod ius, tum quæuis alia poteſtas præter illud dependet; vnde poteſtas prima, & a prima dependens exiſtit in Rep. & quæ oritur, & quæ informationem, nec non ſuſtentationem ab ea obtinet. partes, & iura ſummi Imperij, ſiue maieſtatis ſunt functiones, quibus ſuam vim propriè, & diſtinctim exuit, propterea, quia id ipſum indiuiſum ità, & iura eiuſdem propria, & indiuidua ſunt, propria, quod omni, & ſoli, nec non ſemper conueniant maieſtati; Indiuiduæ autem, quod neque ceſſione, neque præſcriptione ſubditis communicari queant, aut debeant, quæq. vt effecta formalia principem a ſubditis diſpeſcant.

XXVII. Dominium ex tribus hominum generibus conſtare, diuitibus, inopibus, ac inter hos medijs, vt erant apud Rom. Senatores, equites, & plebei, vt dicit Liuius lib.3. Plinius 33.cap.1. Halicarn.2. ideo omnibus oportet ſatisfacere, vt diuites plebe non abutantur, & plebs rebus diuitum non inſidietur.

XXVIII. Alios natura eſſe Reges, vt Socratem, & Catonē, alios fortuna, vt Vitellium, & Neronem, & alios fortuna, & natura vt Alex. & Aug. alios verò natura magis, quàm fortuna, vt Scipionem, ac Annibalem, alios fortuna magis, quàm natura, vt Tiberium, & Galbam.

XXIX. Materia eſt duplex vna remota, altera verò proxima, remota ſunt omnes Ciues, proxima verò Ciues, qui Reip. adminiſt. ſunt capaces.

XXX. Forma Reip. conſiſtit in nexu, maieſtate imperantium, & obſequentium, rerumq. ciuilium huic vnioni cohærentium, & inſeruientium.

XXXI. Cauſa finalis eſt bonum publicum, Princeps enim ad publicam vtilitatem creatus eſt, & receptus, vt omnes politici affirmant. Halicar. lib.2. dicit mihi quidem videntur omnes, qui & barbaras, & græcas Reſp. conſtituere rectè, ſanè commune bonum vidiſſe. Ariſt. in 3. polit c.6. finis, menſq. regentis eſt, vt quàm optimi, quàm fœliciſſimi Ciues fiant, & in 5. c.10. regia poteſtas eò comparata eſt, vt in populo bonum ſit præſidium. Plato in lib. de regno, Rex bonus, & ſapiens gubernabit ſemper ità ad ſalutem reſpiciens, vt ad Nautarum, nauiſq. ſalutem reſpicit gubernator. Xenoph. in vita Cyri, lib. 6. Rex nullo modo dicendus eſt, qui res alterius quærit, atque deſiderat, verum, qui Ciuitates, & homines felices reddit. Cic. off. 1. Omnino qui Reip. præſunt, duo Platonis præcepta teneant; vnum vtilitatem Ciuium ſic tueantur, vt quicquid agunt ad eam referant, obliti commodorum ſuorum; alterum, vt totius Reip. corpus curent, ne cum partem aliquam

N tuean-

tueātur, reliquas deſerant, vt enim tutela, ſic procuratio Reip. ad vtilitatem eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. Tho. Campeg. in lib. de off. princ. in Eccleſ. in 3. off. ſicut Deus, qui Rex Regum, & Dominus dominantium nec regit propter ſeipſum, ſed propter noſtram ſalutem, ſic ad officium Principis ſpectat bonum ſubditorum principaliter intendere. Io. Gerſon in lib. 1. de orig. iur. & leg. conſid. 13. inquit, Dicitur autem vnus ille bonus, vel Rex, vel Imperator, ſeu Monarcha, qui non bonum principaliter, ſed commune bonum intendit in ſuo principatu: Quare Alphonſus Guerrerius in theſ. Chriſt. relig. c. 54. nu. 1. quod Regnum non eſt propter Regem, ſed Rex propter Regnum, & Natta in conſ. 139 nu. 13. lib. 1. Eſt ergo principatus propter populū, non populus propter principatum.

XXXII. Qui in alios dominantur ius ſtatus adinuenerunt, quod duplex eſt, primum quando a iuſtitia non recedit, ſecundo quando remotum a iuſtitia calliditate regnum princeps iuuat, & auget. primum eſt verum ius ſtatus, quippe quod pro fine habet publicum bonum, & non priuatum commodum reſpicit, & idem eſt, ac ius dominij, iuriſdictionis, vel imperij, quod ſi iuri ciuili communi, & ordinario derogat, idq. ad publicum bonum faciat, erit exceſſus iuris communis ob commune bonum. Quare nihil niſi quod bonum eſt de iure ſtatus fieri poteſt; quod autem calliditate fit, non ius ſtatus, ſed iniuria poteſt appellari, ſed de his ſuperius multa diximus.

XXXIII. Dominia acquiruntur, vel ſubditorum voluntate libera, vel coacta; libera iterum tacita, vel expreſſa, iſtud ſuffragio fit, vt in Imperatoris electione, illud ſucceſſione fit, vt in Hiſpania, ac Gallia; coacta ſubditorum voluntate acquiri Imperium aliquod dicimus, quod vi, armis, videl. obtinetur, vt ait Hippolytus a collibus de Principe c. 2.

Super illa verba, in Haterium ſtatim inuectus eſt, Scaurum, cui implacabilius iraſcebatur, &c. dubitari contingit.

Cur Princeps facilius priuato iraſcatur.

LEui de cauſa principem iraſci, ſed nulla magis dedecet. Illorum verba nec contumelioſa, nec iniurioſa videntur; quare rectè Plato cenſuit homines natura iracundos, aptiores fore ad diſciplinā, quàm ad Remp. capeſcendam; quo vitio cum ſe laborare Anthiocus ſophiſta intelligeret, abſtinuit ab adminiſtratione Reip. Iraſcuntur autem facilius Principes, quia ſe ſuperiores eſſe cognoſcunt, & alios expellere poſſunt. Quare & diuites, & ſuperbi facile etiam iraſcuntur, fortes quoque, atque audaces, quibus vix incuti formido poteſt ad iram ſunt procli-

procliues; nunquàm enim cæteris ſe inferiores viribus, ſed ſuperiores potius arbitrantur. iratus autem cum ſe ſuperiorem eſſe ſentiat, tacet, & voluptatem capit ſuas iniurias poſſe vlciſci. Verum Tiberius Seauro pœnitentia ductο, ac leuia locuto, parcere debebat, & ei præſertim qui alium caſu, imprudenterq. lædit (vt illi accidit modo factum non probet, ſed doleat, venia dignus eſt. ſed

Solent Principes leuiſſimum delictum grauitrr punire, etiam ſi ad præſens iram cohibeant, tamquam ignis in ligno deliteſcens, vbi tempus eſt oblatum reacendere, & erumpere, vt de Tiberio patet. & quò magis iram conſeruant, eò malum attrocius exoritur. nam vt ſpiritus incluſus terræ viſceribus, cum ea diu luctatur, ac tandem ſcindit, & in terræmotus erumpit, contra locum exeundi nactus, euaneſcit, ſic ira in animo facit, vt inquit Peregrinus lib. 4. de moribus, quæ dato exitu, omni onere liberat, concluſa torquet, & cruciat, nec non niſi proſciſſum deſerit. Quod ab Haterio cognitum ſtatim iram lenire curauit; quem quidem Aulici imitari deberent, nec pati, ſi poſſibile in principibus iram protrahi, non enim ſine periculo inueteraſcit; vehemens enim affectus eſt, vt inquit Chriſ. hom. 3. in Ioan. & omni flamma vehementior, quare celeritate nobis opus eſt, vt hunc ignem extinguamus, ne ve ad ſummum eum euadere ſinamus. Iræ enim morbus, niſi mox ſedetur, multas generat calamitates, domos, & familias totas euertit, veteres diſſoluit conſuetudines, & breui momento res infandas molitur. ſed non licet Aulico iram Principis ſubito ſedare, nam vt Medici vetant admoueri remedia, cum morbus in acceſſu eſt, ac ſæuit, ſed cum ſe remittit, ità vt dicit Seneca ad primos illos iræ, & doloris motus non eſt adhibenda conſolatio, vel admonitio, ſed vbi tempore cœperint eſſe leniores. At quando Princeps ſtatim iram euomit, etiam cum alicuius contumelia, non diligenti cautione opus eſt. Mare enim commotum cum algam, & ſpumam eructat, purgari dicitur, etiamſi littus contaminat. Sed Princeps ira commotus, domeſticos plectere non debet, nam vt rectè Xenoph. rerum Græc. lib. 5. ſæpius domini irati maiora perpeſſi ſunt mala, quàm intulerunt, & Principis ira aut nulla, aut aperta eſſe debet inquit Tacitus. Honeſtius puta offendere, quàm odiſſe, ſed ſatius eſt conuicia ſpernere, præſertim leuia, nam vt Tac. ann. 4. conuicia ſi iraſceris cognita videntur, ſpreta obſoleſcunt.

Notandum hic ex Philo. Hebræo neminem iratum principem adire debere, etiam ſi nihil in eum commiſerit, nam facile eſt minas alio tendentes, curioſa temeritate in ſe conuertere, nam iratos dominos ſemper oportet fugere.

2. *Nec graui, nec leui offenſa quis Principem offendat, quia gra-*

uiter quaque de cauſa indignantur, & vt ait Plautus plumbeas iras gerunt.

3. *Principi irato non eſt danda occaſio nocendi, ſed potius adimenda.*

4. *Si Princeps iracundia motus ſine cauſæ cognitione aliquid irrationabile, vel crudeles vindictas mandauerit contra ſubditos, debet differri executio vſque ad 30. dies, vt interim ceſſet iracundia Principis, tex. in l. ſi vendicari, C. de pœn. & prudentiſſime ij faciunt, qui iratas reſolutiones tardiſſimè exequuntur, vt inquit Ciccarellus in Liuium diſcurſ. 30.*

Princeps liber, & vacuus ab ira erit, ſi primum conſiderauerit, quòd cum omnium poteſtatem habeat, ſi adiunxerit iram, mortem ſit illaturus multis, id quod eſt inutile, ac triſte; ſi quis ex eo, quòd omnia in ſua poteſtate habeat, multos vita priuat, deinde ſi hoc etiam perpenderit, cum omnes habeat ſubditos, & nullam aduerſantem, non eſt cur nemini ſit iraſcendum; Poſtremo ſi hoc expenderit, Deum totum mundum gubernare cum manſuetudine ſine indignatione, hunc q. Princeps imitari debent, vt inquit Ariſtaas in hiſt. 45.

Super illa verba quæ caſus obtulerat in ſapientiam vertit.

De occaſione.

N*Vlla res eſt, quæ magis imperatori in bello conducat, quàm occaſio, quæ vt Veg. lib. 3. cap. 26. ait in bello ſolet amplius iuuare, quàm virtus; quare Imperator, vt Liuius 22. dicit armatus; intentusq. ſit, vt neque occaſioni deſit, neque ſuam hoſti det. & Leo Imperator cap. 17. de bellico apparatu, docet exercitus ducem ſemper, atque vbique occaſiones, opportunitatesq. temporum, quæ adiuuare rem poſſunt, non præmittere debere. Nā opportunitas nō obſeruata cum in omnibus quidem rebus ingens afferat malum, tum verò maximè in bello, iu quo occaſiones grauiſſimæ ſunt, nec ſine pernicie negligi poſſunt; & quoties magnæ res in paruo tempore datæ fuere, quæ tempus mendicum ſortitæ, nihil profecerunt: Quamobrem non ſine cauſa Plato in polit. aſſerebat regem agnoſcere debere vim rerum illarum, quæ in rebus humanis plurimum pollent, opportunitatis, & importunitatis præcipuè, & quia rarò ſeſe offerunt, oblatæ ſtatim etiam debent aripi, & quoniam facilè percipi nequeant vltra potius, quàm citra conſiſtendum, quippe mediocritates plus momenti habent, cum aliquid adhuc eis deeſt, quàm cum excedunt.*

Præ-

Premenda eſt occaſio, modis omnibus inſtandum, nec omittendā à manibus ſemel oblatam. tantam enim vim habet opportunitas, vt ex boneſto inboneſtum, ex damno lucrum, ex voluptate moleſtiam, ex beneficio maleficium faciat; & contra breuiterq. rerum omnium naturam permutet. Hæc in aggrediendo, conficiendoq. negotio præcipuum habet momentum, vt non ſine cauſa veteres videantur eam diuinitate donaſſe.

Sed eſt patienter expectanda, nam ſi arte aliqua vocaueris exitus præter opinionem ſuccedent, ſi aliter feceris artem cognoſces, occaſionem ignorabis, quæ prainopina, non autem vocata ſolet hominum tabernas inuiſere; vnicuique negotio, vnicuique actioni ſuum deſtinatum eſt tempus. Vnde enim quæ per ſe bona ſunt, ſi non benè quoque tractentur, boni gratiam amittunt. rectè Proclus quemadmodum totius mundi quidam circuitus ſunt fœcunditatis, ſterilitatis ve cauſa animalium, atque plantarum, ità ſingulis actionibus aliud conuenit, aliudq. tempus ad actionem hanc, vel illam perficiendam; & apes peragunt opes ſuum non ſtatis diebus, ſed quoties cœli commoditas inuitat, & Plinius lib. 17. cap. 24. morus omnium nouiſſima germinat, & tamen parit inter primas, ità qui tempus idoneum operiuntur rei conficiendæ, etiam ſi ſerius cœperint, tamen maturius conficiunt, auidius rapiendum, quod cito præteruolandum: quare illo dicto concludam, prælia non deſtinato, ſed ex occaſione ſumenda, & pro occaſione conſilia mutanda, conſilia noua nouis rebus accommodanda, vt omnis temeritas abſit.

Quia in textu autor militum ſeditionem recenſet, nos quoque pauca dicemus.

De Seditione.

NOtandum primo, bellum, ſeditionem, & rixam inter ſe differre, bellum enim, vt inquit Albericus in ſuo dictionario ad hoſtes pertinet, ſeditio autem ad Ciues, rixa verò tam ad Ciues, quàm ad milites. Differunt etiam, quia, vt inquit Angelus in ſua ſumma in ver. ſeditio. bellum propriè eſt contra hoſtes extraneos, quaſi multitudinis ad multitudinem, ſeditio inter vnius multitudinis partes inter ſe diſſentientes. rixa vero vnius ad vnum, vel paucorum ad paucos.

Notandum ſecundo, ex Claudio Modain. lib. de ſeditioſis, & ex doctoribus bellum, & rixam importare impugnationem in actum,

ac ſeditionem dici poſſe ſiue ſit in actu, ſiue præparatio ad eiuſmodi impugnationem.

Notandum tertiò, ex D. Thom. ſeditionem vnitati populi ciuitatis, vel regni, iuſtitiæ, & communi bono opponi, vt in ſuo genere tanto grauius peccatum ſit, quantò bonum publicum, quod per ſeditionem impugnatur, maius etiam eſt, quàm bonum priuatum, quod per rixam impugnatur.

Notandum quartò, ſeditionem non ſolum in exercitu, & in claſſe, ſed in Ciuitate, & vbique vbi adeſt hominum multitudo exoriri poſſe.

Notandum quinto, non ſolum eum ſeditioſum eſſe, qui diſſenſiones facit, vel diſcordias gignit, vt ait Iſidorus, ſed etiam, qui ſeditionem mouet, & amat; quare Cic. 3. in Verrem, malus ciuis, improbus Conſul, ſeditioſus homo, & ad Attic. lib. 2. multa cum ſeditioſiſſimè diceret, vocem exprimere non potuit.

Notandum ſextò, rebellionem, & ſeditionem inter ſe differre; rebellio enim eſt ſubditorum contra dominos; ſeditio ſubditorum inter ſe.

Notandum ſeptimò, ex Conrado Bruno lib. 5. de ſeditioſis, ſeditionem non ſemper crimen eſſe, nam & ſi ipſa mala ſit, & de genere prohibitorum, tamen ſi non turbandæ Reip. cauſa, ſed ex alijs iuſtiſſimis, & honeſtis cauſis excitetur, neque mala eſſe dicetur, nec qui eam concitarunt, ſeditioſorum pœnam ſubſtinebunt.

Notandum octauò, ex eodem, materiam ſeditionum eſſe homines aduerſus, quos excitantur. finis gratia cuius ſeditiones excitantur. Ariſt. quadruplicem finem ſtatuit, lucrum, & honorem damnum, & dedecus, ſiquidem lucrum, & honorem, vel proprium, vel amicorum affectare, vel damnum, & dedecus declinare intendunt; forma ſeditionis eſt, a qua denominatur ſeditio, vt concitatior ille motus, & turba, & veluti imago, qua diſſenſio inter ſe hominum, & diſcordia repræſentatur, & quaſi ob oculos ponitur.

Cauſa autem efficiens in rebus publicis eſt ciuium inæqualitas, vt dicit Ariſt. polit. 5. c. 1. tunc enim mouentur, quando alij pares eſſe volunt ijs, qui plus poſſunt, & niſi hoc ſit non acquieſcunt, alij ſe præſtare dignos putantes indignè ferunt, niſi plus habeant. Sed hæc cauſa efficiens multiplex eſt; nam & aliquando eſt ſeditionum cauſa ſitus, incrementum, peregrini impotentia, metus, contemptus. Ariſt. Toloſ. de rep. Brunus de ſedit. Modain de ſed. & alij.

Omnis ſeditio periculoſa eſt, ex paruis enim rebus magna prouen niunt; quare vlla minima ſeditio non eſt negligenda, quia vt Q. C. ait ſæpè neglecta ſcintilla magnum excitauit incendium.

Qua

Qua fraude, qua arte imperitorum mentes ſeditioſi impellunt, qui non tam præmijs periculorum, quàm ipſis periculis læti pro certis, & & olim pactis, noua, ambigua, ancipitia malunt; oſtendit Tac. 1. ann: clam, & nocturnis colloquijs, aut flexa in veſperam die dilapſis melioribus deterrimum quemq. congregantes.

Illic inſerūt querelas, & ambiguos de principe ſermones, quaq. alia turbamenta vulgi, mox etiā promptis iam; & alijs ſeditionis miniſtros agunt audacius, & palam libertas, ac ſpecioſa nomina prætexuntur.

Quare oportet ſtatim acurrere; nam vt Tacit. 14. annal. Sæpe modicis remedijs primi motus concedere, & Cic. phil. lib. 5. Omne malum naſcens, facile opprimitur, inueteratum fit plerumq. robuſtius. quæ remedia fusè Tac. hic ponit, & Lipſius lib. 6. polit. & autores ſupracitati, & Frontinus cap. 8. de ſeditione militum compeſcenda. Vegetius lib. 3. de re militari. Ludouicus Foſcerius de remedijs opportunis ſeditionum. Bernardus Graſſia de turbulentia ciuiū, & Matthæus Drurinus de militum audacia reprimenda.

Super illa verba immotum aduerſus eos ſermones, fixumq. Tiberio fuit non amittere caput rerum, dubitatur.

An Princeps per ſe, an per Legatos bella conficere debeat.

V*Idetur, quòd ſic, primò quia, vt dicit Caſtellanus de off. regis, lib. 2. Regis præſentia plurimum ad ſummam victoriæ confert, accendit enim milites ad virtutem, quod vel metus pœnæ pudor ira, vel ſpes præmijs alacrioribus reddat, ita ſub Regis oculis operam quiſque ſuam egregiè nauare nititur, vnde Virg.*

Vrget inquit præſentia Turni,

& Homerus non ſine cauſa inducit, Agamenonem nunc ſuos hortantem, modo increpantem. Hinc etiam intentiores cuſtodiæ ſunt, quòd cum Rex in caſtris ſit, resq. vereantur milites, nec ipſe quòd aliquando feciſſe, Cæſar dicitur excubias, & vigilias circumeat. Adde militum beneuolentiam, & charitatem in Reges, vt Synneſius demonſtrat, quas comiter, ac benignè inter milites, non ſine labore verſando ibi conciliantur. Adde Dionis illud, neminem aliena curare tam diligenter, quàm ſua.

Eſt hæc opinio multorum; ſed quòd per legatos bellum gerat, magis placet, primo quia caput diſcrimini, ac fortunæ temeritati non eſt ſubijciendum, ſed ad Regni maiora pericula conſeruandum; quare

rectè Tac. fixum Tiberio fuit, non omittere caput rerum, neque ſe, remq. Rempublicam in caſum dare. At per filios pariter adiri maieſtate ſalua, cui maior è longinquo reuerentia, quod aliud ſubſidium ſi Imperatorem ſpreuiſſent, quod & ſi de principe nondum in imperio corrobato poſſit intelligi, tamen abſolutè eſt intelligendum.

Secundo quia hoſtis acriores vires parat. tertio magis animoſus redditur, quarto victoriam illuſtriorem conſequitur, duces ſua præſentia negligentes reddit, irreſolutus in ſententijs manet, mala, quæ exercitus patitur, regi attribuuntur, & ipſo mortuo regnum corruit: vel maxima fit mutatio, quæ vltima ratio illis prioribus præponderat, at exercitus duce mortuo, alius ſubſtitui poteſt. Quare ad bellum egregium ducem mittere debet, liberis mandatis, vt rebus turbidis pro tempore conſulere poſſit, & pro re conſilium capiat, ex diſtantibus enim terrarum ſpatijs conſilia poſt res afferuntur.

Super illa verba, ludos Auguſtales tunc ideſt cœptos turbauit diſcordia ex certamine hiſtrionum dicendum.

De Hiſtrionibus.

PRincipes profectò hiſtriones è ſuo dominio eijcere deberent, cum hominum genus ſit peſtiferum omnibus, ac exitiale, quomodo enim homines virtuti nati poſſunt audire ea, quæ ab impuriſſimo ore hominum inquinatiſſimorum turpiſſimè proferuntur, quæ hercle podicem ipſum (ſi ei loqui liceret) proferre maximè puderet; peſſimè viuunt, peſſimè dicunt, quæ citra morum, & famæ periculum audiri neutiquam poſſunt, qui tot vitijs ſordidi, & inquinatis concupiſcentijs aditum ad omnia ſibi aperiunt, ſcelerata via, exemplo pernicioſo, moribus contaminatiſſimis, qui virus nequitiæ per ciuitates ſpargunt, & innumeras animas dant morti perpetuæ, & homines perfidos, ac adulteros iuuenes alunt, & concomitantur. Execrantur omnes eum, qui propinato veneno extinxerit hominem. At ſic dum venenum melle circumlitum, quod tam multis exitio ſit. cæterum nulli eſſe commodo queat, palam proponunt, & publicè honorantur. quamobrem vt dicit Gabriel Puterbeus hùc nullo negotio ſpectat, quot enim ſcortationes, quot adulteria ſibi format animus, quot quamq. acres ſtimulos, & qualia aconita impura, auditio iſta in imas cordis latebras inuehit, quàm facile mœchis aditus parat, quàm minus moroſas reddit, puellas procis, & ſcortatoribus, quot ſcelera callidorum lenonum, & lenonum vaframẽta amatorias fabulas audiunt, & libenter arrident, quare iterum, iterumq. reuoluunt, recurrunt,

repetunt, & ipſa ſæpius recogitata luxuria carneos ſenſus vehementius titillat. nimis eſt ſupina huius plebei ſeculi cogitatio, qui corruptelam ſuorum, & dedecoroſam famam minimè vlciſcuntur, neque Principes eiuſmodi hominum peſtes acqua, & igne interdicunt. Nullus eſt tam benè natus, tamq. immotus integritate, qui ab hac pernicie non corrumpatur. quot faces ſuppeditat N. quot N. quid N. quid N. ignibus impudentius, quibus nihil vmquam luxurioſius videt hæc ætas. A floribus marcidis aduolant apes, & nos ad olera, & ſtercora conuolabimus. nihil eſt ſceleris, quod non importet malorum hiſtrionum auditio, præſertim ſi adferas animum illotum, & nondum purgatum vitioſis affectibus. Venerea enim hiſtoria ſordidam mentem impotentem ſui ad viliſſima queq. deprurijſcentem ſubinde retrudit, donec virus immedicabile illi hæreat in medullis. Quis ergo neget hos planè ſceleſtos eſſe, & numeris omnibus corruptos, quos conſtat tam ſceleſta, ac noxia dicere, & nulla lege reprimitur furioſa libido, ſed in auro, & purpura degunt. Senum effœta corpora, & exhauſtos artus fugitiuo quodam igne cogunt recaleſcere, pueros docent, quod per ætatem non queunt capere. Iuuenes plus ipſo Veſuio incedunt: Nam dum dramata nobis ſua conſuunt, belli illi rerum obſcœnarum artifices, dum in actus ſuos conferunt modo adoleſcentem ſuos retegentem ignes, modo amatorem ſua, quæ geſſerit facinora, iuueniliter oſtentantem, modo parturientes meretriculas, dum ſaltantes tibicines exhibent, & omnes fallentes mutuò peierantes, obligurientes, prodigentes omne ius, omne honeſtum, virtutem omnem nihili pendentes, dum quæcumq. liceat frui amoribus, dum temeratos ob oculos ponunt hymenæos, dum publicè, priuatimq. læſam, ac proditam fidem, dum cædes inſontium, dum odia, dum veneficia, adulteria tractant, commendant, ſuadent, & qua ratione, quo actu perfici queant inſtruunt, dum mellitiſſimis verbis, feſtiuis dicterijs, iocis, ſalibus facetijs, leporibus intecta, & aſperſa, hæc omnia hominibus male feriatis obijciunt, quem ordinem, quem ſexum, quam ætatem, non commaculant, quæ pudicitiæ caſtra non tentant, non effrigunt, non deinde euertunt? quid ipſis bonis legibus reliquum autoritatis, & dignitatis faciunt. Quot enim credibile eſt putare iſta licere, atque adeò præcipi, & in ijs pulchrum eſſe excellere, quæ Principum virorum auſpicijs calculo, & iuſſu in apertum proferantur. Sed quo animo cenſes illos, poſtquam his artibus ſemel imbuti fuerint, adire ſacras conciones? quàm purgatis affectibus Deum precari? quàm ſincerè meditari, quæ Dei ſunt, quàm animos repellere, & referire hoſtem iuratiſſimum Diabolum, quam contentione virtutum, & bonos mores amplecti? quàm indefeſſo anhelitu feſtinare in patriam? longè falluntur ij, qui dicunt

cunt

cunt comœdiam eſſe actuum humanorum quandam vtilem repræſentationem: Quæ enim vtilitas inueniri poteſt in mollibus, infractis voluptarijs, & ad libidines fluxis conſpurcatiſſimorum hiſtrionum ſententijs? rectius dicerent eſſe labem virtutis, & bonorum morum corruptelam. Quæ homines doctos, & integros a ratione vtilis, honeſtiq. reſpectu abalienat. Quomodo poſſunt hiſtriones degente hircoſa barbatuli, ſcommate aliquo ex lenonijs cantis petito, actus præclaros repræſentare? Audi Saluianum, ſi hiſtriones munus ſuum rectè obeunt, de quotidianis autem obſcænitatibus loquamur, quas tales, ac tam innumeras legiones Dæmonum excogitauerunt: vt etiam honeſtæ, ac probæ mentes, & ſi nonnullas earum ſpernere, ac calcare poſſint, omnes tamen penitus ſuperare vix poſſint. Sicut enim exercitus pugnaturi ea loca, per quæ venturas hoſtium turmas ſciunt, aut foueis intercludere, aut ſudibus præfigere, aut tribulis infeſtare dicuntur, ſcilicet, vt etiam ſi non omnia ea quiſpiam incidat, nullus tamen penitus euadat; ita etiam Dæmones, tam multas in vita iſta humano generi illecebrarum inſidias prætenderunt, vt & ſi plurimas earum aliquis effugiat, tamen ab aliqua capiatur. Equidem quia longum eſt, nunc dicere de omnibus amphiteatris ſcilicet, odeis, luſorijs, pompis, athleſis, petaminarijs, pantomimis, cæteriſq. portentis, quiaq. piget dicere malum, tale, vel noſcere de ſolis circorum, ac theatrorum impuritatibus dico. Talia enim ſunt, quæ illic fiunt, vt ea non ſolum dicere, ſed etiam recordari aliquis ſine pollutione non poſſit. Alia quippe crimina ſingulas ſibi firmè in nobis vendicant portiones, vt cogitationes ſordidæ, animos, vt impudici aſpectus oculos, vt auditus improbi aures; ita cum ex his vnum aliquid errauerit, reliqua poſſint carere peccatis. In theatris verò nihil horum reatu vacat, quia & concupiſcentijs animus, & auditu aures, & aſpectu oculi polluntur. Quæ quidem omnia tam flagitioſa ſunt, vt etiam explicare ea quiſpiam, atque eloqui ſaluo pudore non valeat. Quis enim integro verecundiæ ſtatu dicere queat, illas rerum turpium imitationes, illas vocum, ac verborum obſcænitates, illas motuum turpitudines, illas geſtuum fœditates? quæ quanti ſit criminis, vel hinc intelligi poteſt, quod religionem ſui interdicant. Nonnulla quippe etiam maxima ſcelera incolumi honeſtate referuntur, & nominari, & argui poſſunt, vt homicidium, latrocinium, adulterium, ſacrilegium, cæteraq. in hunc modum. Solæ Theatrorum ſunt impuritates, quæ honeſtè non poſſunt vel accuſari, ita noua in arguenda harum turpidinum probroſitate res euenit arguenti, vt cum abſq. dubio honeſtus ſit, qui accuſare ea velit, honeſtate tamen integra ea loqui, & accuſare non poſſit. Alia quoque omnia mala agentes polluunt non videntes, vel audien-

audientes. Si quidem & ſi blaſphemum quendam audias, ſacrilegio non pollueris, quia mente diſſentis. Et ſi interuenias latrocinio, non inquinaris actu, quia abhorres animo. Solæ ſpectaculorum impuritates ſunt, quæ vnum ad modum faciunt, & agentium, & auſpicientium crimen. Nam dum ſpectantes hæc comprobant, ac libenter vident, omnes ea dictu, audituq. agunt, & verè in eos apoſtolicum illud peculiariter cadat, quia digni ſunt morte, non ſolum, qui faciunt ea, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus. Itaque in illis imaginibus fornicationum omnis omnino plebs animo fornicatur. Et qui fortè ad ſpectaculum puri venerant, de theatro adulteri reuertuntur. Non enim tunc tantummodo, quando redeunt, ſed etiam quando veniunt fornicantur. Nam hoc ipſo, quòd aliquis rem obſcænam cupit, dum ad immunda properat immundus eſt. Quæ cum ita ſint, ecce qualia, vt omnes, aut penè omnes Romani agunt. Et cum hæc ita ſint, qui talia agimus negligi nos à diuinitate cauſamur, relinqui nos a Domino noſtro dicimus, cum ipſi Dominum relinquamus. Fingemus enim, quòd reſpicere nos Dominus noſter velit, etiam non merentes, videamus ſi poteſt. Ecce in numera Chriſtianorum millia in ſpectaculis quotidie rerum turpium commorantur. Poteſt ergo Deus illos reſpicere, qui tales ſunt? poteſt ad eos reſpicere, qui bacchantur in circis, qui mœcantur in theatris? An fortè hoc volumus, & hoc dignum putamus, vt cum in circis nos, & in theatris Deus videat, ea quæ nos aſpiciamus; aſpiciunt quoque ipſe nobiſcum, & turpitudines, quas nos cernimus, cernat & ipſe nobiſcum? Alterutrum enim fieri neceſſe eſt; qui ſi nos videre dignatur, vt etiam illa, vbi nos ſumus videat, aut ſi ab illis, quod non dubium eſt auertit oculos etiam a nobis, qui illic ſumus etiam auertat. Et cum hæc ita ſint, facimus hæc tamen, ac ſine ceſſatione quæ dixi. An fortè in morem veterum paganorum Theatrorum, & circorum nos Deum habere arbitramur? Faciebant enim hæc illi quondam, quia has idolorum ſuorum delicias eſſe credebant. Nos quomodo hæc facimus, qui odiſſe Deum noſtrum hoc certi ſumus, aut certè ſi placere has turpitudines Deo nouimus non prohibeo, quin ſine ceſſatione faciamus. Sic verò in conſcientia noſtra hoc eſt, quòd Deus horret, quod execratur, quod ſicut in his ſit paſtus Diaboli, ita offenſio Dei? Quomodo non in Eccleſia Deum colere dicimus, qui obſcænitate ludorum ſemper Diabolo deſeruimus, & hæc generaliter, ac ſcientes de conſilio, & induſtria? Et quæ nobis quæſo, quæ erit apud Deum, qui non caſu, aut imprudentia Deum lædimus, ſed exemplo illorum quondam Gigantum, quos inſanis conatibus ſuperna tentaſſe, & quaſi in nubes gradum tuliſſe legimus. Sic nos per iniurias, quas in omni mundo Deo ſemper inferimus,

mus, quaſi conſenſu publico cælum oppugnamus. Chriſto ergo, ò amentia monſtruoſa, Chriſto circenſes offerimus, & mimos, & tunc hoc maxime, cum ab eo aliquid boni capimus, cum proſperitatis aliquid ab eo attribuitur, aut victoria de hoſtibus a diuinitate præſtatur. Et quid aliud hac re facere videmur, quàm ſi quis homini beneficium largiente iniurioſus, aut blandientem conuicijs cadet, aut oſculantis vultum mucrone transfigat? interrogo enim omnes potentes, ac diuites mundi huius, cuius piaculi reus ſit ſeruus ille; qui probo, ac bono Domino malum cogitat, qui benemerenti conuicium faciat, & pro libertate, cum accepit contumeliam reddat? Abſque dubio maximi criminis reus creditur, qui malum pro bono reddit, cui etiam malum pro malo reddere non liceret. Hoc ergo etiam nos, qui Chriſtiani dicimur facimus, irritamus in nos miſericordem Deum impuritatibus noſtris, propitiantem ſordibus lædimus, blandientem iniurijs verberamus. Chriſto ergo, ò amentia monſtruoſa? Chriſto circenſes offerimus, & mimos, Chriſto pro beneficijs ſuis theatrorum obſcæna reddimus? Chriſto ludibriorum turpiſſimorum hoſtias immolamus, videlicet hoc nos pro nobis in carne natus Saluator mundi noſter edocuit. Exterminentur ergo, nam non debent cum cæteris communicare, vt inquit Cyprianus epiſt. 37. Hiſtrionem, qui in artis ſuæ dedecore perſeueraret & Magiſter perdendorum puerorum id, quod male didicit cæteris inſinuat non debere cum cæteris communicare, cum in lege prohibeantur iure induere muliebrem veſtem docent quemadmodum maſculus frangatur in fœminam. Nullus eſt Sanctorum Patrum, qui hanc nefariam artem deteſtetur, atque abominetur Auguſt. lib. 6. cap. 7. & lib. 2. cap. 6. de Ciuit. Dei. Quales nec Thymelica in ſe admittit obſcænitas loca, vbi ludi agerentur obſcænis vocibus, ac motibus hiſtrionum perſtrepebant, vbi fugalia celebrarentur effuſa omni licentia turpitudinum D. Hieronymus in epiſt. ad Marcellum, & in Hilarione in ſcenis theatralibus vnus, atque idem hiſtrio nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem Arena ſæuiat, circus inſaniat, theatra luxurient, Tertul. lib. 1. in Mar. voluptates Circi furentis caueæ inſanientis, ſcæna laſciuientis Tac. lib. 6. cap. 20. Docent adulteros cum fingunt mimi. Cyprianus epiſt. 103. agentem in ſcena ſtrophas adulterorum, fallacias mulierum, impudicitias, ſcurriles, iocos, paraſitos, ſordidos, ipſos quoque patresfamilias togatos, modo ſtupidos, modo obſcitè, non in omnibus ſtolidos certis nominibus inuerecundos, ſuperinduretur homo fractus omnibus membris, ac vir vltra muliebrem mollitiem diſſolutus, cui ars ſit manibus verba expedire, vt deſaltentur fabuloſæ antiquitatis libidines Lac. lib. 1. cap. xx. Præter verborum licentiam, quibus obſcænitas om-

tas omnis effunditur , exuuntur etiam veſtibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimorum funguntur officio, & in conſpectu populi vſque ad ſocietatem impudicorum luminum cum pudendis motibus detinentur . Flora illa genetrix , & ſancta obſcanitate ludorum bene curat, vt arua floreſcant. Tertul. Apolog. deſpicite Lentulorum, & Hoſtiliorum venuſtates, vtrum mimos , vel Deos veſtros in iocis, & ſtrophis rideatus mœchum Anubim, & maſculam lunam, & Dianam flagellatam , & Iouis mortui recitatum teſtamentum , & tres Hercules famelicos irriſos , ſed & hiſtrionum litteræ omnem fœditatem eorum deſſignant . Item nihil eſt nobis dictu, viſu, auditu, cum inſania Circi, cum impudicitia Theatri, cum attrocitate arenarum Kiſti vanitate. Arnobius lib.7. aduerſus gentes delectantur, vt res eſt dij ſtupidorum capitibus raſis, ſalaputarum ſonitu , atque plauſu, factis, & dictis turpibus faſcinorum ingentium rubore . Iam verò ſi viderint in fœminas mollitudines , eneruantes ſe viros . Item faſcinorum ingentium ruborem clunibus fluctuare criſpatis . Item exiſtimatur tractare ſe honorificè, Flora ſi ſuis in ludis flagitioſas cōſpexerit res agi, & migratur ab lupanaribus in Theatra a profanis etiam accuſati fuere pernicioſi , ac obſcæni hiſtriones, nam vt ait Varro obſcænum, non niſi in ſcena palam dicitur Tacit. lib. 14. ne adhuc publico theatro dehoneſtaretur, instituit ludos iuuenalium vocabulo . Non nobilitas cuiquam, non ætas, aut acti honores impedimento, quominus Græci, Latiniq. Hiſtriones artem exercerent, vſque ad geſtus , motuſq. haud viriles . Quia & fœminæ illuſtres deformia meditatæ . Quare Caſſidorus dicit iure igitur Pop. Rom. notauit, turpes fecit infames hiſtriones, quos etiam leges ciuiles effecerunt , vt in C. lib. 3. tit. 41. lib. 3. Iſidorus lib. 18. dicit theatrum, & proſtibulum idem fuiſſe . Idem verò theatrum, idem & proſtibulum eò quòd , poſt ludos exactos, meretrices ibi proſtituerentur . Quis eſt ille, qui patrum, & præclarorum virorum argumentis non commoueatur . Ego profectò ſatis mirari non poſſum cur Thomas Zarzonius , vir alioqui doctiſſimus, & optimus flagitioſam artem laudauerit, & artifices, qui ſunt luxuriæ ſimulachra, Diaboli inſtrumenta, qui honeſtati, ac virtutibus perpetuum bellum indixerunt . Sed dices Cicero hiſtriones laudauit; reſpondetur, quòd Cicero non hiſtriones, neque artem laudauit , ſed Roſcium, qui plus fidei, quàm artis, plus veritatis , quàm diſciplinæ poſſidebat in ſe, quem vnuſquiſque meliorem virum , quàm hiſtrionem arbitratur, qui ita digniſſimus erat ſcena, propter artificium, vt digniſſima curia, propter abſtinentiam, vt idem inquit . non mirum ergo eſt ſi Cicero Roſcium virum integerrimum, & peritiſſimum delitias ſuas dictitare ſolebat . At noſtrates non delitias, ſed omnium luxuriæ-

luxuriarum fœdiſiſſimam latrinam veriſſimè appellare poſſumus, quos Principes ſeueris decretis expellere, abijcere, exterminare deberent.

Super illa verba non hic mihi primus erga popul. Rom. fidei, & conſtantiæ dies dicendum eſt.

Quàm Principi fides neceſſaria ſit.

Theologi varias aſſignare ſolent acceptiones fidei, & ita quidem, vt alij plures, quàm par ſit, multiplicent, de quo Sotus queritur lib. 2. de natura, & gratia cap. 6. Alij verò pauciores; Alexander Alenſis par. 3. q. 74. membro. 1. ponet vndecim acceptiones, quas ex eodem Alenſi recitat Gabriel in 3. diſ. 23. q. 2. Albertus Mag. in 3. diſ. 23. art. 1. ad 3. ponit quinque Bonauentura in 3. d. 23. in explicatione textus littera B. ponit. 10. Alphonſus a Caſtro in ſum. de hæres. ver. fides hæreſi 2. ponit 7. Vega in tract. de iuſtif. q. 1. ponit nouem, quas omnes libenter omittimus, cum ad noſtrum non pertineat inſtitutum. Rhetorici verò fidem accipiunt pro ijs rebus, quæ ad demonſtrandum iuuant, de qua multa Ariſt. in 1. Rhet. & Albert. mag. in top. col. 2. accipitur, & fides prout contra diſtinguitur ab opinione, de qua Marc. Ant. Natta lib. 1. de animi immortalitate. Apud iuriſperitos fides idem eſt, ac ſecuritas, cuius varia ſunt genera. Primum eſt cum inducia, vel paces cum hoſtibus fiunt, & inimicis inita pacta inter milites, vel Duces, vel alios de quibus DD. in l. conuentionum ff. de pactis, & in l. qui ſeruum, & in l. ſi ſtipulatus fuero §. ſi ſtipulator de verb. oblig. & in l. cum proponas C. de pactis Canoniſtæ in cap. 1. de trenga, & pace. Zaſius in libello de Iudæis. q. 3. Secundum genus eſt, cum Rex, vel Princeps populum aliquem, vel Ciuitatem in fidem recipit, quos libertatis vindices, ac acerrimos propugnatores nominare poſſumus, de quibus dixerunt Bart. in l. 1. C. de excuſat. mun. Iaſon. & Zaſius in l. qui ſeruum ff. de verb. oblig. Canoniſta in cap. recipimus, & cap. ex parte de priuileg. Tertium vſu frequentiſſimum, cum peregrinis, & nautis fides publica datur, promittiturq. vel ſingularis, vel communis maximè a principibus, & magiſtratibus vectigalia recipientibus, de quo Bart. & Alex. in l. ne quid ff. de incendio, ruina. Bald. in l. ſi quis non dicam C. de epiſ. & cler. Dec. conſ. 51. lib. 1. Iaſon. conſ. 147. lib. 4. Canoniſtæ in cap. 1. de reſtit. ſpoliat. Quartum genus cum Iudicis imploratur officium, vt inimicum dolos machinantem, vel de violentia, atque nefaria vi ſuſpectum nobis cauere cogat, vel vt ipſe Iudex contra inimicos nobis præſidium det,

det, qua parte aliquid commune cum ſuperioribus habet, & de hoc l. illicitas §. ne potentiores ff. de off. præſidis. Bart. in l. denunciamus C. de his, qui ad Eccleſias confugiunt. Huic addi quoque poſſet cautio Maritorum, Abbatum, & Dominorum, de qua Bald. & Canoniſtæ in c. ex tranſmiſſa, & c. litteras de reſt. ſpoliat. Porrò nos de quacunque humana fide, quæ ad Principem, vel publicum virum attinet loquimur, non de fide virtute intellectus, ſed voluntatis, per quam opere completur, id quòd promittitur, quæ virtus ſolet etiam nominari fidelitas, & veritas, ſic fides etiam eſt in Deo ad Rom. 3. num quid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit, abſit, eſt autem Deus verax &c. de hac fide loquitur S. Auguſt. in epiſt 19. ad Hieronymum, vbi tractans locum illum 1. Corint. 5. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur; ita ſcribit fides in latino ſermone ab eo dicitur appellata, quia fit, quod dicitur, vbi autem fit, quod dicitur, mentiendi vtique non eſt locus. Ex hac acceptione deriuata eſt altera, quæ fides nominari ſolet ipſa promiſſio, quàm fidelitas adimplet, de qua Poeta 8. Aeneadum. Accipe daq. fidem. definitur autem a Cicerone lib. 1. de off. hæc fides, de qua nos, dictorum conuentorumq. conſtantia, ac veritas. A Franciſco Patritio lib. 8. de Regno cap. 20. promiſſorum, & conuentorum fida obſeruatio, vel mutua exhibitio ſtipulationis. A Lipſio effectus, quòd in nobis ſit dicti, aut promiſſi, quæ profectò maximè in mentibus Principis debet inſidere, qui planè ſimpliciter orationem cum veritate coniunctam debet, & proferre tenetur. Nam Principis ſermonem, nec ambiguũ, nec aſtutum, nec eum varijs egere interpretationibus licitum eſt, ne ludibrio, & ſuſpectui omnibus ſit; ſermo enim iniuſtus cum æger in ſe ipſo ſit, pharmacis indiget aſtutis, quibus etiam ſi animi morbum ab vtilitate proficiſcentem ſubdolè conantur ſanare, tamen haud liberantur, cùm non vitium animi nefarium occultare queant, qui gubernacula Reip. tractant, quoniam palam, & coram omnibus ſit; quod autem apertè fit, clandeſtinam non poteſt nanciſci liberationem, & veniunt in lucem interdum non quæſita, quæ magnum deinceps Principibus adferunt incommodum. Etenim populus, qui magnoperè fidem conſeruandam cenſet, ideoq. Principi credit, & perfidioſum, & nefarium putat fidem frangere, quæ continet vitam, ſi fraudes, & captiunculas in verbis, vel rebus Princeps miſcet, paulatim tacito animi dolore a priſtina beneuolẽtia ſe remouet, ac ſeparat; quam & ſi acerbiſſima pœna timore aſpectu coloratam, ac illitam oſtendit, attamen ſi tempus aliqaid ei conceſſurum eſſet, proculdubio animum populi mutatum Princeps ruina ſua cognoſceret. Quamobrem iniquum, & impium eſt Principem, qui ad vnguem omnia promiſſa

ſeruare

ſeruare oportet, nec verba reuocare, neque fallere; neque impedire effectum, & nec quodcumq. nutu capitis confirmauit, nec pactum ex præſtantiſſima virtute promanans mendacio labefactare. Indigni enim ſunt eiuſmodi Principes dominatu, ac audaciter dicam tyranno peiores mihi videntur, vt Cleomenes Lacedamon. Rex, numquàm ſatis vituperatus, qui cum ſeptem dierum, vt inquit Fulgoſius lib. 7. cum Argiuis inducias feciſſet, tertia nocte, cum Argiui ſecuri agerent, nihil per id tempus verentes, Cleomenes in eautos adortus, magnum eorum numerum cecidit, atque cœpit. Cum autem perfidia Argiui eum arguerent, ſeptem dierum ſe inducias dixit pepegiſſe, de noctibus nullam prorſus feciſſe mentionem. Hoc reſponſo perfidiam ſuam ex parte valere voluit, quàm tamen totam tegere non potuit. Itaque quem a mendacio alieniſſimum eſſe oportebat, mendacium ipſum commoditatis ſuæ cauſa amplexus eſt. Quot Principes hunc imitantur mendacia introducentes noua, ac inuſitata pietate, ac charitate inducta, vt commodè aliquid vſurpent, qui non inuitè, ſed ſpontè mendacia eligunt, quiq. interim amicis deſtituuntur malorum chorum conſequentes. Licita Principi ſunt ea mendacia, quæ nemini poſſunt obeſſe, & quedam venia eis impertitur, qui neceſſariæ commoditatis cauſa mendacium ſequuntur, ſi tamen abſq. peccato poſſunt committi. Sed eis inboneſta negantur, & ea, quæ & ſi cæteros quidem non lædunt, dedecus tamen ipſius vtentis eſt, cum imbecille ingenium, infirma facultas excuſare non poſſint, quæ a praua voluntate oriuntur, cuiuſmodi ſunt occultare in corde ſententiam, & aliam proferre, res quidem Principi exoſa, quam inferni porta, vt inquit Homerus. Non putent Principes mendacia arte aulica occultare, quia nullum mendacium, vt ſapientiſſimè Sophocles procedit ad ſenectutem aui, non inuenient malitiam alieniorem a conuerſatione hominum, quàm perfidia; libidinetur Principes, apud homines, & ſi non apud Deum excuſabuntur, leges quibus parere tenetur refellat; excuſatur, dominus eſt. Iuſtitiam non exerceat, miniſtris attribuitur, abundantia langueſcat, terræ ſterilitatem accuſabis, ſubditos oneret, neceſſitas id exiget. pecuniam cumulo addat, bella regnis continuò imminentia efflagitant, ſit ipſe ſuperbus, potentia ſuperbiam generat, ſit auarus, parcum dices, amans aliquid iuuentuti conceſſeris, & libertati, ſit deditus gulæ nullum munus ipſa impedit, inuidus eſſe non poteſt, inuidia enim ſolum præſtantiora tangit, ſed potentiori inuideat, emulationem eam vocabis. Tandem ſi animo omnia perpenderis, nullum inueneris, quod in bonam partem præter mendacium verti non poſſit, & ſi hoc exceperis, omnibus remedia adſunt. At non ſtare promiſſis, infidelis Principis eſt, gaudere ſe eſſe

mendacij ſtudioſum, & ſe, & eos, in quos inciderit, fallere impij hominis eſt. quid eſt princeps ſine fide, regnum ſine iuſtitia, quia fides iuſtitia fundamentum eſt, qua violata; vt inquit Theod. 1. cap. 15. tollitur inter homines commerciorum vſus. Turpe eſt plebeio fallere, turpius Patritio, turpiſſimum Principi, fraude boni ſpecie colorata lædere, quam duriſſimam veritatem dicere, quam blanda mendacia loqui maximoperè dedecet, potiusq. mortem appetere, quàm fidem frangere; nam vt ille, vre, occide, non prodam; ac apud Perſas, vt legitur in lib. 2. cap. 19. Alexandri ab Alexand. nihil fide antiquius fuit, quam tanti facere, vt humanam ſocietatem cum fide tolli crederent; & ideò Numas Pompilius, cum Romanæ iuuentutis bellicoſos, acresq. ſpiritus, & feroces animos incuſſo Deorum metu remollire, ac retundere cuperet, omnium primum fidei templum conſtituit, illamq. Romanis Plutarco autore maximum eſſe iuſiurandum demonſtrauit. Proinde cum ad id ſacrarium flamines bigis curru arcuato, ac veluti fornicato vehi iuſſiſſet, manu quoque ad digitos vſque inuoluta rem diuinam facere voluiſſe, ſignificantes ſymbolicè fidem tutandam eſſe, ac eius ſedem in dexteris eſſe ſacratam. Quare rectiſſimè Cicero ſcripſit, nullam rem vehementius continere rem publicam, quàm fidem. quam quidem omni rectè ſeruare ex ſacra Scriptura Princeps tenetur. vt Ioſu. 9. 19. dicit iurauimus ei in nomine Dei Iſrael, & idcirco non poſſumus eos contingere. maximo enim periculo frangitur, vt habemus in Ezech. 17. 16. & qui diſſoluit pactum, numquid effugit; viuo ego dicit Dominus, quoniam in loco Regis, qui conſtituit eum Regem, cuius fecit irritum iuramentum, & ſoluit pactum, quod habebat cum eo in medio Babylonis morietur. & ibidem 16. ſpreuerat iuramentum, vt ſolueret fœdus, ecce dedit manum ſuam, & cum hæc omnia fecerit non effugiet. Ex quo quidem patet Deum magnoperè in eos animaduertere, qui iuramentum violant, & fœdus ſoluunt. Impium enim eſt, & difficillimum perpeſſu ſub publica fide, & præſertim iuramento confirmata, & corroborata falli, ac decipi, cauſasq. fictili artificio inuenire, cur pacto non ſtent. At laudabile quidem eſt, ac regni certiſſimum, & perpetuum fundamentum ſtare promiſſis, vel hoſtibus, vel amicis, vel cuicumque pollicitis, eosq. adiuuare, quos in cuſtodiam, ac tutelam ſuſceptos fuiſſe conſtat, in quo quidem valere eſt Caroli V. exemplum, qui promiſſam fidem Franciſco Sfortiæ Mediolanenſium Duci conſeruauit, qui cum accepto a Carolo V. vt extat apud Galeacium capellam lib. 8. fidei publicæ diplomate, Bononiam ad pacem cum eo ineundam profectus eſſet, vbi primum ad conſpectum Cæſaris, venit orationemq. habuit, reddidit ei diploma nulliſe

rei magis confidere, quàm benignitati, clementiæq. ipſius, dicens. Nec te fiducia tua fefellit, qui etiam impio, ac ſceleſto Martino Luthero fidem præſtitit, nec illum abominandum, & ex omnium ſcelerum colluuione hæreticum natum fefellit; nam vt ait Ambroſ. 2. de off. fides etiam perfidis præſtanda eſt, inter bella, vt Silius

— — — optimus ille
Militiæ, cui poſtremum eſt primumq. tueri
Inter bella fidem.

Inter hoſtes, vt de Attilio reg. ſatis conſtat; ac de Ioanne Gallorum rege, qui, vt ait Fulgoſius lib. 1. cap. 1. prælio victus, captusq. apud Pictones ab Edouardi III. Britannorum Regis filio Galliæ principe, poſtquàm magna vi auri, atque locis quibuſdam redemptionem ſuam pactus, data fide ad ea paranda, quæ ex pactione debebat redire Galliam permiſſus eſt, cum domi inueniſſet nimium hac re regnum grauari, neque ea adeſſe, quibus ſeruare promiſſa poſſet, in Britanniam reuerti decreuit, vt fidem ſeruaret, & fieri poſſit ſummam pactam cum Brittannicis minueret. Itaque in Brittanniam reuerſus, breui in aduerſam valetudinem incidit, atque deceſſit. ſic & Genuenſes vt idem refert lib. 6. poſt longum, ac graue bellum, quo inter ipſos, & Venetos tertiò decertatum fuerat; vbi auri, aut ſanguinis vis immenſa effuſa eſt, cum occaſio ſe obtuliſſet, magno ſuo commodo rei fœliciter aduerſus Venetos gerendæ, fidem inita paulo ante pacta Venetis datam commodis, doloriq. acceptorum, in bello malorum antepoſuerunt. Nam Cretenſes, Venetique, qui Cretam incolebant conſpiratione facta a Venetis defecerant, ac Genuam legatos viros grauiſſimos miſerant, qui inſulæ deditionem facerent, ea autem expeditio, & ſi nullius periculi, magniq. commodi futura videbatur, minoremq. ob cauſam finitum paulo ante bellum aduerſus Venetos ſuſceptum fuerat, tamen legatis reſponderunt. Vehementer dolere, quòd integra fide, ob pacem cum Venetis factam, ea quæ Cretenſes offerebant accipere non poſſent, quamquàm adeò recens ea pax confecta eſſet, vt multi vulnera, quæ ab illis acceperant, nondum ad cicatricem perduxiſſent. Cauſa cur tantoperè fidem ſeruare debet, eſt quietus dominandi ſtatus, ſcandalum, & periculoſum exemplum, quod omnibus præſtat, nam & ipſos miniſtros falſos reddit, membra enim a capite mouentur. Quod oſtendit Salamon Prou. 29. Si princeps delectatur mendacio, impios tandem miniſtros habet, & Oſæas 4. Qualis ſacerdos, talis populus, & Gregorius c. præcipuè. 11. q. 3. ſcire Prælati debent, quod ſi peruerſa vmquàm perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot digni ſunt, quòd ad ſubditos ſuos perditionis exempla tranſmittunt; & Plato, ac Iſocrates, vt refert

fert Volater. philologia lib. 30. tales ſolent eſſe ciues, quales in Rep. principes, & Cic. de legib. perniciosè merentur de Rep. vitioſi principes, quòd non ſolum vitia principes concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in Ciuitatem, neque ſolum obſunt, quòd illi ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrũpunt, plusq. exemplo, quàm peccato nocent. Itẽ Claudianus.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Quamobrem de data fide, omnibus præſtanda nullum decet bonũ virum dubitare, cum hæc natura ſit lex l. 1. ff. de pact. qua nemo ſolutus eſt §. 1. & fin. Inſt. de vir. nat. & ciu. Iaſon in l. 1. ff. de pact. rectè igitur. Vlpian. graue eſt fidem fallere in l. 1. ff. de conſt. pec. nihilq. magis debetur homini, quàm pacta ſeruare, quod probat Bald. conſ. 371. lib. 3. & in l. 1. ff. de pact. ait fides hominibus ſeruanda, qua nihil maius inter homines. Mart. Laudenſ. de conſiliarijs Principum num. 2. & de Principibus num. 52. 57. allegans Valerium maximum ſcribit tria fecerunt Romanos dominari, ſaluum conſilium, ſecreta tacendo, & dictis ſuis pertinaciter inhærendo, non frangendo fidem. & Val. Max. lib. 2. cap. de priu. fide ducit Romano ſanguini fidem præſtare conueniens fuiſſe, nec licuiſſe fallere, vel decipere hoſtem, notariq. hanc perfidiam a cenſoribus, vt de decem illis patet, quos poſt Cannenſem pugnam iuratos ad Senatum miſit Annibal, vt refert Polybius. ex decem enim nobilibus, qui tunc erant miſsi nouem reuerſi ſunt a Senatu, re non impetrata. Vnus verò ex decem, quaſi aliquid eſſet oblitus, in caſtra reuerſus, & poſtea diſcedens iuramento ſe ſatis fecíſſe putabat, ſed fraude a Romanis intellecta veteratorem callidum, vinctumq. ad Annibalem duci, vt pœnas perfidiæ daret voluerunt. Ac de perfidia ait lib. o. Val. Max. efficaciſſimas eſſe vires mentiri, & fallere, & tantum incommodi humano generi afferre, quantùm bona fides præſtet. Atque Dion, qui Romanam ſcripſit hiſtoriam de principe ait. Præter omnia ſit veritatis, ac ſimplicitatis amicus, eamq. vti regiam virtutem conſectetur, aſtutiam verò, ac fraudem vti ſeruilia; putet cui conuenit hoc Appollonium mentiri illiberale, veritas generoſa, & Iſocrates oratione ad Nicolcem Regem ita ſcribit. Quæ dicis, aut recipis te facturum tãquàm rem ſacram obſerua. Item Iouianus Pontanus in lib. ad Alphonſum ſcribit, quæ promittas, & cui promittas videto. Ex quibus omnibus patet nihil antiquius veritate ipſa Principi eſſe debere, quod declarat mos a patribus noſtris prudentiſſimè inſtitutus, vt liber Euangeliorum, quo diuina continetur veritas diebus ſingulis Principi oſculandus offeratur, cum in re diuina adeſt, vt ex eo colendæ veritatis admonitus meminerit ſtudioſiſſimum ſe eius eſſe debere, atque Nigidius, vt refert Gellius lib. 11. cap. 11. inquit vir

bonus præſtare debet ne mentiatur, prudens ne mendacium dicat. & decet Haroas, & præſtantes viros non ſolum non mentiri, ſed & mendacia odiſſe, quemadmodum Dauid Pſal. 101. canit, non habitabit in domo mea, qui facit fraudem, & qui loquitur mendacia non ſtabilis erit in conſpectu meo. Et Iuſtin. in auth. vt in priuat. domibus dicit veritatis ſolummodo ſumus amatores, ac in auth. de executoribus inquit calumniam odimus, & apud Homerum ait Achilles ſe perinde, ac mortem odiſſe eos, qui aliud ſentiunt, aliud loquuntur. Volater. Philolog. lib. 28. hoc carmine expreſſit.

Hoſtis enim ille mihi ſimul vſque ad limina ditis,
Qui ſimulans aliud menti contrarium fatur.

Atq; Pontan. de obed. lib. 4. c. 9. ſcribit apud Tyrannos veritas minimè tuta eſt, regũ aũt propria eſt veritas, eleganter quoq; de fide ſeruãda. Silius.

Fœdera mortales in ſæuo rumpite ferro.
Sed caſtam ſeruate fidem fulgentibus oſtro,
Hæc potior regnis dubio, qui frangere rerum,
Gaudebit pacta, ac tenues ſpes liquet amici
Non illi domus, aut coniux, aut vita manebit
Vmquam expers luctus, lacrymæq. eget equore ſemper
Ac tellure præmens aget ægrum noctèq. dièq.
Reſpecta, ac violata fides.

Equidem vnica clades Vladiſlai Regis, qui quorumdam perſuaſionibus fidem rupit Turcæ, omnes principes deterrere debet a cauillationibus quorundam, qui ludere ſolent perfidia, & ſimulationibus. Præterea principes doctrinam Ariſtotelis rectè perpendere debent, qui Alexandrum hortatur, vt fidem datam, & fœdera confirmata obſeruaret, alias malum conſecuturum finem; nam ſi in priuatis veritas firma, in principe firmior eſſe debet, variatio enim, & inconſtantia in Principe, & Rege præcipuè reprobatur, quia in Principe tamquàm in fonte iuſtitiæ debet eſſe conſtans voluntas, & principibus cõuenit illud verbum, ſemel locutus eſt Deus, & quod ſcripſi ſcripſi, & ideò debent vnum habere calamum, & non plures, quia ſcriptum eſt, quæ proceſſerunt a labijs meis, non faciam irrita, debetq. eſſe immobilis, ſicut lapis angularis, & polus in Cœlo. Denique tradunt Caoniſtæ violatorẽ fidei eſſe periurum. Archid. 22. q. 1. c. in ſumma Innoc. in c. & ſi Chriſtus; de iureiurando, & licet crimen periurij ſit graue in omni homine, tamen in principibus eſt grauiſſimũ. Innoc. in c. ad apoſtolicæ de re iud. teſtator. Certum eſt ad alium, quam ad Principẽ populum non poſſe confugere, ad cuius ergo fidem confugiet, cum ob eius fidem homines lædantur, confugient ne ad principem, cuius manus plenæ ſunt perfidia, ad quã quotidie perducitur; non eget populus ſermo-

ſermone obſcuro, vel ambiguo, ſed claro, & aperto, quod & facillimè audiri, & exequi ſine metu, vel pœna poſſit. Quibus de cauſis, principes ſe ipſi perſuadere deberent fidem nemini violare, alioquin verſipelis oratio omnes ad inuidiam, & odium excitabit, eritq. non ſalus, ſed Ciuitatis, ac Reip. pernicies. Quare Princeps, vt ait Gulielmus in ſumma virtutum tardè promittendum, & maturè tunc præſtandũ; quemadmodum enim luna a ſole, ac ſydera, ſtellæq. omnes lumen accipiunt, ſic omnes etiam virtutes fulgent a fide ſi ſanctè colatur, ſine ea enim omnes regum virtutes obſcuriores fiunt vt inquit Patritius.

Nihil vt ait Guicciard. hip. 12. principe, aut Rep. indignius, quàm fidem datam non ſeruare, perfidia regis totum eius regnum exoſum reddit, & vt vita ſemel amiſſa, numquàm reuertitur, ſic nec fides; qui perdit pecuniam habet, in quod ſe ſeruet, qui fidem nihil cui ſe ſeruet, habet, ex fide non ſeruata, ſemper exitus malus, vt inquit Ariſt. fide enim, & hominum ſocietas Ciuitatum domicilia, gentium vniuerſalitas, regum dominia conſeruantur; ſine fide homines in errore incidunt, & tamquàm beſtiæ exiſtimantur, omnia ſine hac vana, & mendacia ſunt, & cætera virtutes ſine illa degenerant; fides igitur numquàm erit violanda, aut nulla ex parte labefactanda. Cum Deus ipſe ex promiſſione obligetur, vt concludit Magiſter ſent. relatus per Cynum in l. digna vox C. de ll. & per Bald. in l. 1. ff. de pactis, quos ſequitur Marc. Ant. Peregrinus de iure fiſci lib. 6. tit. 1. num. 9. nam fides violata cuicumque fuerit data, tandem à Deo punitur, vt inquit Philip. Cumineus, & fides hoſti ſeruata, quem fallere potueris, magnam probitatis apud omnes laudem, & magnum, vt alios ad te allicias momentum habet, vt idem dicit, & ſtabile, ac æternum facit imperium, vt Q. C. ſcriptum reliquit, & hoſti magis, quàm alijs ſeruanda. Benedict. Ariamont. cap. 1. de varia Repub.

His de cauſis iam de ſe opinionem in animis hominum excitare princeps debet, vt nudis verbis ſanctius præſtare promiſſa credatur, quàm, quæ alijs iureiurando pollicentur. Hip. a Collib. c. 10. de principe; & abſint illa monſtruoſa verba Macchiauelli cap. 8. & 15. fides, clementia, liberalitas, omnes denique virtutes ſunt damnoſæ Ciuitati, principi peierare, fallere, & diſſimulare ſine vlla dubitatione licet; nihil turpe videri poſſe, quod cum Reip. ſalute coniunctum. Ità principi ſeruandam fidem, vt cum id communis vtilitas flagitauerit, eam violare non dubitet &c. quæ verba fatua ſunt; nam imperij fundamentum eſt honeſta fama, ſubditorum beneuolẽtia, & principis autoritas, at cuius quæſo fama, cuius autoritatis erit Princeps, ſi fœdifragus, ſi diffidens, ſi diſſimulans, ſi periurus, vel ſi ſit quamdiù

quaſo duratura. Nullum ſimulatum diuturnum, vt Hip. ait; tum Ribadeneyra concludam, quòd admodum conueniens, atque adeò neceſſarium eſt, vt princeps Chriſtianus multam cautionem adhibeat, & attentiſſimè conſideret, quid dicat, promittat, iuret, ſed poſtquàm autoritatem ſuam adſtrinxerit, eam non negligat, ſed firmè, & conſtanter promiſſum, & iuſiurandum ſeruet. hocq. ſibi certo perſuadeat in fide maximum eſſe poſitum momentum ad dominationem retinendam, & nominis exiſtimationem ad opes parandas, ad inferiores obedientiæ metuſq. frenos comprimendos, & primum quidem ad famam exiſtimationemq. valet, quoniam de eo principe, quem fidei religionem colere norunt præclarè omnes ſentiunt. Ad opes, remq. augendam prodeſt, nam vt quis æs alienum rectè diſſoluit, ſic princeps, cuius verbo fides tribuitur, non ſuarum facultatum dumtaxat eſt dominus, ſed & alienarum, frequenter enim incidere ſolet, vt exercitus longè diſtans pecunia, cõmeatu, alijſq. rebus neceſſarijs inſtruendus ſit, nec pecuniæ tàm cito cogi, aut illuc tranſmitti poſſint, quàm res, & occaſio poſtulant: qua difficultate ſi facilè explicabit Principis fides, illic enim quiuis (ſi in fide, & promiſſo conſtantem nouerit) ſuas pecunias ſponte dat mutuas, eiuſq. verbum pro certis, magniſq. pignoribus arbitratur: alioquin ſibi quiſq. conſulit, ac cauet, ac facultates ſuas diligenter reconditas aſſeruat. Hinc naſcitur, vt Princeps habeatur potentior maiori obſeruantia colatur, & timeatur magis, quæ omnia ad dignitatis ſtatum conſeruandum maximo ſunt adiumento. Conducit etiam principis fides ad rectam conſcientiam, ad autoritatem, & vt alij principes eius verbis fidant, populares verò illuſtre exemplar habeant, quod in re tanti ponderis imitentur. Hæc autem eò magis neceſſaria eſt, quò corruptiora ſunt noſtra tempora, in quibus homines nullo numinis metu paſſim iurant, peierantq.

Cæſar clementi reſponſo liberis, propinquiſq. eius incolumitatem, &c.

Super illa verba vnam in armis ſalutem, ſed ea conſilio temperanda dubitatur.

Vtrum bella fortuna, an conſilio gerantur, ac de multis ad bellum attinentibus.

SVbdifficilis hæc quæſtio videtur ob autorum incertitudinem; multi enim id fortunæ attribuunt. Liuius enim dicit fortunam

per omnia humana, maximè in res bellicas potentem eſſe, & 30. cum tuas vires, tum vim fortunæ, martemq. belli communem propone animo. & Seneca.

Licet omne tecum Græcię robur trahas.
Licet arma longè miles, ac latè explicet
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.

Curtius de Alexandro loquens, quoties illum fortuna, quoties temerè in pericula vectum perpetua fœlicitate protexit. Plutarchus Timoleontis geſta fortunæ adſcribit primo enim ait tantus ibi ſtatim in deſignando ei effulſit fortunæ fauor &c. paulo poſt, teſteſq. ex corona nonnullos citauit ſtupentes artificium fortunæ, quæ aliorum miniſteria alia moueat, & omnia quamuis remota connectat, & complicet his, quæ plurimum videntur diſſidere, nec communione inter ſe ſociata vlla atque aſſiduè illis ità mutuò vtatur, vt viciſſim vnius finis primordium, ſit alterius, deinde, quod verò inſecutum eſt videtur potiſſimum benignitati referendũ acceptum fortunæ, & alibi fortunæ ſuæ, rebuſq. geſtis plus quàm copijs fretus, & alibi, & quidem ille victorias ſuas fortunæ retulit omnes acceptas. Idem multa in lib. de fortuna Rom. Cæſar lib.6. commen. & ſi multum, cum in omnibus rebus, tum in re militari poteſt fortuna. Thucid. lib.3. ipſa quoque fortuna nihilominus adiuuat ad homines periculum impellendos: nam ex inopinato numquam aſtans, ac ſeſe offerens aliquem priuatum hominem, vel infirmioribus opibus inſtructum impellit ad pericula, & Ciuitates integras, eò magis; quò de maioribus agitur de libertate, aut de imperio in alios obtinendo, & lib. 4. quamuis autem fortuna ſit res omnium maximè lubrica, tamen validiſſima in bello videtur. & multi ex antiquis Imperatoribus quidquid proſperè geſſerunt fortunæ attribuerunt, illamq. ipſam fortunam, qua aſpirante res proſperas geſſerunt veriti ſunt, nec iniuria inquit Curtius lib. 11. nam nemo eſt ſatis peritus faber ſuæ fortunæ. Et quòd aliquando vrbes ab hoſtibus expugnatæ non ſint, fortunæ adſcribendum eſſe videtur, & vt alia miſſa fiant, id videre eſt in Annibale, quem fortuna ante vrbis Romæ conſpectum deſeruit. ſed

Quoties fortuna victoribus aduerſaria fuit, quoties in medio victoriæ horrenda tonitrua prorupere, & cum flamma fulgura emicuere, quoties caligo ex collibus, & montibus in prælium delapſa, imbreſq. cum vento, & grandine mixta victorum ora feriuit, ac cum procella nimboſa, ac continua corruſcatione è nubibus excuſſa oculos perſtrinxit. quoties varijs modis fortuna victoriæ curſum impediuit, vel retardauit, quoties cauſæ quædam mediæ, ſubitæ, ac inſolitæ interuenerunt, quoties ſuperbiſſimi exercitus facilimè

minimi cuiuſque præda fuere ſine vllis vulneribus, vel nece, quoties fortiſſimæ ciuitates nulla obſidione coactæ ſe ſe in hoſtium manus dederunt, quoties ſubitæ, ac violentæ mortes Ducibus acciderunt, & eiuſmodi multa. quis ergo hæc fortunæ non eſſe concederet?

Ex aduerſo non ſolum multi, verum etiam & ſupracitati autores bella conſilio, ac rationi tribuunt. Liuius enim 22. Bono Imperatori haud magni momenti fortunam eſſe mentem, rationemq. dominari. Cæſar 1. bel. ciu. non minoris eſſe Imperatoris conſilio ſuperare, quam gladio. Salluſt. Cabili periculo atque negotijs compertum eſt ingenium in bello plurimum poſſe; quare Carthaginenſes, vt dicit Val. lib. 2. cap. 7. Duces bella prauo conſilio gerentes, etiam ſi proſpera fortuna ſubſecuta eſſet, cruci tamen ſuffigebant. Tacitus Suetonium Paulinum laudat ex eo, quòd illi cauta potius conſilia cum ratione, quàm proſpera ex caſu placerent. Suetonius verò de Tiberio dicit, quòd minimum fortunæ, caſibusq. permittebat Aſdrubal; vt ſcribit Liuius miræ artis in ſollicitandis gentibus, imperioq. vi iungendis ſuo plura conſilio, quàm vi gerens. Probus Alcibiadem ex ſagacitate laudat, erat inquit ea ſagacitate, vt decipi non poſſet, præſertim, cum attendiſſet ad cauendum, & idem, Autor affirmat Xerſem victum fuiſſe magis conſilio Themiſtoclis, quàm armis Græciæ. Vegetius ille difficilimè vincitur, qui verè ſcit de ſuis, & aduerſarijs copijs iudicare, nec fortuna, vt inquit Plutarchus id vnum hominibus non aufert, quod benè fuit conſultum. Liuius affirmat, idcirco C. Sempronium conſ. deletum fuiſſe, quia cautè, inconſultèq. pugnam inijt, quia ſubſidijs aciem non firmauerat, non equite apte locato, quæ omnia ad conſilium pertinent. Idem de Valerio loquens, Valerius aduerſus coniunctos, iam in Algido Volſcorum, Equorumq. exercitus ſuſtinuit conſilio bellum, poteſt id etiam probari ex eo, quòd partes belli præcipuè ſunt caſtrametari, agmen ducere, loca capere, præſidia diſponere, aciem inſtituere, ciuitatem obſidione cingere, prælium inire, quæ conſilij non fortunæ ſunt. Et egregios Imperatores prælio viciſſe, hoſteſq. fudiſſe ex hiſtorijs conſtat, quia ſagaci, ac prudenti vſi ſunt conſilio. E contra profligatos, ac expugnatos eos, qui temerè rem geſſerunt, ac ſine vllo conſilio in ſummum diſcrimen exercitum dederunt.

Non deſunt alij, & ex ſupracitatis, qui & virtuti, & fortunæ bella attribuunt. Liuius 22. eſt viri, & ducis non deeſſe fortunæ præbenti ſe, & oblata caſu flectere ad conſilium. Salluſtius de Sylla, atque illi fœliciſſimo omnium ante ciuilem victoriam num-

numquam ſuper induſtriam fortuna fuit, multiq. dubitauere fortior, an fœlicior eſſet. Plutarchus de Timoleonte. Hic quod vi expugnata vrbs fuerit, & citò profugientibus hoſtibus in poteſtatem venerit, id iure cum militum virtuti, tum conſilio attribuas ducis; at quòd nemo ceciderit, nemo vulnus acceperit Corinthiorum hoc proprium eſſe ſuum opus fortuna Timoleontis.

Pro ſolutione notandum hic, antiquos fortunam plurimis modis accepiſſe, quos, & longum eſſet recenſere, & inutile, ſed illud ſolummodo recenſebo, quod ad præſens dubium attinet.

Oportet fatum, & fortunam fateri, vt inquit Lipſius: fatum id eſt prouidentiam, decretumq. diuinum. fatum enim (vt rectè Minutius felix) nihil aliud eſt quàm id, quòd de vnoquoq. noſtrum fatus eſt Deus; non ſolum vt explicat Lipſius c.5. monit. & exempl. Polit. ſed & de rebus omnibus, quæ ſunt, fuerunt, erunt: Is enim, qui omnia fecit, dirigit eadem, mouet, ſeruat, & (vt Termegiſtus ait) tamquàm auriga peritus eſt Deus, currum hunc mundi firmans in ſe, atque alligans, ne incompoſitè feratur. Proſus ita eſt per cauſas medias variè nexas: Prima illa cauſa omnia temperat ſuauiter, prudenter, vtiliter: Quare nec in bonis elatum, nec in malis abiectum eſſe hominem. Conſtans vbique eſto, & volens quædam obedientia decretis diuinis: nam longè præſtat, ait Gregorius Nicephorus lib.8. quietum ferri à ferente fato, quàm obtinendo, velut materiam, & alimentum ei præbere. Hoc enim tale eſt, ac ſi quis ignem metuens ædes iam circumdantem non extinguat eum, ſed ſarmentorum faſces augeat, & oleum effundat. Aut ſi quis furente Borea, & tempeſtate exigua, fragiliq. cymba contra fluctus, & per eos eluctari conetur. Quare vtilitas eſt inquirere leuiter, & modeſtè in fata, & videre quouis illa ſupera noſtra hac trahat quoque ea inclinatione ſe, & conſilia adaptare. Magnus eſt fructus, & prudenti viro vix publica fata, conuerſioneſq. obſcurè ex ſignis, quæ præſunt, vel adhærent ruere, aut vertere hunc ſtatum velint? Conſilia praua, & homines tales erant, & qui ad gubernacula admouebuntur. Relatio, adulatio, vanitas, locum habebunt; probitas, veritas, prudentia exulabunt. Sed, & vt in cythara concentus turbabitur, & obſcura primum mox palam diſcordia erit. Vult attollere omnia alia, locus conſilijs, locus, honoſq. virtutibus, etiam artibus: Denique ſi quid ægri in Rep. ſanatur, ſi quid ſani fouetur, vt qui libram tenet in hanc, aut illam lanceam pondus adijci iubet, & inclinat, ſic Deus, & fortunam temperat, ſed manibus, aut conſilijs ferè noſtris, atque hac ita palam, vt vel hebes mens videat, ſi non præuideat, & dominum arbitrumque terreſtrium rerum ex euentis illum è Cœlo agnoſcat. Quamobrem

rectè

rectè Liuius 4. hiſt. Prohibebunt hæc (inquies) ſed numquàm propter te de Cœlo deſcendent, tibi dent mentem oportet, vt prohibeas. Ex hac autem doctrina ſequitur bella geri fortuna, ſi pro altiore quadam fortuna, idest decreto diuino, idest ipſo Deo ſic volente, & medijs conſilijs noſtris id intelligatur. Nam ſtultum eſt dicere nihil agam; ſed permittam omnia fatis, nam vt rectè Saluſt. in Cat. Non enim votis re, neque ſupplicijs muliebribus auxilia Deorum parantur vigilando, agendo proſperè omnia cedunt. & fortuna ignauos ſpernit, vt inquit Liuius 8. nihil agenti in ſinum de Cœlo deuolutaturum victoriam, aut fortunam eſſe; nam Deus laboribus bona vendit. Et hac ratione Deus fortioribus adeſt, inquit Tacitus 4. hiſt. Et Ouidius, Audaces fortuna iuuat, timidoſq. repellit. Quod ſi triſtè Deus immittat, neceſſariò id ferre oportet. Nam vt Apulei. 9. Metam. nec conſilio prudenti, nec remedio ſagaci diuina prouidentiæ fatalis diſpoſitio ſubuerti, vel reformari poteſt. & vt Velleius lib. 11. cuiuſcumq. fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit. Hoc etiam modo accepit fortunam Plato de virtutibus, quando dixit: fortuna, quæ fiunt, non humano ductu fiunt. & dial. 9. de Leg. fortunæ nullus Legiſlator imperare poteſt, & Marſilius Ficinus in Plat. dialog. de Leg. 11. dicit, quod fortuna proſpera ad Dei prouidentiam eſt referenda. Et ideo Proclus, vt ait idem Marſil. in Plotin. Aenead. 3. lib. 9. cap. 2. definiebat fortunam non temerariam, vel cæcam, quomodo Poetæ, & ſub alio myſterio veterum plurimi accipiebant, ſed diuinam poteſtatem in varium exitum diuulſas cauſas congregantem, quare hoc modo Ariſt. 2. Reth. aſſerit eſſe nobilitatem diuinæ potentiæ, qua ratione Simplicius 2. phiſic. tex. 67. c. 12. dicit fortuna dominatur in cœlo, ac in hoc ſub lunari mundo ſuum imperium maximè pandit, & potiundis magiſtratibus, & rebus proſperis, & aduerſis maximè cauſam fortunam aſſerimus.

Competit fortunæ ſic acceptæ definitio illa, quam Albertus Magnus tradit 7. Ethicorum tract. 2. cap. 4. fortuna eſt qualitas accepta innato, complexione cauſarum a cœlo deſcendens ſecundum natiuitatis periculum, qua quis naturalem accipit potentiam, vel impotentiam ad futuros ſucceſſus, ſi tamen intelligatur fortunam rebus congruere, non è vagis ſtellis, nec a principijs rerum naturalium, nec a nexu naturalium cauſarum, ſed a Deo per illas cauſas, quibus æterna conſtitutione, nexuq. cauſarum latentium, & ante deſtinatarum ſuumquæq. ordinem immutabili lege percurrere. Quarè cum hæc ita ſe habeant, aliqua nunc dicenda ſunt, quæ ad ipſum bellum, ac conſilium attinet.

Bellum iniuſtum nullo modo gerat, quinque autem modis bella

iniuſta

iniuſta geruntur, vt inquit gloſ. in cap. quod autem xxiij. q. 2. ex perſona, vt in Sacerdote, ex re, pro qua non deceat, ex cauſa, quia voluntaria, non neceſſaria, ex animo, & intentione, vt vindictæ, & vltionis gratia, ex autoritate ſi ea deſit.

Antequam bellum ſumat multa animo voluat, multa cogitet, qui bellum machinatur, & parat, res eſt enim, cui maximè congruit Poeticum illud.

—— facile deſcenſus Auerni
Sed reuocare gradum, ſuperaſq. euadere ad auras
Hoc opus, hic labor eſt.

Vtinam ſecum benè cogitarent Reges ſuas curas populorum ærumnas, & ſtrages, euentus bellorum varios, cum ſæpius, quæ facilia videbantur initio difficillimos exitus inueniant, neque enim fruſtra de Aenea dixit illuſtris Poeta

Hic magnus ſedet Æneas, ſecumq. volutat,
Euentus belli varios.

Lentius profectò ſi ſaperent feſtinarent. Petrus Bellus de re militari par. 2. tit. 8.

Bellica prudentia cernitur ante bellum, in bello, poſt bellum ante bellum, in belli apparatu. Romæ vbi de bello coſſ. retulerant decernere in eo genere ſolebat Senatus quantis copijs, quo militum numero, quibus, quotvè legionibus, & per quos duces bellum gerere, & rem bellicam adminiſtrari placeret. delectus item haberi, nouaſq. legiones conſcribi; Ideò Princeps ſolertem nauis gubernationem imitabitur, qui prius quàm portu egreſſus, in altum ſoluat omnibus rebus inſtruit nauim, quo ad eius fieri poteſt, armat, & ornat, mari deinde, ac ventis ſeſe committit. Hip. a collibus in Principe cap. 12. de bellica prudentia in bello, ac poſt bellum in lib. de off. Imperatoris dicemus.

Cum nullum mortalium ſtudium pluribus excipiatur incommodis, atque bellum, etiam, atque etiam proſpiciendum eſt ijs, qui rerum potiuntur Orbis Monarchis, ne temere, atque inconſultè ad arma conuolent, neque acquieſcent rerum nouatoribus, numquàm non bellaturientibus, non ob aliud credo, niſi quod ex plebis ferè extrema calamitate meſſem non portiendo, ac opimum lucrum facere conſueuerunt, ſed vim potius ponant in deliberationem: Et quoniam omnia prius experiri ſapientem deceat, omnis mouendus eſt funis, omnia tentanda ne belletur. Huc nimirum facit, quod Dominus præcepit filijs Iſrael: Si quando (inquit) ò Iſrael acceſſeris ad expugnandam Ciuitatem, offeres ei primum pacem. Quapropter, ſcitum fuerit Aeneam æmularis, belliq. variam expendere ſortem: nam de illo ita Virgilius.

Hic

Hic magnus ſedet Æneas, ſecumq. volutat
Varios euentus belli.

Quod ſi facerent Reges omnes, non ita bellabundi ſe,ſuoſq. inconſultè irent perditum, deinde non deplorarent in poſterum rem præclaris initijs auſpicatam, vel ſua imperitia, vel iniquitate fortunæ afflictam. Imò non illud Flacci toties illis in ore nataret. Heu fortuna quis eſt crudelior in nos te Deus. Vt ſemper gaudes illudere rebus humanis. Petrus Bacherius in ſpeculo militiæ Chriſt. c. 4. Cum nuſquam oporteat Principem præcipiti eſſe conſilio, tnm haud alibi cunctantior erit, aut circumſpectior, quàm in ſuſpiciendo bello, quod alijs ex rebus alia naſcantur incommoda, ex bello ſemel omnium bonarum rerum naufragium oriatur, omnium malarum rerum pelagus exundet. Deinde, quod non aliud malum hæret tenacius bellum è bello ſeretur è minimo maximum, ex vnico geminum, ex ludicro ſerium, & cruentum naſcitur, & alibi nata belli peſtis in proximos etiam, imò in procul etiam diſſitos propagatur.

Bonus Princeps numquàm omnino bellum ſuſcipiet, & niſi cum tentatis omnibus nulla ratione vitari potuit. Hoc animo ſi fuerimus, vix vmquam exiſtet inter vllos bellum. Denique ſi vitari non poteſt res tam peſtilens, tum proxima cura fuerit Principis, vt quàm minimo ſuorum malo, quàm minimo Chriſtiani ſanguinis impendio geratur, & quàm poteſt ocyſſimè finiatur: Primum illud expendat Princeps verè Chriſtianus, quantum interſit inter hominem paci, ac beneuolentiæ, natum animal, & inter feras, ac beluas prædationi, belloq. natas. Ad hæc quantum interſit inter hominem, & hominem Chriſtianum. Deinde contempletur, quàm reuerenda, quàm honeſta, quàmq. ſalutifera res ſit pax. E diuersò, quàm calamitoſa ſimul, & ſcelerata res bellum, quantumq. malorum omnium agmen ſecum trahat, etiam ſi iuſtiſſimum ſit: ſi quod omninò bellum iuſtum vocari debet. Poſtremò ſepoſitis affectibus, vel tantisper rationem in conſilium adhibeat, dum verè ſupputarit, quanti conſtituturum ſit bellum, ac num id, quod bello denique petitur tanti ſit, etiam ſi certa ſit victoria, quæ non ſemper optima cauſa fauere ſolet. Expendat curas ſumptus, Pericula moleſtum, & longum apparatum. Accerſenda barbarica fex ſceleratiſſimorum hominum, & dum Princeps erga Principem animoſior videri velit, etiam data pecunia, blandiendum, ac ſeruiendum militi mercenario, quo quidem hominum genere non eſt aliud vel abiectius, vel execrabilius. Nihil bono Principe carius, quàm vt ſuos habeat, quàm optimos. Atque maior, aut præſentior morum pernicies, quàm bellum? Nihil Principi magis in votis, quã, vt ſuos incolumes, ac rebus omnibus florentes videat. At dum bellare

diſcit

diſcit iuuentutem tot periculis obijcere cogitur, & vna ſæpè hora tot Orphanos, tot Viduas, tot orbos ſenes, tot mendicos, tot infelices reddit. Quidam.

Maximis pecunijs non fidat, quia nulla eſt tam ingens pecunia, quam bellum non deuoret, eſt enim bellum indefinitum, vt oſtendit Archidamus in Thucid. cui in bello Peloponenſiaco ſocijs rogantibus quanta pecunia futura eſſet ſatis, ac poſtulantibus, vt certum modum tributorum præſcriberet, bellum inquit non quærit definita; ſignificans eos, qui bellum ſuſceperunt oportere per omnia ſeruire belli neceſſitatibus, quarum nullus eſt certus modus.

Deus eſt prius inuocandus in periculis, & bellis ſuſcipiendis Hero. lib. 7. nam abſque Dei inuocatione bella ſuſcepta ferè ſunt infœlicia. Zach. enim 4. legitur non in exercitu, non in robore, ſed in ſpiritu meo dicit Dominus exercituum.

Itaque quoniam pro Dei victoria, belli diſpenſantur euentus ſubſidiarium eius auxilium ſedulò implorandum eſt, vt inquit Bacherius in ſpeculo c. 5. & ſi quid mordet animum, ſi quid infeſtat, ſi quid perſequitur ſtatim ſublatis anchoris, & erectis velis ad eum, tamquàm ad portum tutiſſimum confugiendum, ad illius plorandum auxilium, ille noſtris humectandus lacrymis, pulſandus affectibus, vrgendus precibus, vt vel præſentem, vel impendentem neceſſitatem velit amoliri, denique ad illum plena, & porrecta fiducia commigrandum.

Poſtquàm decretum eſt ius ſuum bello proſequi, non eſt mouendum priuſquàm denuntiandum, ſic per Græcos Principes Menelaum, atq; Vliſſem Troiam miſſos Helenam repetitum ſcribit Homerus. Hi erant Romanis feriales, iuſq. hoc feriale vocabatur, quo iure inquit Cicero nullum poteſt eſſe iuſtum bellum, niſi quod aut repetitis rebus geratur, aut denuntiatum prius ſit, atque indictum. Quæ dilatio temporis intercedere ab indicto bello ad motùm, & geri cœptum apud Autores non inuenitur ſtatus eſſe dies; ipſa tamen naturalis ratio dictat æquum eſſe, vt aliquid intercedat temporis, quo quis ſe præmuniat, & defenſioni præparet, vix enim a dolo, & perfidia excuſaretur, qui eodem ferè momento, & indiceret, & aggrederetur Bellus de re milit par. 2. lib. 8. illud autem, quod dicit Guido in deciſ. CXCI. inter cætera tridui dilationem requiri non probatur.

Et ſi triplex eſt bellum Bald. in l. 2. nu. 71. C. de ſerui. inuaſionis ſcilicet, defenſionis, & recuperationis, & Vincentius Dinus in 1. lib. 3. Dec. Tit. Liu. quadruplex, offenſiuum, defenſiuum, diuerſiuum, & præuentiuum, vt ita dicam, tamen formaliter omne bellum, aut offenſiuum, aut defenſiuum eſt, & offenſiuum defenſiuo vtilius,

ac melius, quamuis multi contrarium opinetur. Quarè ſi ad bellum deueniendum eſt, offenſiuum Princeps eligat, eſt enim multis rationibus defenſiuo praſtantius.

Primò Alexandri, Annibalis, Scipionis, & Cæſaris, & aliorum ſummorum Ducum exemplis.

Secundò, qui aggreditur, iam omnia determinauit, ac prouidit, alius verò audit, & in audiendo tempus conſumit.

Tertiò, qui aggreditur magis liber eſt in omnibus rebus.

Quartò, quia multis commoditatibus vti poteſt, quas in aliena regione inuenit, poteſt cum ſubditis verſari, & eos ad rebellionem perſuadere verbis, minis, ac armis.

Quintò, quia populis magnum incutit timorem, & inuaſi omne conſilium irritum facit, & nullum rerum ordinem ſeruat, inuaſus opprimitur a neceſſitate, omnia ſuſpecta habet, omnia, quæ tractat, difficilia videntur, & ea conſilia tamdem amplectitur, quæ amplius exequi non poſſunt; cogitatio confuſa ſe, populumq. tuendi maximum timorem incutit, & dum alicui rei remedium adhibet, aliæ maximo damno conturbantur.

Sextò, ſi hoſtis domi expectatur metuendum eſt, ne fugati ditione tota exuamur, quandoquidem clades non ita facilè ſarciri poteſt, aut nouus illico exercitus comparari: alieno contra in ſolo clades leuior Herod. lib. 4. vt refert Melchior Iunius in q. polit. de bello. q. 73.

Septimo, victoria amplior eorum, qui non ſua, ſed aliena in terra bella gerunt pergere ergo non ſolum ad bona occupanda, verum etiam totam ditionem inuadendam poſſumus. Ibidem.

Octauò, Inuaſor totam prouinciam deuaſtare poteſt, & ſi regiones vaſtatæ fuerint, & vires tuæ diſtractæ, lacerataq. multum minuentur, & animi non parum concident; inuaſori verò illa vaſtandi fœlicitas ſubdit ſpiritus, & tuam conſpiciens ſocordiam omnia pro ſua commoditate inuadere audebit.

Nonò, quia regio tua ſummo belli periculo, & perpetuo irruptionum metu ipſa deſeretur. Quis enim agrum ſedulò colet cuius frugibus an vti poterit, cum ſemper in dubio ſit? quis plantabit arbores, quarum fructus, an carpere, & guſtare ſibi licebit, qui neſciat? quis pecora paſcere audebit, qui numquàm a prædonum celerrimorum aduentu ſe ſciat ſecurum? quis deniq. merces inuehere voluerit, cum ſibi timendum ſit, anteaquàm eas vendere poſſit Turcam raptas auehere? quod ſi agricultura deſeritur; negligitur paſtio pecorum arborum plantatio ceſſat, mercatorum negotiatio quieſcit, actum eſt de tua regione etiam fertiliſſima, quæ res in primis curæ tibi eſſe debet, vt inquit Georgius Agricola in orat. de bello aduerſus Turcam, &

& niſi

& niſi Regionis ſalus fuerit ſeruata, tui imperij dignitas diù non poterit ſtare.

Decimò, qui aliena in regione milites ſuos habent maxima neceſſitate conſtringuntur pugnandi, quia vident periculum imminens, atque inde fortiores euadunt.

Vndecimo, qui hoſtem inuadunt ſemper ſunt audaciores, & maior ſpes, & animus inferentis vim, quàm arcentis eſt, & propulſantis periculum. Liuius lib.20. in oratione Annibal.

Duodecimo, quēadmodum, qui veſpas volunt excindere, cum egreſſas infeſtant multarum aculeis traduntur, qui vero ignem admouent, cum adhuc ſunt incluſi in ſuo aluearí tacitè veſpas necant, ita qui domi inuadunt hoſtem, non expectant dum ille veniat fœliciter rem gerunt. Xenop.lib.4.de rebus geſtis Græcorum.

Decimotertio, amiſſo exercitu, citò quoque ſtatus amittitur, & diſſipatus exercitus facilius extra domum, quàm domi reſtitui poteſt.

Decimoquintò, ſi vincit inuaſus vires adeò debilitatas retinet, vt nihil mali inimico poſſit inferre, nec eius negotia turbare.

Decimoſexto, qui expectat, exercitum ſparſum alere oportet, at qui inuadit exercitum habet vnitum, & exercitu vnito tranſitus, ſitus, ac omnia inuaſori patent, atque inde fortior euadit. Si verò exercitum vnitum habere velis, arces, fortia loca hoſti aperta relinquere oportet.

Decimoſeptimo, periculum eſt, ne ſubditi a te deſiſcant, quia imminentia arma tumultuoſos ciues, ac ſeditioſos homines afflictos, ære alieno obrutos ad iniqua agenda impellunt; & populum tuum ita perterrefaciunt, vt vix animus eis remaneat. Sed ſi bellum diſtans eſt, timor longè minor eſt, & ſubditi omnia tibi impertient, vt bellum, & periculum abſit.

His de cauſis quàm periculoſum ſit in patria hoſti dare facultatem vobiſcum pugnandi, exemplo vobis Romani eſſe debent, qui ferè ſemper infœliciter in Italia ſe, & intra tecta defenderunt. Teſtis eſt Roma ipſa a Sennonibus directa, teſtes ſunt Cannæ, quæ multo Romanorum ſanguine manduerunt. teſtis eſt tota Italia, quæ Cimbiorum armis territa, Gothorum dilacerata furore, Hunnorum ſæuitia deuaſtata, Longobardorum impetu occupata fuit, cum Romani longè a domo ita fœliciter geſſerunt bella, vt cunctas penè regiones ſuo Imperio ſubiecerint. In hoſtium igitur regiones ſi veſtris rebus conſultum volueritis copiæ deducendæ erunt, vt inquit Agricola. Hoc tenent præter multos politicos ij, qui de bello aduerſus Turcas ſuſcipiendo ſcripſerunt, vt Georgius Agricola, Iacobus Sadoletus, qui elegantem librum de bello ſuſcipiendo aduerſus Turcas conſcripſit Soranzus in

Ottomano, Marcus Vbertus de vero modo vicendi Turcam. Coſmus Filiarchus de bello, & vnione Principum Chriſtianorum contra Turcas.

Quomodo bellum geras diligentiſſimè perpendas, nam aliquid eodem exemplo, ſine eadem ratione, eademq. fortuna tentare valdè periculoſum eſt. Remigius Florentinus in conſiderat. ciuilibus conſid. 2.

Bella, rebellium, ac exulum perſuaſione ne ſumas, ſunt enim periculorum plena, ac exitus plerumquè ridiculi, ac inanes. Idem conſiderat. 33.

Antequàm bellum ſumas, conſiderandum inter alia eſt, quomodo hoſtis potens ſit, quibus viribus polleat; ſi enim valdè ſuperior eſt melius erit res accommodare, omniaq. tentare, priuſquàm ad bellum peruenias. Nicolaus Vitus de ſtatu rerump. die. 7.

De pecunia maximam curam ſuſcipiat, eſt enim bellorum neruus, & quoniam non defuere, qui eam belli neruum non eſſe dixerunt, videndum eſt.

Vtrum nummi ſint bellorum nerui.

Prima opinio eſt Franciſci Patritij in paral. militaribus cap. 10. lib. 5. qui nummos bellorum neruos non eſſe aſſerit. Probat hanc ſuam opinionem primo exemplis Franciſci Mariæ, & Alphonſi Vrbinatum, ac Ferrariæ Ducibus, qui a Dominio ſuo depulſi non pecunia, ſed populorum amore ſuum recuperarunt. Probat. 2. nummos multis exitio extitiſſe. Probat. 3. Nembrothis temporibus, qui primus bella geſſit, Regnorumq. fundamenta iecit, vſum pecuniæ nondum inuentum fuiſſe. 4. Apud Lacedæmones, qui tot bellorum victores fuerunt non fuit pecuniæ vſus. Non Nini temporibus, non Cyri, quorum prior vniuerſam Aſiam ſubegit; Poſterior verò Medos vicit. Ipſum Alexandrum Magnum exigua pecunia Scytas, ac Tartaros viciſſe, & diuturna bella, ac glorioſa geſſiſſe. Romulum Paſtorem Romam ſine pecunia fabricaſſe. Scandebergum victorem, ac toties Turcarum triumphatorem pauperem fuiſſe; Othomanumq. nullum habuiſſe theſaurum. Probatur deinde Catonis ſtrenui Ducis, ac præclariſſimi, & doctiſſimi viri dicto; bellum ſeipſum alere aſſerentis. Eſt etiam Salluſtij ad Cæſarem, Valerij 4. c. 4.

Secunda opinio eſt nummos eſſe bellorum neruos, ideòq. oportere, vt Principes diuites ſint: eſt Ioannis Boteri pluribus in locis Alphonſi Toſtadi q. 9. Deuter. cap. 17. Ioſephi de bello Iudaico. Aegeſippi lib. 1. cap. 1.

cap.1. Caſſiodori lib.1. Variarum D. Thomæ lib. 2. de regim. Princip. cap.7. Oſorij lib.7. de Regis inſtitutione. Vegetij 3. cap. 3. Thuc. lib.2. Iouius lib.13. Procopius lib. 3. de bello Gothico. Dan. Barb. 1. Reth. cap.13. & noſtri Taciti lib.13. Annal. & omnium, qui de politica ſcripſerunt.

Notandum eſt autem pecuniam, & largè, & ſtrictè ſumi apud Iuriſperitos. Largè pro omni re, quæ poteſt in patrimonio eſſe 2. q.3. c.totum in l. nomine ff.de verb. ſignif. & rei appellatio ſic latior eſt, quàm pecunia: ſtrictè verò accipitur pecunia pro numerata, vel numerabili 14.q.3.c.1.& 4.S.Thom.2.2.q.1. dicit pecuniam formaliter, & propriè eſſe monetam, ſeu menſuram rerum venalium: Impropriè autem, & virtualiter eſt omne, cuius precium æſtimari poteſt pecunia. Hic nos accipimus propriè pro moneta.

Dico primo, pecuniam maximam vim in rebus priuatis habere, ita vt nulla maior in rebus humanis poſſit reperiri.

Probatur pluribus autoritatibus, & primo Ciceronis Ver.5. Abducuntur homines nonnumquàm ab inſtitutis ſuis magnitudine pecuniæ. De ipſo Verre loquens, hæc profert: Omni petitione erat damnatus, ſed pecunia magnitudine ſua ſpe, ac prædicatione abſolutus eſt. Ex quo quidem patet maximam, ac ingentem eſſe pecuniæ autoritatem. Salamon verò ait pecuniæ omnia obedire, omneſq. Reges pecuniæ ſubiectos eſſe, vt vulgo profertur. Rex Regum Nummus Dominus manet, & dominator, & cuncti Reges ſubijciuntur illi. Cum nummus loquitur, omnes loquuntur, cum ſilet, omnes ſilent, eodemq. tempore contraria efficit, quod naturæ haud eſt conceſſum. Sine pecunia nullus eſſet amator, vt ille,

Nummus honoratur, ſine nummis nullus amatur;
Nummus, vbi loquitur Tullius ipſe tacet.

Quod quidem veriſſimum eſt; nam (vt inquit Diphilus) aurum longè validiſſimum eſſe puto; per ipſum enim omnia ſcinduntur, & conficiuntur, nam omnis poteſtas ex diuitijs eſt, iuxtà illud Theognidis. Omnes ſentire ita oportet, quòd omnibus maxima vis, atque poteſtas ex diuitijs accedat, quantiq. momenti inter mortales habeantur noſtra tempora docent. Hæ hominibus comparant honores, amicos, ſupremas dignitates, faciunt inimicos nos diligere, ſine qua nullus, quamuis fortunatus deſiderio potiri poteſt. Peſſimi propter pecuniam inter primos recenſentur, nam nobilitatem, & eloquentiam gignunt, cui nec Platonis copia, nec Ciceronis elegantia, nec Demoſthenis, neque Lelij lænitas, nec Africani grauitas comparari poteſt: Idcirco Horatius.

O Ciues, ò Ciues quærenda pecunia primum,

Vitus poſt nummos.

Ratio cur id aſſerebat, eſt.

Omnis enim res,
Virtus, fama, Decus, diuinaq. humanaq. pulchris,
Diuitijs parent, quas, qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, iuſtus etiam Rex,
Et quidquid volet.

Perſius.

Quiſq. habet nummos, ſecura nauiget aura,
Fortunamq. ſuam temperet arbitrio.

Hinc inquit Apuleius: Omnia quamuis ardua, & difficilia, facilia videri faciunt, & oſtia duriſſimi adamantis nullo negotio ab his confringuntur. Eſt finis laborum, quæ ad capeſſendas virtutes nos allicit, atque illaqueat. E contrario paupertas malè tolerata, ad vitia homines miſerè conducit. Eſt humanarum rerum menſura, hac enim omnia, quæ ſunt metimur, ideò vt Demoſthenes. Quibuſcumq. in rebus nummi ſunt neceſſarij. Seneca vim pecuniæ deſcribit his verbis. Circa pecuniam plurimùm vociferationis eſt: hæc fora fatigat, Patres, liberoſq. committit, venena miſcet, gladios tàm percuſſoribus, quàm legionibus tradit; hæc eſt noſtro ſanguine delibuta; propter hanc vxorum, maritorumq. noctes ſtrepunt litibus magiſtratuum tribunalia premit, Reges, ſeruiunt, rapiunt, & Ciuitates longo ſeculorum labore conſtructas euertunt, vt aurum, argentum in Vrbium cinere ſcrutentur; leges ſilent, vbi hæc regnat.

Quid faciunt leges, vbi ſola pecunia regnat.

Valerius Epiſcopus in quodam ſermone. Nihil clauſum conſtat, quod auro, argentoq. non pateat, nihil occultum, quod pecunia indagante non ſit cognitum. Et Cicero nihil eſt, tàm ſanctum, quod non violari, nihil tàm munitum, quod non expugnari pecunia poſſit. Facetè Menander Epicharmus, Deos (aiunt) eſſe ignem, ſolem, Tellurem, aquas, ventos, ſtellas; Ego verò vtiles Deos ſum arbitratus argentum, & aurum noſtrum; Vbi enim ea in ædibus collocaueris, precare quoduis, omnia dabuntur tibi, ager, domus, famuli, argentea vaſa, amici; Iudices, teſtes; dumtaxat largire, nam ipſos Deos etiam habebis obſequentes; Et rectè Franciſcus Creebus in Mambriano, omnia per pecuniam facta fuiſſe, & Cepolla in tract. de Imperat. deleg. plura priuilegia diuitiarum recenſet, & Platina de falſo, & vero bono lib. 2. & 3. dicit pecuniam conſeruare honorem, ruſticitatemque, ac alios defectus cooperire; ſunt enim ſecundus ſanguis, & viſcera hominis. Quòd conſeruet honorem patet, quia caduca res eſt mundalis honor, & niſi diuitijs ſuſtentetur, vt rectè Aeneas Sylvius

uius epiſt. 71. & diminutis diuitijs, diminuitur honor. Aret. in §. Hac quoque Inſt. per quas perſ. nobis acquir. Hyppol. in §. prætereà col. 6. de quæſt. dicit, quòd diſputare de nobilitate ſine diuitijs, eſt diſputare de nobilitate ſtercorum, & tunc dicitur mortua, vt Bon. in tract. de nobilit. par. 3. col. fin. Qui enim habet diuitias ſatis eſt nobilis, vt Felin. in cap. ſuper eò col. 2. & 3. de teſt. Nam dat cenſus, honores, cenſus amicitias, pauper vbique iacet, vt latè Roſarium Buſt. 2. par. ſerm. 30. littera F. Albertinus de conſilijs dandis lib. 2. in Rub. de paupert. & duabus ſeqq. Aegid. de reg. Princ. lib. 1. par. 3. cap. 5. Pauperes parum honorantur, & parum timentur. Bald. in cap. cum contingat col. penult. de iure, & prærogat. domus conſeruatur per diuitias, ob quod viri nobiles inueniunt vxores nobiliores, per quas eorum generis nobilitas creſcit ſecundum Gul. de Monteferrato in tract. de ſucceſſ. Reg. char. 5. num. 24. Alexandr. lib. 6. conſil. 36. Nec aliquid boni humano poteſt haberi ſine auro Salernit. char. 11. latè Barbat. verò lib. 1. conſil. 43. col. 18. dicit, quòd per diuitias decus, & bonor in familijs conſeruatur, & quòd familiæ ſordeſcunt propter paupertatem, & qui perdit rem, perdit conſilium. Pro quo Platina de nobilit. nil magnanimum poteſt fieri ſine pecunia; nam equus malè paſturatus; malè ambulat, vt Io. de Platea in l. animalia. C. de vir. pub. lib. 17. hinc Iuuenalis.

Non facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat,
Res anguſta domi.

Et vt refert Manutius in adagijs; aquam bibens, nil boni facit, & virtus ſine pecunia nihil valet, vt Philepb. dec. 1. ſat. 10. pro quo Ouid. de arte.

Ipſe licet venias Muſis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Facit & dictum Iuuenalis.

Non habet paupertas durius in ſe,
Quàm quòd ridiculos homines facit.

Quòd ſit vita hominis patet, quia deſeruit humanæ neceſſitati Bar. lib. 2. conſil. 13. Clementiſſimi col. 1. Quare Soccin. in l. 1. colum. 9. ff. ſolut. matr. dicit, quòd melius eſt Rempub. regi per diuites, quàm per pauperes, & Philoſ. 1. Polit. quòd ſine neceſſarijs eſt impoſſibile viuere ſunt enim diuitiæ vita hominis Fabian. in tract. de empt. & vendit. verſ. 9. col. 5. & ſecundus ſanguis. Iaſon in l. vt vini col. 5. ff. de iuſt. & iur; & ſunt viſcera noſtra, vt in Penelope Ouidiana.

Viſcera noſtra tuę dilacerantur opes.

Et bona temporalia ſunt vita hominis, vt Felin. in cap. cum oporteat colum.6. de accuſ. & qui ea auſert, dicitur auferre vitam. Lucas de Penna in l. 1. C. de pub. læt. lib. 12. Hinc dicimus paria ſunt perdere dominium, & perdere vitam. Iaſon in l. Titio num. 13. ff. de verb. oblig. Papa Pius epiſt. 30. ad Ducem Mutinæ; & propter affluentiam diuitiarum Reges, & Principes tradunt filias ſuas filijs ruſticorum, vt dicit Imol. in Clem. 1. col. 2. de baptiſ. Hinc dicimus, quòd mulier diues poteſt capi, etiam ſi ſtaret in proſtibulo.

Paupertas plurimam inſcientiam, & confuſionem generat, ad turpia ducit, vt inquit Xenophon de Athen. polit. ipſa enim paupertas facilè eos ad turpia ducit, & nonnullis contingit, vt eſſent ineruditi, & indocti, propter rei familiaris penuriam. Dicam cum Euripide, qui ait: Argentum hominibus ſanguis, & anima eſt, id, quiſquis non habet, neque poſſidet, ille inter viuos mortuus ambulat.

Diuites potius obſeruant pacta, quàm pauperes, quoniam, vt ait Philoſophus citò flexibiles fiunt, & propter paupertatem quandoque quis eſt ſuſpectus l. ſuſpectus ff. de ſuſpect. tut. Vnde Lucas de Penna notat in l. fin. col. 2. C. de ſpectaculis; quòd quis ob timorem paupertatis de facili peccare præſumitur, & Salluſt. in Catil. ſemper in Ciuitate, quibus opes nullæ ſunt bonis inuident, malos extollunt, vetera oderunt, noua exoptant; & odio ſuarum rerum omnia mutari ſtudent, ergo diuitiæ paupertati præſtant.

Probatur ſecundo, quia pecuniæ referuntur ad iuſtitiam, ſicut iuſtitia ad alterius vitæ præmium, vt Marſil. Fic. in Plat. de rep. dial. 1. vbi Plato ait pecuniarum poſſeſſionem plurimi faciendam eſſe, ergo.

Probatur tertio, autoritate Auerrois, qui Ethic. 4. c. 1. dicit, quòd pecuniæ deſtitutio, hominis eſt mors ipſius; cum vita eius per pecuniam compleatur, ergo.

Probatur quarto, Autoritate Ariſt. dicentis 1. Ethic. impoſſibile eſt indigentem operari bona lib. 2. Polit. Impoſſibile eſt indigentem benè principiari, & ſtudio vacare, quia vt Boetius, Doctrinæ inimica eſt egeſtas, ergo.

Probatur ex communi omnium conſenſu, & aſſenſu, qui diuitias magnoperè tamquàm aliquam humanam beatitudinem exoptãt. Omne enim ſummum bonum diuitias eſſe ſibi perſuadent, vt inquit Beroaldus in Opuſcul. quod de fœlicitate conſcripſit. Diues enim a Diuo deriuatur. Qui enim diues eſt, veluti Deus nulla re egere videtur. At paupertas infœlix exiſtimatur, quippe quæ homines

ridiculos faciat. Et pauper etiam ſi ſit virtute præditus alga vilior eſt, vt Horatius.

Et genus, & virtus niſi cùm re, vilior alga eſt.

Et nullum apud Plutonem, inquit facetè Eurialus crudelius tormentum, aut perpeſſu difficilius, quàm paupertatis recordatio inuenitur, ergo diuitiæ paupertati ſunt anteponendæ. Et ſicut ſine anima homo, ſic ſine pecunia viuere non poteſt. Nam vt Heſiodus: Pecunia anima ſunt miſeris hominibus. Ideò certè Euripides in Erecbeteo: Da operam opibus, nam illæ nobilitatem donant, & nuptijs primarijs potiri in cauſa ſunt: In paupertate verò obſcuritas ineſt, vt cumq. ſapias, & ignominia vitæ. Tandem concludam cum Antiphane dicente; omnia ſanè núgæ ſunt auro comparata: hoc enim ſolum ſemper durare ſolet, idemq. color eius: Amicorum autem mores numquàm eodem modo depingunt fortunæ, opes verò humanos mores, velut index arguunt.

Dico ſecundo, Homini priuato diuitias conuenire, eaſq. paupertate nobiliores, ac præſtantiores eſſe; quidquid dicat Ioannes de Indagine, qui librum de laudibus paupertatis ſcripſit.

Probatur, nam diuites in honoribus cæteris præferuntur, vt habetur in l. bonor §. de honoribus ff. de muner. & honor. cum de honoribus, ſiue muneribus gerendis facultates quoque an ſufficere onere iniuncto poſſint conſiderandum eſt, tex. in l. paupertas, & ibi Gloſſ. ff. de excuſat. tut.

Probatur 2. quia diuites ſunt fideliores. Vnde Iuuenalis.

Quantus quiſq. ſua nummorum ſeruat in arca,
Tantum habet fidei.

Dico tertio, non ideò homines anxiè pecuniam apprehendere debere, nam (vt inquit Plato in Apol.) pecuniam, nec corporum maior cura habenda eſt, quàm animæ, quo & optima fiat. Pecunia enim ad bonum debet ordinari. Diuitiæ enim, vt inquit Clemens Alexandrinus lib. 3. pedag. cap. 6. ſunt ſerpenti ſimiles, quem ſi quis neſcit, inoffensè eminus accipere, beſtiam ſine periculo ſumma cauda apprehendens ea manu circumplicabitur, & mordebit: Ita diuitiæ ſi ab imperito viro apprehenduntur inhærent, & mordent, ſed ſi quis magnificè prabens rectè, & ſcienter eis vtatur illæſus permanebit. Quare non multus labor in auri acquiſitione ponendus eſt, nam id malum eſt Eccleſ. 3. laborauit diues in congregatione ſubſtantiæ, neque ſolicitudo, nam vt Seneca ad Lucillum: Quotidianæ ſollicitudines pro modo habendi quodq. tormento maiore diſcruciant, dum pecunia poſſidetur, quàm dum quæratur, neque timor in cuſtodiendo nam, vt Iuuenalis.

Pauca licet portes argenti vaſcula puri,
Nocte inter egreſſus gladium centumq. timebis,
Et mote ad lunam trepidabis arundinis vmbram;
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Nam hæc omnia a diuinis retractant, vt Greg. 1. Moral. ſolet rerum abundantia tantò magis a timore diuino mentem ſoluere, quantò magis hinc exigit diuerſa cogitare. Et Chryſoſt. lib. de compunct. Sicut impoſſibile eſt, vt ignis inflammetur in aqua, ita impoſſibile eſt compunctionem cordis vigere in delicijs.

Dico quartò, pecuniam bellorum neruum eſſe. Probatur. 1. nam ſine militibus, & armis bella geri non poſſunt, ſed arma, & milites ſine pecunia non inueniuntur, ergo: nemo enim ſuis ſtipendijs militat.

Secundò, multa bella ſine ſanguinis effuſione confecta ſunt ſola pecuniarum vi, ergo.

Hoc confirmat illud Appollinaris reſponſum, cui cum Philippus Macedonum Rex ſciſcitaretur, quomodo hoſtes vincere poſſet argenteis pugna telis, atque omnia vinces reſpondit.

Tertiò, multi Duces, ac exercituum Imperatores, qui prouincias vaſtaſſent, ab inimicis accepta pecunia retro regreſſi ſunt, idq. fuit frequens, ac tritum Florentinorum auxilium, & Genuenſes pauca numerata pecunia ab imminenti Barnaba Vicecomitis exercitu, ſicut, & Veneti ſe liberarunt.

Quartò, ſi in rebus humanis, vt in primo dicendo diximus pecunia tanta autoritate pollet, multò magis in bello, vbi milites pro ea mori non dubitant. Quarè oportet Principem diuitem eſſe. Nam Vegetius 3. cap. 3. anteaquàm incohetur bellum de copijs, expenſiſque ſollicitus debet eſſe tractatus. Et Quintilianus prius eſt parare bellum, quàm exercere. Salamon, vt legitur in ſacra Scriptura 3. reg. cap. 3. & 10. non modo a ſapientia, ſed etiam a diuitijs commendatur, ideò malum eſt Regem non habere theſauros, ne cum neceſſitas ingruerit, cogatur neceſſitas ſubiectos onerare tributis, quare Rex Dauid theſaurum ingentem in ſepulchro ſuo abſcondit, quem multos poſt annos Hyrcanus Pontifex inuenit, quod argumento eſt regias opes non improbari ſine quibus, nec Reges eſſe poſſunt, nec ſubiectos gubernare, aut etiam tueri; & Diuus Thomas lib. 7. de reg. pu. cap. 7. apertis verbis oſtendit pecuniam Regi neceſſariam eſſe, inquit enim diuitiæ ſunt Regi neceſſariæ, atque etiam theſaurus, quia ſine illis congruè regnum non poteſt regere, eſt enim pecunia inſtrumantum rerum agendarum, & quaſi fideiuſſor futuræ neceſſitatis, quia continet omnia ſicut eorum pretium, quod ſi quilibet priuatus ea indiget, Rex quidem multo magis ad hoc magnificentia

tentia virtus Regis propria, magnos ſumptus requirit, deinde Rex debet abundare pecunijs, vt domi ſua prouideat, & ſubditorum neceſſitati ſubuenire poſſit, præterea cum Rex eget pecunia cogitur facere exactiones indebitas. Item ad bellorum ſumptus indiget Rex magnis theſauris, nec obſtat illud Deuteronomij, quo prohibetur, ne Rex habeat auri, & argenti immenſa pondera, quia eſt accipiendum, ne habeat ad oſtentationem, nam ad ſubuentionem Regni omnino eſt neceſſaria, & prohibetur theſaurus immenſus, qui vix congregari poteſt ſine auaritia, & abſque maximis exactionibus, non autem iuſtus theſaurus: Lampridius in Seuero dicit, quòd mendicitas ad omnem deſperationem armatum vocat, & Caſſi. lib. 4. variarum cap. 13. diſciplinam ſeruare miles non poteſt, dum quod deeſt, ſemper armatus reſumat, & Thucyd. ait, quòd pecunijs, potius quàm armis bellum geritur, & eis minimè parcendum ſalutis tuendæ cauſa, & etiam quod à pecuniarum copia, conſilioquè bellum, plerumquè fœliciter adminiſtratur. Et Tacit. 13. Annal. ſcribit crebris populi flagitationibus immodeſtiam publicanorum arguentis dubitaſſe Neronem, an cuncta vectigalia omitti iuberet, idq. pulcherrimum donum generi mortalium daret, ſed impetum eius prius laudata magnitudine animi attinuere Senatores diſſolutionem imperij dicendo, ſi fructus, quibus ſuſtinerentur diminuerentur, omnis enim benè conſtituta Reſpub. continetur rerum æquè, ac perſonarum publicarum, nec priuatarum nexu. Nec enim Reſpub. ſubſiſtere, vt inquit Iac. Bornitus lib. 1. de nummis cap. 4. aut appellari poſſet ſi nihil publicum, ac commune haberetur, quod ad iſtius fundationem, & conſeruationem faceret. Idcirco in quauis rectè ordinata Rpub. quædam bona in communi, & publico patrimonio relinquuntur, quæ moderatores eiuſdem ſæpe ſarta tecta tuentur, & defendunt. Cætera verò omnia priuatis aſſignarunt, quæ vtilitatem in primis priuatorum æquè, ac publicam rem, & ſtatum ſpectant. Quibus prudenter vnitis optimè, & de Rep. & priuata conſtabit.

Ad primum reſpondetur, duas hirundines non facere ver, & pro duobus in contrarium ſexcenta poſſe adduci, & nihil valere in iſtis rebus exemplum, quando, & eadem fortuna, & eadem ratio abeſt.

Ad ſecundum reſpondetur primo, verum eſſe de diuitijs illicitis, & iniuſtis, ac immenſis; quæ iure merito regnorum ſunt exitia, ſecundo, & ſi exitio multis, ſaluti etiam plurimis fuere, nam ſicut ex his quidem vinum biberint, alij bacchantur, alij furiunt, alij minores redduntur, ſic etiam, qui pares habent diuitias, non tamen pa-

riter afficiuntur, quamobrem diuitÿs virtutum, ac prudentiam praeſſe oportet.

Ad tertium reſpondetur, quòd bella tunc ſine pecunia gerebantur, quia ipſa pecunia, vt ipſe ait, in vſu non erat, ac his temporibus, in quibus vſus hominum eſt pecunia neceſſaria eſt.

Ad quartum, pareat mihi Franciſcus, nam apud Lacedæmon. vſus pecuniæ fuit, non quidem auri, ac argenti, ſed ferri, ita voluit Legislator, vt inquit Nicolaus Cragius de Repub. Lacedam. ſuis pro nummis eſſe antiquata omni moneta aurea, ac argentea, vt inquit Plutarchus in Licurgo primo, abrogans omne numiſma aureum, & argenteum ſolo ferreo vti permiſit, & Polybius lib. 7. docet etiam olim fuiſſe ferreum nummum apud Lacedæmonios, poſtea vero ſcribit eos vſos communi nummiſmate, & corium vſum nummorum habuiſſe Lacedæmon. teſtis eſt Seneca lib. 5. de benef. cap. 4. vbi ita ſcribit æs alienum habere dicitur, & qui aureos debet, & qui corium publica forma percuſſum, quale apud Lacedæmonios *fuit, quod vſum numeratæ pecuniæ præſtat. Idem refert Stobæus ſerm. 145. & Nicolaus de moribus gentium. quarè falſum eſt, quod hic autor dicit, nam domi nummi vſum Spartani habuerunt, & quando extra patriam bellum geſſerunt, mutuò ab alÿs pecuniam ſumpſerunt, qua exercitus ſuos alerent, vt in Ageſilao, Cleomene, Lyſandro, & alÿs factum, vt refert quidam.*

Ad quintum reſpondetur, paria eſſe milites ſtipendÿs afficere, ac prædam poſt victoriam diſtribuere, imò hoc tutius; milites enim ſpe prædæ irretiti, omnia belli pericula fortius ſubeunt, & hoc eſt verum vincendi inſtrumentum, quo vſi ſunt illi, quos Patricius recenſet. Sed cum his temporibus labores, & pericula militum tantummodo, præda autem Ducum ſit, mirum haud eſt, ſi milites militiam flocci faciant.

Quòd ad Scandebergum attinet dico, Deum illum ſpeciali auxilio adiuuiſſe, deinde maximas prædas militibus diſtribuiſſe, captiuam enim pecuniam militibus erogabat, vt penes eoſdem præmia, penes quos pericula eſſent, vt inquit Marinus Barbetius, qui res geſtas illius conſcripſit, eiuſq. ærarium erat hoſtibus ager, vt idem paulo poſt refert, ita lætus quiſq. ſequebatur ad accipienda promerita diutinæ militiæ. Aliud enim nihil tum à Duce poſcebat militaris cupiditas, niſi, quod ſua manu cœpiſſet. Hinc ioculanter ſæpe vicini Principes ærarium Scandebergi agrum hoſtilem appellabant. His accedit, quòd pro libertate, quæ homines audaces reddit, milites illi pugnabant, ne a barbara Turcarum tyrannide opprimerentur. Hoc modo intelligitur

bellum

bellum ſe ipſum alere; nam ſi deeſt pecunia, cæteraq. neceſſaria, præda diſtribui debet, vt Annibalem feciſſe legitur, vel licentiam militibus præbere latè, largèq. deprædandi. ex his nummos nerui belli eſſe conſtat.

Et ſi Claudius Coteræus de iure militum lib. 2. c. 2. affirmet vxores militum in exercitu eſſe debere, prohibeat tamen princeps ne ad bellum proficiſcantur, multi enim incommodi ſunt, vt experientia docet, & bellum fœminas omnino recuſat.

Ad bellum fæliciter gerendum fœdera, & ſocietas neceſſaria videntur, quarè ſi tibi conducere videntur illis vtaris. Ariſt. enim reth. 1. cap. 5. monet, vt conſideres, quæ nam copiæ iam parata, aut adiungi paratis queas, quæ ſocij, & amici Reip. & potentioribus hoſtibus nulla ratione commodiori, quàm ſocietatibus, & fœderibus occurri poteſt, & natura ipſa ſocietates, & auxilia communia conquirere videtur, quandoquidem ipſi homines, duplices manus, ſocias aures, oculos geminos tribuit, vt robuſtius perageretur officium, quod duorum ſocietate complendum fuit. Caſſ. lib. 3. epiſ. ſi ineundum eſt fœdus, id potius cum Rep. quàm cum principe, nam reip. determinatio immortalis eſt, vt inquit Boterus de iure ſtatus, at cum principibus facta horum morte finiantur, & irrita fiunt.

Cæſar Auguſtus tanto nomine dignus, lites, cõtentiones odio habuit ſemper, neque niſi ſumma neceſſitate bella eſſe indicenda aiebat, vt refert Eutropius, damnabatq. illos principes, qui ſpe gloriæ allecti, & triumphi cupidi bella exercitant, & illa gerunt. Hæc ſunt hiſtorici verba lib. 7. Adeò denique turbas bella ſimultates exeeratus eſt, vt niſi iuſtis de cauſis numquàm genti cuiquam bellum indixerit iactãtiſq. ingenij, & leuiſſimi dicebat ardore triumphandi, & ob lauream coronam, ideſt folia infructuoſa in diſcrimen venire per incertos euentus certaminum ſecuritatem ciuium præcipitare. Neque Imperatori bono quidquam minus, quàm temeritatem congruere; ſatis celeriter fieri, quidquid commodè gereretur, armaq. niſi maioris emolumenti ſpe nequaquàm mouenda eſſe, ne compendio tenui, iactura graui, petita victoria ſimilis ſit hamo aureo piſcantibus, cuius abrupti, amiſſiq. detrimentum nullo capturæ loco penſari poteſt.

In inferendo bellum cauſas ſuſpicionum occultet, nec principes cum inuaſo fœdus ineant. Bernardinus Mendozza in theorica, ac practica belli. Sed de hoc ſatis: alia leges in tractatu noſtro de Imperatoris officio. de conſilio nunc aliqua.

Vtrum conſultatio celer an lenta eſſe debeat.

MVlta ſunt, quæ magis celeritate, quàm tarditate terminantur, vt ſunt omnes opportuni euentus, & ea, quæ non poſſunt laudari niſi peracta, vt etiam ea res, quæ cunctatione non indigent, cum ijs perniciosior ſit quies, quàm celeritas, & caſus præcipites qui nullum medium conſilium admittunt; Quarè Tacit. de Fabio Valente ità ſcribit, quod inter ancipitia deterrimum eſt, dum media ſequitur, nec auſus eſt ſatis, nec prouidit. Inutili cunctatione agendi tempora conſulendo conſumpſit, & Liuius dum ea Romani parant, conſultantq. iam Saguntum ſumma vi oppugnabatur. labores quoque operariorum nauigationes, itinera, & eiuſmodi; illa etiam, quæ ad malũ tendunt, vt inquit Tac. 1. hiſt. ſcelera impetu, bona conſilia mora valeſcunt. Cæterùm conſultatio multùm temporis requirit, nihil enim magnis conſilijs tam inimicum, quàm celeritas, vt Liuius lib. 31. Porrò non properanti omnia clara, aperta, certa; feſtinatio improuida, & cæca, quare in deliberationibus lentè feſtinandũ, & præſertim in principibus negotijs, quandoquidem à plebeiæ ſortis hominibus, ſi quid fortè fit, vel prætermiſſum ſocordia, vel admiſſum temeritate, quemadmodum iactura leuior, ità, & incommodum, quod acceptum eſt, faciliore remedio ſarcitur, vt inquit Paul. Manut. in adag. at verò principis vel vnica ceſſatio, ſemelve præcipitatum conſilium Deum immortalem quas tempeſtates nonnumquàm excitat, quantas rerum humanarum ruinas ſecum trahit; rurſum ſi adſit maturitas quædam, ac moderatio ſimul ex vigilantia, lentitudineq. temperata, vt neque per temeritatem faciat quidquam pœnitendum, neque per ſocordiam quidquam prætereat, quod ad Reip. commodum pertinere videatur. quid eſſe poteſt hoc imperio fœlicius, firmius, ſtabiliusq. quamquàm hæc fœlicitas haud quaquàm ipſis imperij terminis circumſcribitur, quin vndique longè latèq. ad finitimos populos demanat, hoc dicitur, quia iſtis vitijs ingenia principum ferè peculiariter videantur eſſe confinia. Perpauci enim reperti ſunt, qui tempeſtiuam celeritatem cum prudenti tarditate rectè miſcuerint, niſi, quòd pro multis vnus ſufficit Fabius ille maximus, cui cognomen etiam additum cunctator, qui cum laudem ſibi peperit immortalem, tum Romano Imperio cunctando reſtituit rem, aliorum ducum inauſpicata celeritate iam ad extremũ redactam. Quare ad rem agendam adhibere debet, vt induſtricem

tem celeritatem, & diligentia tarditatem. Quare Octauius rectè dicebat feſtina lentè; nam qui tutò, citraq. lapſum rem gerit, melior eſt quàm audax, & confidens; tutiora ſunt enim, quæ lentis conſilijs prouidentur, quàm quæ callidis conſilijs properantur. Diutius itaq. deliberandum, priuſquàm aggrediare negotium; poſtea quàm ſtatueris, tum velociter peragendum, vt ad conſultandi moram pertineat anchora, ad conficiendi celeritatis delphinus. Huc pertinet Salluſtianum illud, anteaquàm incipias conſulto, vbi conſuleris maturè facto opus eſt, quàm ſententiam. Ariſt. recenſet ſex. mor. libro tamquam vulgo iactatam, quare inutilem celeritatem euitare oportet, nam temere feſtinationis comites eſſe ſolent error, & pœnitentia iuxtà verſiculum illum apud Græcos celebrem.

Multis malorum eſt cauſa præcipitantia,

Omnem actionem conſilium anteat, inconſulta enim rerum tractatio, haud ſatis tuta eſt: Nam quamquàm interdum quis glorietur ſe quaſi ſimul, & deliberauerit, & res ſuas geſſerit, res multas proſperè, atque ex tempore geſſiſſe, tamen perraró aliquid tale vſu venire fortunatè ſolet. Leo Imperator de bellico apparatu cap. 3. Conſiliarij in omnibus conſultationibus, neque gratiam ſpectandam, neque odia exiſtiment, ſed eam vnuſquiſque ſententiam dicere debet, quam ipſe optimam cenſet, & promittere, quod liberaliter Mamertinus Panegi. in Iulianum in referenda gratia. Hoc tibi polliceor ſemperq. præſtabo mihi, neque in ſuggerendis conſilijs veritatem, neque in adeundis ſi res popoſcerit periculis animum, neque in ſententia ſimpliciter ferenda fidem, neque in hominum voluntatibus pro Rep. teq. lædendis libertatem, neque in laboribus perferendis induſtriam, neque in augendis Imperij tui commodis grati animi beneuolentiam defuturam: Nam multi ſunt qui ſpecioſis vocabulis principes fallunt, vel multis ſunt detrimento, vt de Meſſala refert hoc lib. Tac. Interrogatusq. a Tiberio, num ſe mandante eam ſententiam prompſiſſet? reſpondit neque in ijs, quæ ad Remp. pertinerent conſilio niſi ſuo vſurum, vel cum periculo offenſionis; ea ſola ſpecies adulandi ſupererat, quare ex Aeſchin. epiſt. 11. ſciendum eſt eos magiſtratus, quis magis obiurgare vos, quàm gratiam veſtram aucupari videri volunt, maximè ad gratiam loqui, delecta ea adſentandi via, quæ ſub velamento libertatis delitescat: Nam hæc eſt gratificandi ciuibus, & Ducibus via multo malitioſior, neque alios fortaſſe ſubinducat. Iuſtinus Imperator apud Eutropium lib. 5. (vt refert Ianus Gruterus in varijs diſcurſibus ad aliquot inſigniora loca Taciti) vbi Tiberio ſucceſſori ſuo digito magiſtratus demonſtrans non oportet inquit

horum

horum conſilijs morem gerere, nam hi me in iſtas, quas cernis miſe-rias deduxerunt.

Ab his caueat Princeps, quia blandiſſimè fallunt, & dicunt, quæ te velle ſciunt, hac plura etiam, vt inquit Seneca lib. 6. de benef. c. 30. monſtrabo tibi, cuius rei inopia laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit, ſcilicet ille, qui verum dicat, & homines inter mentientes (ſtupentem ipſaq. conſuetudine pro rectis blanda, audiendi ad ignorantiam veri perductum) vindicet a conſenſu, concentuq. falſorũ. Non vides quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obſequium ſeruile ſubmiſſa, dum nemo ex animi ſui ſententia ſuadet, diſſuadetq., ſed adulandi certamen eſt, & vnum amicorum omnium officium vna contentio quis blandiſſimè fallat. itaq. miſſos faciat, quibus omnia principum honeſta, ac inhoneſta laudare mos eſt.

Sed & princeps non debet conſiliarios coarctare, ſed liberè eos loqui permittere, alioqui enim principes illud dicunt, mementote, quòd vos parere, non ſuadere debeatis.

Rex omnes dicere concedat, niſi enim diuerſæ inter ſe ſententiæ dicantur, non poteſt quis eligere meliorem; ſed neceſſe habet ea, quæ dicta eſt vti, at cum plures dictæ ſunt licet tamquàm aurum purum deligere, quod per ſe diſcerni cum nequeat, comparatum cum altero diſcerni poteſt. Herodotus lib. 7. nec inſipidè Plato in demod. ſermones quemadmodum purpura, & aurum melius dijudicantur, ſi conferas inuicem. & quemadmodum igitur ſi de bonitate monete iudicium fieret, explorandam eam cenſeretis, ſic etiam peto, vt dictam orationem ex his, quæ nos contra diſſeruimus æſtimantes ſi vtilem repe-rietis Dijs approbantibus ſequamini, ſin ſingula conſiderantibus alienior videbitur, vt anteaquàm impegeritis mutato conſilio ijs, quæ recta ſunt vtamini. Demoſthenes exordio 35.

Enimuero decebat vos ſi publicam ſpectaretis vtilitatem, attentius eos audire, qui voluntatibus veſtris aduerſantur, quam illos qui aſſentantur omnia, nec enim ignoratis ab his, qui ea, quæ multis ex hoc loco dicunt facilè vos poſſe decipi; nam ad voluntatem audientis inſtituta oratio, quaſi tenebras circumfundit, quo minus id, quod vtiliſſimum eſt perſpiciatis, ab his autem, qui veſtram gratiam non aucupantur nihil eſt tale metuendum; nullo enim modo vos à ſententia abducent, niſi quid expediat euidentiſſimè demonſtrarint. Præterea, qui fieri poſſit, vt vlli, vel de præteritis rectè iudicent, vel de futuris prudenter deliberent, niſi contrarias inter ſe rationes conferant, & æquos vtriſque auditores ſe præbeant? Iſocrates orat. de pace.

Illos

Illos ſummoperè euitet, qui conſilij, quamuis egregij, quod non ipſi adferunt inimici ſunt, & aduerſus peritos pertinaces.

Nihil profectò magis in rebus arduis, quàm conſilium petere, nihil rurſum periculoſius, quàm ex alterius pendere conſilio. Nec quiſquam eſt dubium alieno conſilio minus egere prudentes, quàm imprudentes, & tamen fructum maiorem ex conſilio capiendo ſapientes percipiunt; quis enim tanta præditus eſt ſapientia, qui per ſe omnia perſpiciat, & cognoſcat, atque in contrarijs ſententijs, quæ ſit potior dijudicare valeat? verum quis alium conſulens certo ſcit ſe fidele conſiliũ auditurum: Nam qui dat conſilium, ni valde ſit fidelis, aut benè erga eum, qui petat effectus, non modo inſigni vtilitate impulſus, verum exiguo quouis propoſito commodo, quauis leui cupiditate ſæpè conſilium in eum dirigit finem, qui maximè ſibi accommodatus eſſe videatur, cumque hi fines non rarò ab eo, qui conſilium capit ignorentur, conſilij infidelitatem, niſi prudens ſit non animaduertit. **Guic.**

Conſiliarios prudentes eligat princeps; nam ſi ſint prudentes, atque idonei, prudens princeps creditur: ſed ſi tales non inueniantur, nec aliqua principis prudentiæ exiſtimatio eſſe poteſt, quandoquidem in re principali errat; qui autem in ea delinquit, vt quoque in alijs erret neceſſe eſt. Frid. Furius in idem conſ.

De talibus conſiliarijs princeps ſibi perſuadeat aqua, ac pane, quo veſcitur opus eſſe, idq. vt veritatis audiendæ ei copia ſit. idem.

Animaduertat, ne in adoptione conſiliariorum contentus ſit his, quos in aula fouet; vel quos viſu, atque auditu cognitos habet, quacumque etiam excellentia, vel prudentia præditi ſint; ſed diligenter inquirat de quot poterit, & præcipuè vicarijs omnium ſuarum prouinciarum iniungat diligentem inquiſitionem de optimis, & præſtantiſſimis quibuſque, & nominum, quæ ipſis ſint transmiſſionem, qui omnium maximè idonei exiſtimabuntur, præſertim autem, qui in aula incogniti erunt. idem.

In electione minimè ſit ſubitus, ac preceps, ſed in ea cunctationem adhibeat, vt occaſio, atque commoditas ei ſit perquirendi de habilitate, ac moribus adoptandorum, quin etiam tempus præfigat, intra quod cuique & generatim, & ſpeciatim euocati, vel ſcriptis, vel verbis accuſandi, eiusq. vitia indicanti facultas ſit hac ratione ſeruata, vt eorum, qui verè id facere volunt ſecuritati, & autoritati conſulat. idem.

Conſiliarius dicitur, qui principe ſuo ſalutaria de Rep. fideliter, & prudenter ſuggerit, ex qua deſcriptione duo notanda ſunt, ex quibus inſtructus eſſe debet, & officium Conſiliarium ijs animi, & corporis

poris præſidijs, & veluti inſtrumentis munitum eſſe oportet, quibus finem ſuum, & ea, quæ ad finem ſpectant, conſequi poſſit. Caput ad conſilium de Rep. dandum eſt noſſe remp. Nemo de ijs rebus ſapienter diſerere, aut alijs rectè conſilium dare valet, quas non nouit, & notum eſt illud, turpe eſſe iuriſconſulto ius, in quo verſatur ignorare, non minus quàm medico, & gubernatori morbos cognoſcendi, & curandi, aut nauigandi peritia carere. regijs itaq. artibus præſtet opus eſt, qui regem eſt conſilio adiuturus, notas habere debet; & vt ſummatim dicam eas omnes res, quæ a principibus tractari ſolent actiones, quæ ad pacem, vel bellum ſpectant verſatus ſit in omnibus rebus gerendis, atque in ipſa ciuili adminiſtratione. Hipp. a collibus in conſiliario.

Tenetur Conſiliarius ſilentium ſeruare, & hoc princeps diligentiſſimè animaduertat; nam maxima pars hominum eſt ad loquendum, quàm ad tacendum promptior, quoque magis nouum quippiam, aut arcanum norunt, eò libentius effutiunt, atque in aurem ſingulis hominibus, tamen dicunt inani quadam gloria, vt incognita alijs noſſe videantur, nec è vulgo ferè quiſquam eſt, cui non dici poſſit.

Quaſi non tu multo malis narrare hoc mihi,
Quàm ego, qui percontor ſcire.

Itaq. ſilentium non mulieri ſolum, vt Euripides cenſuit, verum etiam Conſiliario, ac multò etiam maius ornamentum affert; quid enim turpius Conſiliario fictili, & rimarum pleno. hoc qui ſui quæſtus, aut conciliandæ ſibi gratiæ cauſa facit perfidia peccat, quo vero linguæ incontinentia garrulus, ac fatuus appellatur. Petrus Magnus in conſilio.

Nihil eſt neque in vtilitate prudentius, neque in prudentia vtilius, neque in vtraque glorioſus conſilio pecunia eripi, & ſurripi poteſt conſilium non poteſt illa in bello potentiori cedit, hoc imperat, & eſt res tam glorioſa conſilium, vt gloriæ nomen videatur ſuperare ingenij ſimul, ac doctrinæ magnitudine. Quare ex conſilio primum caſus, atque orbitas pellitur eruditionis eius præſertim, quæ ſordidiſſimis ingenijs, ſimili lingua deformata eſt, deinde vna deliberandi regina omnium virtutum comitatu ſtipata accerſitur prudentia. neque enim qui diu, ſed qui multum, nec qui rei reconditæ, ſed honeſtæ, & vtili ſtuduit ſit prudens bonusq. conſilio. Nam quemadmodum Appion ille falſo, Polybiſtor cum Homerum ab inferis diuturno, magnoq. labore reuocaſſet nihil eum interrogauit, niſi vnde domo: ità plerique, & ſi in optima virtutis, ingenijq. occaſione nihil non laborioſum molliuntur, haud quicquam tamen, quia circa futilia verſantur præter laborem, & ſtomachum ſolent imitari. Hos autem, cum

in omni

in omni doctrina, tum in conſilij capiendi deliberatione vix vnquàm adeò turpè eſt, quàm graue ſæpe, ac periculoſum; etenim cum in rebus magnis, memoriaq. dignis (vt refert Cicero) non ſolum primordia rerum gerendarum, ſed etiam acta, & euentus manant ex conſultatione; quid eſt rationi tam conſequens, quàm vt ex conſilijs, aut errore ruant, aut virtute proſperè cedant vniuerſa? Nihil igitur ſalutare magis Reip. conſilio, quod multi quidem poſſunt offerre, ſolus verò ſapiens afferre. Vbi enim conſultatio debilitatur, inſcitia, debilitataq. abſorbetur ſcelere ibi, aut nullum eſt, aut iacens, & exulceratum iuſtitiæ vulnere conſilium. Siquidem conſilij vis omnis eſt, natura primum in lege, religione fide, & æquitate fundata, deinde a cupiditate odio, inuidia, metu, ac denique ab omni perturbatione diſſentanea. Nam animi perturbatio, & conſilium omni ex parte ſunt diſparata. In conſilio enim docet eruditio, fidem magis facit vita probitas. Qui igitur Reip. eſt conſiliarius, eam potiſſimum incudem tondere debet, vt quod ſuadeat id conueniat Populo primum a ſapiente viro proficiſci: deinde honeſtum eſſe, vtile, neceſſarium, fas iuſtũ, pium, magnum, facile, ac denique æquum, & amabile. Quarè conſilio nihil videa, aut in rerum vtilitate eſſe vtilius, aut in honeſtate honeſtius: Cum enim conſilium laudem habet probitatis, & doctrinæ decus, tam præſtat in alijs iuuandis pecuniæ: Quod vſus exhauriat pecuniam, augeat conſilium: illam enim quo pluribus largiri volueris, & pauciores vicies neceſſe eſt, cum illa largientem deſerat. Conſilij verò vis, quò in plures diffunditur, eò redundautius autori ſuccreſcit. ſed quid ego hæc? non pecunia, non armis, & viribus res grandes Reip. geruntur, ſed conſilio, quo qui labitur corruit in omnibus. Quamobrem ars magna eſt Imperij conſilium, quod qui de Rep. tollit, quaſi ex animo rationem tollat, facit, ſine qua animus affectibus tamquàm furiæ telis ardentibus agitatur. Henricus Farneſius lib. 1. cap. 21. de ſimulat. Reip.

Princeps facile euertitur, qui nullo, niſi ſuo ipſius conſilio vtitur; plus enim vident oculi, quàm oculus.

Conſiliarius nec ſenex, nec iuuenis ſit, ſed mediæ ætatis; media enim ætas conſilijs opportuniſſima, nam vt dicit Ariſt. iuuenes imprudentes ſunt, & ſenex pauidi, quare rectè Seneca de breuitate vitæ cap. vlt. a quinquageſimo anno lex militem non cogit, a ſexageſimo Senatorem non citat.

Princeps facilè decipitur, qui ex alieno, & in primis ex vnius dumtaxat conſilio, & virtute pendet. Cum. c. 44.

A rebus quibuſdam in ſpeciem minimis, ſi eæ fiant, aut non fiant maximarum rerum momenta ſæpiſſimè dependent. Itaq. res etiam

minimæ,

minima, & quæ leues videantur circumſpectè, & deliberatò tractanda ſunt. Guic. hiſt. 2.

In conſilio debet vnuſquiſque conſiliarius liber eſſe, idemq. corpus cum principe formare; nam quamuis cor alijs partibus ſit nobilius, quia ſanguinem antea digeſtum, ac per tot orificia tranſactum recipiat, tamen ſine aliarum partium concurſu vnito ſe tueri non poteſt, quamobrem ſi vna impediretur, reliquæ ſuo officio rectè fungi minimè poſſent. Pronunciet ergo Conſiliarius liberè ſententiam ſuam, ac eam defendat ſi bona eſt, etiam ſi principi ingrata, ac permoleſta eſſet. eſt enim ei omnibus viribus incumbendum, vt princeps veritatem agnoſcat. Agamenon re ipſa omnia adminiſtrabat, & omnium princeps, ac ſuperior erat, tamen in conſilijs minimo cuiq. erat aqualis, nec eius vlla ratio habebatur. Princeps ergo libentiſſimè audiat, & veram ſententiam amplectatur, & quidquid fuerit deliberatum quamprimum effici curet, ac mandet. Io. Baptiſta Pigna lib. 2. de principe.

Rectè tunc deliberat, & ſana capit conſilia, quando omnia rectè agit cum diligenti ponderatione, appoſitis ad conſultationem ex contraria parte noxijs etiam, vt ità ſingulis inſpectis, perpenſiſque, & rei tum conſilium capiatur, & quod conſtitutum ſit peragatur. Ariſtaas in hiſt.

Salus erit, vbi multa conſilia. Qui enim agunt omnia cum conſilio reguntur, ſapientia diſſipantur cogitationes, vbi non eſt conſilium, vbi verò plures ſunt conſiliarij confirmantur. Prou. cap. 11. & 13. & 15.

Benè conſultare comperio maximũ eſſe lucrum; nam etiam ſi quid è contrario euenturum eſt, nihilo tamen minus benè conſultum eſt, ſuperauitq. fortuna conſilium. Herod. lib. 7.

Qualis eſt Ciuitas, cuius diruta ſunt mœnia. Talis eſt vir, qui non omnia cum conſilio agit. Antonius Monachus in Meliſſa par. 1. ſerm. 2.

Si fœmina inter aues ſaliat fœminam, naſcuntur quidem oua, ſed ex quibus nihil naſcatur. Ità conſilium, quod animo conceperis non accedente ratione friuolum eſt, ac inutile. Plutarch. in moral.

Conſilium conuocet, vt de maximis rebus conſultet, non autem de nugis, vt enim Appion Homerum ex inferis euocatum nihil aliud interrogauit, quàm quibus parentibus genitus eſſet, ſic quidam grauiſſimorum virorum conſilio conuocato de meris nugis conſulunt. idem. hæc pauca de conſilio, multa enim dicemus in tract. de Imperat. off.

Haud minus inquies German' ſpe, cupidine, & diuerſis Ducũ, &c.

Illa

Super illa verba, accendebat hæc, onerabatq. Seianus peritia morum Tiberij odia in longum iaciens, quæ reconderet, auctaq. promeret nobis argumentum præbent aliquid de aulicis dicendi.

Quot modis acquiratur Principũ amicitia, quàm ſit periculoſa; & cui malus exitus ſit adſcribendus, & vtra facilior ſit conciliatio amicitiæ principis cum principe, quàm cũ priuato, & de multis ad aulam pertinentibus.

ETſi plurima nos, quæ ad aulam pertinent in lib. de malo aulico, quos edituri ſumus dicimus, tamen hic aliqua dicenda ſunt. oſtendit illis verbis Tacitus, vt qui principi gratus eſſe, & ad illius interiorem amicitiam aſſumi vult, morum ipſius peritus eſſe debet, ità ſi princeps cui fauet, hunc ſectetur, quod ſi quem ipſi incurſum eſſe ſcit in hunc, aut odia iaciat, quæ recondat quouſque aucta promi debeant, aut ſi animo tam abiecto non eſt illum quisq. eſt, fugitet, ars profectò, quam his temporibus multi aulici inique ſectantur. Nullum enim eſt in atrijs principum, vt inquit Aeneas Siluius in miſerijs curialiũ maius ſtudiũ, quàm vt alios de gradu deijciant, & ſe erigant; Potentiã quilibet appetit, nulla inter curiales habitat fides, non frater a fratre tutus inuenitur, nec patri filius fidus eſt, nec filius patrem ſeruat. quilibet ſibi ſtudet, omnes præferri volunt, omnes mandare. Si quis potens eſt, mille circa ſe oculos habet, & totidem linguas ad ruinam eius aſpirantes, & vnus hinc, alius illinc premit. Nimium multos timere habet, qui multum poteſt, & illum omnes oppugnant, qui principi gratior exiſtimatur. Ruunt turres, quæ iuxta flumen ſitæ perpetuum in ſe aquæ curſum recipiunt. Quid tu facias, qui ex vnius voluntate dependes, in cuius amore, nec ferro, nec plumbo, ſed cera fixus teneris, quam vel infrigidatus amor excutiet, vel iræ feruor eliquabit, hæc Siluius.

Sed hæc, & alia non ſolum ſunt noſtrorum temporum, ſed & etiam antiquis communia fuere; nam Cic. de petitione conſul. inquit, Roma eſt Ciuitas ex nationum conuentu conſtituta; in qua multæ inſidiæ, multa fallacia, multa in omni genere vitia verſantur, multorum arrogantia, multorum contumacia, multorum maleuolentia, multorum

ſuperbia, multorum odia, ac moleſtia perferenda eſt, video eſſe magnæ artis in tot hominum cuiuſque modi, vitijs tantisq. verſantem vitare offenſionem, vitare fabulam, vitare inſidias, eſſe vnũ hominem accommodatum ad tantam morum, ac ſermonum, ac voluntatum varietatem, ſed vt ad rem noſtram veniamus.

Duobus modis communiter principũ amicitia acquiritur, vel mala arte, vel bona, malam artem ignari ſequuntur, qui cum ſint omnis virtutis expertes, pernicioſa arte, ac inſidioſa vtuntur in proſternendis præſertim virtute præditis; quos magnoperè timent, & vt ignorantia aduerſos odio proſequuntur; nam vt Hieronymus ad euſt. virtutes ſequitur inuidia, feriũtq. ſummos fulgura montes, quare & ſi in aula bonus nullos ſibi iniuria inimicos faciat, tamen malorum inuidiam euitare non valet. Bona verò arte boni, & ſi rari, qui ſapientiam ſequentes, recta, quamuis difficili progrediuntur via.

Ii Principes malè faciunt, qui eiuſmodi oblectantur amicis, iniungere ſe enim malorum amicitijs, eſt eorum culpis ligari, quare Plato in amicitiam, & fidem ſtultum ne receperis, nam reproborum, atque inſipientium facilius ſuſtinetur odium, quàm collegium. Sed

Tribus præcipuè modis principum amicitiam quis attingere poteſt, quamuis non ſit rectè amicitia, nam vt rectè Tacit. 3. annal. ſpeciem magis in amicitiam principis, quàm vim retinent.

Primus eſt ſimilitudo vtriuſque, id principis cum aulico, vel natura, vel genij, vel morum, nam vnuſquiſque ſociatur ſimili ſibi. Eccleſ. 13. & Ambroſ. 1. de off. Omne animal diliget ſimile ſibi, & omnis homo ſimili ſibi ſociatur, & Hieronymus ad Demet. qualis quilibet eſt, talium conſortio delectatur. Cic. de amic. Nihil eſt, quod ad ſe rem vllam tam alliciat, quàm ad amicitiam ſimilitudo, quam ſi ars condiuerit, amicitiam principis conſeruabit.

Secundus eſt, ſi libidinum eius miniſter fueris, de quo nihil in præſentia dicam; nàm cum malus modus ſit, multi, vt faciliorem, & vtiliorem ſine vllo Dei timore ſequuntur.

Tertius verò eſt nobilior, ſed magis periculoſus, & eſt neceſſitas doctorum virorum, vt qui a ſecretis, vel conſiliarijs ſunt, vel auditores, & eiuſmodi, qui modus maximam deſiderat cautionem. ne ſapientiorem ſe principe eſſe nulla in re oſtentet, iuxta illud Salamonis coràm rege noli videri ſapiens, & alia, quæ nos in noſtro aulico dicimus.

Quàm hæc amicitia periculoſa ſit. Polybius lib. 7. in Hermea oſtendit, qui autoritate apud Anthiochũ plurima valens, tandem in oculis regis ipſo rege probante interemptus, & noſter Tacit. in Seiano de quo in Tiberio dicit, cum tanta apud Tiberium gratia extitiſſe, vt

pro

pro collega in imperio haberetur, cui deinde placuit capite in eum animaduertere, corpus in Gemonias proÿci, eius liberos omnes, interfici, & Tac. addit etiam amicos, & cognatos, & Zonar. tom. 2. in Plautiano, qui apud Seuerum tam magnus fuit, vt particeps imperÿ cenſeretur nibilominus miſerè interÿt, & cadauer eius in viam contumelioſè proiectum. Quot leuiſſima de cauſa principum amiciſsimi interfecti ſunt, quos recenſet Gueuara in admonit. aulicorum, quare rectè.

Plutarch. in moral. vt Arithmeticorum digiti aliquando valent multis millibus, aliquando nihil, ſic regum amici aliquoties quodvis poſſunt, rurſum mutata in faſtidium gratia, nihil poſſunt.

Huius rei rationem affert Tacit. fato potentia raro ſempiterna, & melius ſatietas capit, aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum iam nihil reliquum eſt, quod cupiant. ſed

Cui nam malus ſit adſeribendus exitus, Salluſtius in Iugurtha eũ regibus attribuere videtur; nam Regum voluntates, vt vehementes, ſic mobiles ſæpe ſibi ipſi aduerſa; verum ſi rectè iudicemus gratiam principum per ſe non obfuiſſe cognoſcemus, ſed ipſos, qui gratia ſatis vti non potuerunt. Inter tot obſequia fortuna non ſatis cauta mortalitas eſt, vt ait Curtius lib. 8. Hermeam intolerandus faſtus odioſiſſimum fecerat Aelium Seianum perfidia; Plautianum inexplebilis auaritia, ac idem ferè de cæteris, qui principum patria exciderant dici poteſt. Neque id aulicis mirari debemus, cum & ſimilibus de cauſis ipſos principes ſublimi rerum faſtigio ſæpe deturbatos eſſe conſtat, vt inquit Hipp. a collibus in ſuo Palatino. Quamobrem Q. Curtius aulicos omnes his verbis docet, arbores magnæ diù creſcunt, vna hora extirpantur; ſtultus eſt, qui fructum earum ſpectat, altitudinem non metitur. Vide ne dum ad cacumen peruenire contendis, cum ipſis ramis, quos comprehenderis decidas. Leo etiam aliquando minimarum auium pabulum fuit, & ferrum rubigo conſumit. Nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit ab inualido. Deinde fortunam tuam preſſis manibus tene, impone fœlicitati tuæ frænos, facilius eam reges. oportet, vt qui a principis gratia cadere nolit, ne eum in nullis rebus etiam minimis offendat; nam vt Pius Pontifex epiſtola 1. vt oculus parua feſtuca turbatur, ſic principum gratia offentiuncula, vel minima cadit. Et Durus de Paſcuo in aulico politico, non perpetuo adſit principi, neque diù nimium abſit, quorum alterum parit odium, & ſatietatem, alterum obliuionem, & in negotÿs cum illo, tamquàm cum igne agere debent, a quo non adeò abeunt, vt illius calore foueri non poſſint, nec ſi illi appropinquabunt, vt ipſius incendio conflagrent.

Inuenies, vt ſuperius dicebamus cauſam ipſos aulicos ſuæ ruinæ eſſe, dum pares principi eſſe volunt, vel aliqua eis exprobare. Syrus vt eſt apud Ioſephum lib. 19. antiquitat. cap. 7. magiſter militiæ regiæ, quia per omnem fortunam ei fidus, nullius vmquam periculi ſocius eſſe detrectauerat, ſed vel difficillimos labores pro ea ſæpe ſuſceperat, fretus amicitia poſtulabat etiam paris honoris eſſe particeps. Quapropter grauabatur regi Agrippæ aliquo modo cedere, ſemper licentius agebat cum eo, & in familiaribus colloquijs moleſtus erat, interdum extollens ſe immodicè, & ſæpe prioris fortunæ aduerſitatès in memoriam reuocans, vt oſtentaret, quàm ſtudioſus ipſius cultor fuerit, numquàm non labores in eius gratiam exhauſtos memorans, quæ cum ſine modo repeteret opprobare videbatur, ità vt Rex tandem offenderetur immodica libertate hominis. Iniucunda enim eſt temporis ingloriè acti memoria, & ſtultum eſt indeſinenter exprobrare debitum. Siue malimus Antonium Romanum ſic delineatum Tacito lib. 3. hiſt. Nec ſermonibus temperabat immodicus linguæ, & obſequij inſolens, litteras ad Veſpaſianum compoſuit iactantius, quàm ad Principem, nec ſine occulta in Mutianum inſectatione, ſe Pannonicas legiones in arma egiſſe, ſuis ſtimulis excitos Mæſiæ Duces, ſua cōſtantia perruptas Alpes, occupatam Italiam, interſepta Germanorum Rhetorumq. auxilia, quod diſcordes, diſperſaſquè Vitelij legiones equeſtri procella mox peditum vi per diem, noctemq. fudiſſet id pulcherrimum, & ſui operis, & quæ ſequuntur. Nam eundem iterum audire eſt lib. 4. hiſt. Nec ipſe deerat arrogantia vocaré offenſas nimius commemorandis, quæ meruiſſet; alios, vt imbelles Cæcinam vt captiuum, ac deditit ium increpat. Vnde paulatim leuior, viliorq. haberi, manente tamen in ſpecie amicitia. Quid autem mirum (inquit Ianus Gruterus in varijs diſcurſibus ad aliquot loca inſigniora Taciti) agrè ferre hæc talia Reges cum vix ferant ad heris ſuis famuli? Scipio certè, ac Lelius in Terentij Andria introducunt nobis Simonem & Soſiam ità verbigerantes

Ego poſtquam te emi a paruulo, vt ſemper tibi
Apud me iuſta, & clemens fuerit ſeruitus,
Seu feci è ſeruo, vt eſſes libertus mihi,
Propterea, quod ſeruiebas liberaliter,
Quod habui ſummum pręcium perſolui tibi.
Soſ. In memoria habeo. *Sim.* Haud muto factum. *So.* Gaudeo
Si quid tibi fieri, aut facio, quod placeat Simo &
Id gratum fuiſſe aduerſum te habeo gratiam.
Sed mihi hoc moleſtum eſt Nam iſthęc commemoratio
Quaſi exprobratio eſt immemoris beneficij.

Iure

Iure igitur de Philota legimus. Curt. lib. 6. Nec ignorabat Craterus ſæpè Alexandri auribus nimia iactatione virtutis, atque operæ grauem fuiſſe, & ob ea non quidem ſceleris, ſed contumaciæ tamen ſuſpectum. Nec immeritò quoque de Silio ſcribit Tacitus lib. 4. annal. Plerique auctam offenſionem ipſius intemperantia immodicè iactantis ſuum militem in obſequio duraſſe; cum alij ad ſeditiones prolaberentur, neque manſurum Tiberio Imperium, ſi ijs quoque legionibus cupido nouandi fuiſſet. Deſtrui per hæc fortunam ſuam Cæſar, imparemq. tanto merito rebatur. ex his videri poteſt cauſam mali exitus ipſos aulicos, non autem regem eſſe.

Facilior eſt amicitia principis cum priuato, quàm cum altero principe, probatur; nam inter principes amicitia rara eſt, quia inter paucos difficile eſt ſibi conſimilem moribus, ſtudio, & propenſione inuenire; verum inſuper, quia interna quadam de ſuo regno ſuſpicione turbantur, ſummo flagrant deſiderio regnandi, vehementerq. primarum dignitatum appetitione efferuntur, quibus de cauſis ne dum amicitiæ, verum etiam & conſpirationes, & fœdera principum frequenter ſunt inconſtantia, vt inquit Picolom. grad. 7. de moribus cap. 20. Inſuper eis quoque minime datum eſt domeſticè, & liberè vna verſari, communemq. vitam ducere, vt alijs propterea Princeps nonnumquàm cum ſint procliues ad amicitiam, nec valeant propenſionem ſuam cum alio principe explere priuatum aliquem ob ſui virtutem diligunt, & depoſita per congruens tempus maieſtate regia libenter, & priuatè, familiariterq. eo fruuntur, quaſi amico pari, niſi dignitate fortunæ ſaltem affectionibus, & ornamentis animi. Hæc omnia confirmant tàm vetera, quàm recentia monumenta, quæ principes priuatos amiciſſimos, & coniunctiſſimos habuiſſe, & habere teſtantur.

Solutis quæſtionibus aliqua de aulicis adijciamus.

Si laboribus, ſi ſudore, ſi periculis plurimis regi carum ſe quis futurum putat, longè tutius erit, longèq. facilius regis ſuperni, & conditoris omnium amicitiam tantò opere quæſiſſe; rurſus ſi pro hodierna temporis malitia, quæ vera ſit breuis, & rara amicitia eſt, quis tam imprudens eſt, atque inſultus, qui ſibi Regum duraturas, firmaſq. amicitias putet, aut potius fingat. Cogitet quid inde ad eos, quos diligere ſimulat, quos certæ fortunæ ſplendor, timorq. animi omnium inæqualium facit contemptores. Adde, quia vt fortuna inſtabilis, ſic principum voluntas varia, & inconſtans eſt, quamquàm ſtante perſeuerantia res ipſa boni modicum, mali verò, atquè periculi multũ habet. Denique bonam ſibi ſpem promittunt, qui Regibus famulãtur. Quis enim tam imprudens videri cupit, qui ſibi ſpem ponit in tanta

tempeſtate? Sed verum eſt, quia, vt noſter Quintilianus ait veluti multa timentur, quæ optanda ſunt, ſic multa ſperantur, quæ timenda eſſent. Qui ergo principum fauores deſiderat, quid niſi libertate, ocio, vita ſecuritate, amicitia priuari deſiderat? Fortè in talem quis Principem ſperat, a quo facilè falli, aut damnari poteſt. Mobilis eſt enim cuiuſlibet principis animus, & tantò mobilior, quantò a pluribus concutitur. Nec enim propter rerum varietates cuncta ratione ponderat. Et quos cunctos mortales a Regum amicitijs auertere iuſtè deberet, illud eis commune eſt, quia plerumque non qui plus habent ſapientiæ, aut virtutis, ſed qui plus ingenio, aut artibus modulatur, ſed qui plus adulatur, ille gratiæ fauoriq. proximus habetur, ſed ſi cætera ſileam, quis niſi demens, aut rerum expers Regum fauores tantoperè deſiderat, in quibus nonniſi varios rerum motus, Vrbium mutationes, peſtiferas nouitates, famem, bella, diſcordias in dies conſpicimus. ſi igitur hæc tibi placent ad Regum amicitias aſpira; ità Rodoricus Zamorenſis in Speculo vitæ humanæ cap.4.

Quemadmodum, qui valdè febricitant, appetitum, & robur amittunt, ſic qui principum aulas inhabitant, mentem, & bonos mores perdere ſolent, niſi frequenter animo repetant hoc dictum. Noſce te ipſum. Antonius Monachus ſerm.59.ſent.

Indicæ teſtudines meridiano tempore blanditæ gaudent totos dorſo per tranquilla fluitare, donec obliti ſui ſolis vapore ſiccetur cortex, vt mergi nequeant; iamq. inuitæ natent oportuna venantium prædæ; ità quidam ſpe magnarum rerum allecti, in Principum aulas ſe ſe conijciunt, & adeò deliniuntur aulæ delicijs, donec imprudentes eò redigantur, vt non poſſint etiam ſi velint in ſuum otium ſeſe recipere. Plin.9.c.10.

Vt Heliotrophium, ac lupium circumaguntur cum ſole, & quocumque ſe mouerit ille eodem deflectunt, & hæc cacumen. Ità Proceres aulici quocumque Regis ingenium vergit, eò propendent omnes. Idem lib.18.cap.14.

Cracca leguminis genus eſt adeò gratum columbis, vt ea ſemel guſtata negent illas poſtea ab hoc loco profugere, ità qui ſemel aulæ mel, & honorem guſtarunt numquàm ab aula poſſunt auelli. Idem cap.16.

Sunt arbores aliquot, quæ poſt ſolſtitium inuertunt ſua folia, vt vlmus tilia, olea, populus, alba ſalix, ità vulgus procerum ſimulatq. Princeps vitæ genus in diuerſum commutarit vertunt, & ipſi vultum, cultum, orationem, & omnia. Idem lib.18.cap.28.

Quidam ſunt, qui tamquàm animæ conſulturi regalibus ſeſe dedunt obſequijs. Exiſtimant enim conſulendo Regibus, vtilitatem

Reip. promouendo pupilli, & viduarum tuendo cauſas, afflictis, & inopibus ſuccurrendo, tantò magis Deo placere, quantò maiori tædio iſta peragunt; reſpondendũ eſt etiam his, ne qui ſtultiores ſunt alijs, ſapientiores omnibus videantur. Quamuis neminem adhuc cognouerim, qui non ſuum aliquod temporale commodum apud Reges inſectaretur. Fingamus tamen aliquem fore, quem ſola ſalutis animæ ratio moueat. An ità eſt, vt hoc in Curia ſibi poſſit obtinere? Conſulemus ne nos viro bono in obſequio, vt ſe Regis immergat? Putabimus ne ſic animam lucrifieri? Mihi hercule non ſit veriſimile in Curijs Principum, vbi tot vitia regnant, vbi tot irritamenta ab exercitio virtutum ſubducunt virum aliquem bonum poſſe perſeuerare. Namq. vt ſeſſor bonus in equo retrogrado, vel calcitroſo excutietur, dilabeturq. tandem. ſic vir bonus, & iuſtus apud Reges diffluet, vel imminutus rerum licentia, ac luxu, & tot immunditijs tum vitiorum, tum hominum circumuentus declinabit a via, & in ſcopulos ruet ventorum viribus actus, & tempeſtatum. Quod cum Plato in Athenienſi Curia perſpexiſſet, fugere potius ſtatuit, quàm inter tot vitiorum inquinamenta morari. Cognoſcito igitur teipſum, qui ſequi Curiam ſtatuis, & an Platone ſis maior animaduertito, an virium plus tibi, quàm illi ſit ad reſiſtendum malæ conſuetudini. oportet in Curijs obſequi omnibus, communicare, quod habes, temporibus ſeruire, verſare naturam, & tegere nec non ſeipſum huc, & illuc torquere, & flectere. Cum triſtibus ſeuerè, cum remiſſis iucundè, cum ſenibus grauiter, cum iuuenibus comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſè viuere. Quod niſi feceris nec magnus in Curia, nec diuturnus eſſe poteris.

Si alicui amico fauere cupis, id opportuno facias tempore, ſunt enim aliqui, qui dum officioſi eſſe ſtudent, non habita temporis ratione nocent, aut moleſti ſunt ſedulitate; nam aliquando immodicis, & intempeſtiuis laudibus conciliant homini inuidiam; nemo enim magis officit famæ, quàm ineptus præco, quare ſæpe nihil intereſt inter amicorum munera, & hoſtium vota. Ioannes Caſa de off. inter potentiores, ac tenuiores amicos.

Quoniam non beneuolentia, neque charitate adducti, ſed præmiorum illecti ſpe ad coniũctionem principum aulici accedunt, procurãdum eſt, vt qui ſuas partes diligenter, accuratèq. peregerint, qui obſeruantiam, & ſedulitatem, fidemq. & ſollertiam præſtiterint, ne laborum ſuorum præmio, aut mercede fraudentur. Idem.

Nihil inclementius eſt cum leui quaque de cauſa, contumelijs tenuicijs, & clamoribus honeſtos ſæpe homines conſectantur, idq. palam in publico. Idem.

Vinculum inferioris cum ſuperiore, nec eſt virtus, nec charitas, ſed vtilitas rerum diſparis; nam operam obſequium a tenuioribus potentes expectant, inopes contra a diuitibus, atquè honoratis pecuniam, aut dignitatem. Idem. Quare

Qui ſunt animati erga potentes, & pecunioſos, tenues amici eſſe debebunt, vt illorum incommoda contumelias, iniurias, ineptias non modo facilè perferant, ſed amantes etiam egerant, eosq. quòad fieri poteſt diligant, colant, quidem certè omnibus locis, atque obſeruent; diligi enim volunt propterea quòd exiſtimant a quibus amentur iiſdem ſeſe probari. Itaq. iam diuites ſibi omnia arrogent amicorum obſequiis, atque obſeruantia magnopere delectantur, ſui enim de ſe iudicij habere eos ſcriptores putant, difficile eſt autem diligere eum, quem non probes, nihiloq. factu facilius ſic morator quemadmodum dictum eſt probare verumtamen, vt ait Tireſias ille:

Quando pauperem miſſis ambagibus horres.

Deuoranda hac ſunt, ferendumq. æquo animo, quod corrigere nequeas, præſertim cum non virtute, & probitate hæc neceſſitudo contineatur, ſed emolumentis, & fructibus. Idem.

Si alicuius rei aulicus appetitum habeat, ille non apertus, ſed occultus ſit, & ſeruitio principis paliatus, vt Seianus ait apud Tac. lib. 4. ann. fulgorem honorum a ſe numquàm prælatum excubias, ac labores, vt vnum ex militibus pro incolumitate Imperatoris malle. Et Tigelinus 14. non ſe vt Burum diuerſas ſpes, ſed ſolam incolumitatem Neronis ſpectare.

In paribus periculis dominum, non ſeipſum defendere præſeferat, vt Seianus de quo Tac. lib. 4. fortè illis diebus oblatum Cæſari anceps periculum auxit vana rumoris, præbuitq. ipſi materiam cur amicitiæ, conſtantiæq. Seiani magis fideret; deinde caſum antri enarrans, dicit eius os lapſis repente ſaxis obruit quoſdam miniſtros, hinc metus in omnes, & fuga eorum, qui conuiuium celebrabant; genu, vultuque, & manibus ſuper Cæſarem ſuſpenſus oppoſuit ſe incidentibus. ex hoc enim euenit illud, de quo idem autor maior ex eo, & quamuis exitioſa ſuaderet, vt non ſui anxius cum fide audiebantur.

Principem ſibi deuincere aulicus omni diligentia curet; Seianum in bonis tantummodò actionibus imitans, qui vt lib. 4. Tac. varijs artibus Tiberium deuinxit adeò, vt obſcurum aduerſus alios, ſibi vni incautum intectumq. effecerit.

Principis ſui humorem ſequatur; nam neceſſe eſt quòad fieri poteſt, vt eius natura, moribus, ac genio ſimilis euadat. Laurentius Duccius de arte aulica cap. 13.

Abdi-

Abditos Principis ſenſus, & ſi quid occultius parat exquirere illicitum anceps. Tac. lib. 5.

Diuitias, & beneficia a Principe accepta non oſtentet, nam qua ntò quis plus adeptus eſt, tantò ſe magis in lubrico exiſtimet. Tacitus libro quinto.

In Principis gratia perſeuerare diligentiſſimè curet, nam hoc modò criminationibus vim tollet, nec quicquam committat, nam ſi declinare incipit, tunc culpæ magis alienæ ambitionis iuſtificationi, quàm rei animaduerſioni inſeruiunt. Hieronymus Conneſtagius lib. 1. hiſtoria Luſitaniæ.

Crudelitatem in nullum exerceat, nam qui occultis libellis ſæuitiæ Principis adrepit, mox, clariſſimo cuique periculum faceſſit, potentiam apud vnum, odium apud omnes adipiſcitur, tandem dat exemplum, quod ſecuti ex pauperibus diuites, ex contemptis metuendi perniciem alijs, ac poſtremum ſibi inuenerunt.

Qui fumos vendunt, Princeps abijciat, exterminet; fumum autem vendentes ſunt, qui Principum beneuolentiam, ſimulato commendationis officio per occaſionem familiaritatis precio vendunt, vt inquit Paulus Manutius in Adagijs, nam fumus initio quidem magnum eſſe videtur, verum euaneſcit illico. Martialis.

Vendere nec vanos circum palatia fumos
Plaudere nec Cano, plaudere, nec Glaphyro.

Porrò genus hoc hominum maximum aularum regalium peſtem Aelius Lampridius eleganter, ac luculenter exponit in Imperatoris Heliogabali vita. Inquit enim; Zoticus ſub eo tantùm valuit, vt ab omnibus officiorum Principibus ſic haberetur, quaſi Domini maritus eſſet. Erat prætereà idem Zoticus, qui hoc familiaritatis nomine abvtens omnia Heliogabali dicta, ac facta venderet fumis quàm maximè diuitias enormes ſperans cum alijs, atque alijs polliceretur, omnes falleret. Egredienſq; ab illo ſingulos audiret dicens; de te hoc loquatus ſum, hoc de te audiui, hoc de te futurum eſt. Vt ſunt homines huiuſmodi, qui ſi admiſſi fuerint ad nimiam familiaritatem Principum, fumum non ſolum malorum, ſed & bonorum Principum vendunt, qui ſtultitia, vel innocentia Imperatorum, qui hoc non perſpiciunt infami rumigeratione paſcuntur. Hoc fecit inſignius Thurini Verconij ſupplicium, quod quidem in vita Alexandri Seueri idem Aelius refert ad hunc modum. Solus (inquit) poſt meridiem, vel matutinis horis idcirco numquàm aliquos videbat, quod ementitos de ſe multa cognouerat, ſpeciatim, Verconium Thurinum, quem cum familiarem habuiſſet ille omnia, vel ſingendo ſic vendiderat, vt Alexandri, quaſi ſtulti hominis, & quem ille in poteſtate haberet, & cui multa perſuade-

ſuaderet infamaret imperium. Sicq. omnibus perſuaſerat, quod ad nutum ſuum omnia faceret, denique hac illum arte deprahendit, vt quēdam immitteret, qui a ſe quiddam publicè peteret, ab illo autem occulto; quaſi præſidium poſtularet, vt pro ſe Alexandro ſecreto ſuggereret; Quod cum factum eſſet, & Thurinus ſuffragium promiſiſſet, dixiſſetq. ſe quædam Imperatori dixiſſe, cum nihil dixiſſet. Sed in eo pendere, vt adhuc impetraret euentum vendens. Cumq. iterum viſiſſet, Alexander interpellari, & Thurinus, quaſi aliud agens nutibus annuiſſet, neque tamen interim quidquam dixiſſet, impetratum autem eſſet, quod petebatur. Thurinus autem ab illo, qui meruerat fumi venditori ingentia præmia percepiſſet accuſari eum Alexander iuſſit. Probatis per teſtes omnibus, & quibus præſentibus, quid accepiſſet, & quibus audientibus quid promiſiſſet in foro tranſitorio ad ſtipitem illum ligare præcipit, & fumo appoſito, quem è ſtipulis, & lignis humidis fieri iuſſerat, necauit, præcone dicente fumo punitur, qui vendidit fumum. At ne in vna tantum cauſa videretur crudelior fuiſſe quæſiuit diligentiſſimè, antequam damnaret, & inuenit Thurinum ſæpè etiam in cauſis ab vtraque parte accepiſſe, cum euentus venderet, & ab omnibus, qui aut præpoſituras, aut prouincias acceperant, atque inibi paulo poſt, nec dedit alicui facultatem, vel fumorum vendendorum de ſe, vel ſibi de alijs malè loquendi maximè occiſo Thurino, qui illum, quaſi fatuum, & vacordem ſæpè vendiderat. Quid autem dixerit forum tranſitorium ipſe in eiuſdem vita videtur explicare, cum alio quodam loco ſic ait: Qui de eò fumum vindiderat, & a quodam militari centum aureos acceperat in crucem tolli iuſſit per eam viam, qua eſſet ſeruis ſuis ad ſuburbana Imperatoria iter frequentiſſimū. Porrò genus illud ſupplicij Accidius Caſſius Imperator primus exeogitaſſe legitur, vt ſtipitem præ lungum poneret pedum centum octoginta, ideſt materiam, & a ſummo, vſque ad imum damnatos ligaret, & ab imo focum apponeret, incenſiſq. alijs, alios fumi cruciatu timore, etiam necaret. Hactenus ille; immane profectò ſupplicium, ſed tamen factis tam peſtilentibus dignum.

Primum illud tecum ſtatuito, ne quid cui credas, quantumuis in ſpeciem amico, quantumuis arridenti, complexanti, pollicenti, deierranti, nec quemquam exiſtimes tibi ex animo amicum.

Eſto largiſſimus eorum officiorum, quæ tibi nihil afferunt impendij.

Saluta blande, complectere, cede viam, aperi caput ſubinde repete honoris, & charitatis titulos, lauda affatim, pollicere benigniter.

Proximum erit, vt factiones totius Aulæ ſubodoreris; ſed ita ne ſui te facilè admiſceas ſi quos, aut ſi quas videris, nihil non poſſe apud

Princi-

Principem, vide vt te ſemper inflectas ad latus nauis felicius.

Commodè ſubſeruies, ad orationem arridebis, ſi loqui non dabitur, applaudes velut admirabundus. Sed apud alios plenis, vt aiunt tibijs illius laudes decantabis. Aliqui certè perferent ſi paſſim prædicaueris, quidam.

Nunc hic, nunc ille tibi captandus erit munuſculo, ſed eleganti, & apto magis, quàm prætioſo, ne videaris aureo piſcari hamo, pretium adaes oratione. Excuſabis tenuitatem fortunæ, vbi illa contigerit opulentior, pollliceberis montes aureos.

Si quis Principem ſenſerit vehementer offenſum, ac diuerſam factionem geſtire victoria, ſemper accommoda te fœlicioribus, ſed ita, vt alteram partem non lædas; Solent enim Principum fauores, ventorum in morem ſubinde reſtare in diuerſum.

Proceres aliquot cole. Horum menſis te adiungito, ſed ita, ne crebrius ad eundem. Hic Comis, & commodus eſto conuiua; ſed feſtiuus, ac lepidus, vt ne quem offendas.

Si quid in te dictum erit petulantius in luſum, iocumq. vertito, etiam ſi ſeria res ſit.

Si quos ſenſeris tibi parum amicos, fac artificio ſummo diſſimules, & communibus officijs hoc magis apud illos amicum agas.

In cæteris nugis Aulicorum eſto lepidus congerro.

Ad rem augendam, & conſtabiliendam, vbiq. vigilia; quidam.

Fictiones aliquo modo proportione reſpondent erroribus, nam vt erramus putantes nos ſcire, cum neſcimus, ita fingimus nos ſcire, quæ ignoramus; & vt decipimur exiſtimantes alios velle, quæ nollunt; ita etiam fingimus nos velle, quæ nobis moleſta ſunt; & omnino fingendi ratio aliquatenus errori proportione reſpondet. Sed in eò differt, quod fictiones ferè ſemper ad fingentis commodum tendunt, & illius qui fallitur detrimentum, niſi ludendi gratia fingitur, tunc enim fictio nemini nocet. Nam qui fingit ſe poſſe, ac velle, quæ non poteſt, nec vult, ideirco fingit, vt alterum ad ſua tradendum alliciat. Quapropter multi ſe diuites, aut amicos ſimulant, & magno deſiderio alios iuuandi teneri, vt ipſis alij proſint. Quæ in re tota Curialium, Aulicorumq. facultas conſumitur. Nam geſtus, ſignaq. amoris, ac reuerentiæ mirè exprimunt, & flagrare ſtudio videntur beneficij in alterum conferendi, & eius commodis inſeruiendi, vt alibi dicturi ſumus. Nunc monere ſatius eſt ab ijs, qui figunt diligentiſſimè cauendum poſſe, omnibus enim imponunt; Nec deſunt, qui non idcirco, vt vnum, aut alterum fallant; ſed vt innane probitatis, aut ſapientiæ nomen acquirant; non enim virtutes ipſas, ſed earum vmbras aucupantur. Probi autem, & prudentis hominibus eſt ita ſe gerere, vt

eius

eius potentia, virtus, & dignitas, qualiſcumq. ſit, dimiſſis fictionibus innoteſcat. Nam qui fingendo excedunt, ſimulatores vocantur, qui ſua extenuant, diſſimulatores, qualem Socratem, & Scipionem fuiſſe ferunt. Qui vero ſuas vires, & voluntatem etiam ſi velint, ſignificare neſciunt, rudes, ac ruſtici habentur. At qui rem, vt ſe habet, aperiunt, ſimplices, aperti, & boni viri cenſendi ſunt, licet ſint, qui diuerſis de cauſis fingendum cum multis eſſe contendant. Et Principes nonnullos dicere ſolitos accepimus neſcientem ſimulare neſcire regnare. Qui ſi eatenus fingendum putant, ne ab hoſtibus ipſi fraudentur, ferendi ſunt. Si verò, vt alios decipiant, tantò magis ſunt accuſandi, quantò deteſtabilius eſt fidem publicam, quàm priuatam fallere, & eos peccare contra ius. Gualandus de ciuil. facult.

Principiò Aulicus, & Princeps ſeſe accommodent, donec ex mutua notitia coeat beneuolentia, inter multos enim diſſilit amicitia, priuſquàm alter alteri ſit cognitus. Multi prima ſpecie diſplicent, qui propius inſpecti placent. Ad id conducent ex vna parte dominorum comitas, & ad leuiores lapſus conniuentia ex altera aulicorum obſecundatio.

Si aceliuis ſub Principe periculum, & inuidiam effugere cupit, a nemine alio ſibi officia, dignitateſq. defferri patiatur, præterquàm ab ipſo Principe.

Innocens inuidiam alicuius æquo animo cautè contemnat, & rectè agendo, & vera dicendo, inuidiam marceſcentem rebus alterius opimis vincat.

Aulicus mordaces inuidorum in ſe ſermones lepidè, & ingenioſè repercutere, non magna vehementia refutare debet. Vt puta Hiſpanos aſſerentes, etiam in Hiſpania affuiſſe, qui reperiſſent Indiã, verecundè Columbus irriſit, & reſpondit nihil: ſed ouo offerri in triclinium iuſſo, & menſæ impoſito, verſo ad omnes ſermone. Age dum inquit domini mei, cum quolibet veſtrum depoſito in cœnam pignore certo, neminem eorum, qui hic ſunt facturum ouo iſto, quod ego facturus ſum, videlicet, vt nullo nixum adminiculo ſtans, & erectum in pedem ſuopte nutu maneat; periculum fecerunt omnes, neque vlli illorum ſucceſſit, ſed ipſe Columbus ouum altero eius faſtigio, vel angulo menſe illiſo, ac leuiter quaſſato, rectum, firmumq conſtituit; Significans iam omnibus factu facilè, poſtquàm ipſe primus probaſſet, & Americam inueniſſet.

Inuidia communis peſtis aulica; quæ vt homini connaſcitur, ita Baldo ſcribente inter pares, vel apud inferiores quoque ſolet oboriri, nullis remedijs poteſt curari, & imminui, quàm humanitate, & affabilitate.

Qui

Qui volunt ſub aliquo Principe facere magnos progreſſus, conentur ſeruitio promptiſſimos ſe exhibere; abrupta enim contumacia, non ſolum progreſſus aulici interrumpit, ſed eos frangit, & tollit.

Aulicus, qui a Principe prouehi cœpit, ſemper ſtudeat ante illius oculos verſari, & ab eo conſpici, ſæpè enim repentina ingruunt negotia, quæ Principes illis committunt, qui prius ipſorum conſpectui offeruntur.

Aulicus ſemper famæ dare debet, quòd ad munus acceptandum vocatus, electuſq. acceſſerit.

Quando prudens Aulicus cognoſcit ſe in offenſionem Principis inaduertenter incidiſſe, nihil moretur eum quoquo modo lenire, recondunt enim altè offenſas Principes, quas ſuo tempore multò grauius exprimunt.

In Aula cuius facta diſcordant verbis, ei numquàm fides iuranti, quod enim loquitur, id ſemper ſapiens debet agere inquit Seneca. Verum enim illud.

Quæ non facias dicere, ideſt quod es, nec eſſe.
Nec, quæ facias dicere, fortis, aut modeſti eſt.

Aulicus qui ſperat ſe breui dignitatem adepturum, caueat a ſuperbiæ oſtentatione, imò humilius ſe gerere debet, ſic enim, & illius, a quò dignitatem expectat, gratiam conſeruabit, & communem aularum peſtem, inuidiam effuget. Qui conſiderat ſecum, quàm omnis dignitas vana, & inſtabilis, is nihil timebit.

In Aula res male ſe habet, quando eſt licentia deterrima, cuique excitandi impunè probra, calumnias, & mendacia, inuidiamq. in mortuum magiſtratum, & reliquos viuos miniſtros.

Improbi aulici, qui aliquem euertere ſtudent, ſceleſta via, & callidiſſima vti ſolent: ſubdunt aliquem, qui miſerum accuſet, atque illi interim partes iudicis aſſumunt, quaſi mera æquitate, & iure, non affectibus impulſi iudicaturi ſint; a tali Iudice libera nos Domine.

Improbi, & indocti aulici, vt melioribus, & doctioribus viam præcludant ſempiterna memoria dignos, ne emergant, quacumq. poſſunt arte, premunt. malitia enim calumnia, & mendacijs nunc celebrant pro ſua libidine bonos, & improbos viros, a quibus bonus, cautus, optimus venditur Princeps.

Aulici noſcentes Principis ingenium, & qui illi continuò adſunt, quicquid cupiunt, obtinent, modo ne abutantur.

Aulicus cautè ſe gerat tàm circa offenſas acceptas, quàm alijs illatas, & ab vtroq. hominum genere ſi tectum ſeruabit.

Aulicus ſapiens quando ſe deprehendit ſibi plus prudentiæ, autoritatis, gratiæ, virtutis, & aliarum Dotium a Deo datum, ac alijs, tunc

cogitet,

cogitet, tantò magis ſe obligatum ad iuuandum proximum, & Papiniano docente: intereſſe hominis hominem beneficio affici.

Mundo enim, & aula ſecurè nemo confidere poteſt, vt ſumma eloquentia Antonius de Gueuara in tractatu de vita priuata demonſtrat, & maiori cum zelo ſacra Scriptura inculcat.

Filioli ne diligite mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt: ſi quis diligit mundum, charitas patris non eſt in eo; quoniam quicquid eſt in mundo cupiditas carnis, & libido oculorum, & faſtus vitæ non ex Patre, ſed ex mundo eſt.

At Germanicus legionum, quas nauibus vixerat, &c.

Super illa verba, mox Tiberius conſultante Pompeio Macro pratore, an iudicia Maieſtatis redderentur exercendas leges eſſe reſpondit, dubitari contigit.

Vtrum Princeps leges mutare debeat, & vtrum ſit ſolutus legibus, & de alijs, quæ ad leges pertinent.

PRoculdubio poteſt Princeps leges mutare, non enim regibus perinde ac medicis, & grammaticis certas adhibere poſſe regulas, & quaſi leges, quorum definitionibus, atque decretis alligentur, conſtat. Negotiorum varietas, vt inquit Gergius Bucharanus in dialogo de iure regni apud Scottos non patitur vllam ferri legem perpetuam conſtantem, & quæ apud omnes homines idem valeat fati neceſſitate ſoluta. Id eòq. bonus ille iuriſconſultus omnẽ in iure definitionem periculoſam eſſe refert. Parum enim refert, vt ſubuerti non poſſit. Leges enim prudentiæ ſunt, non alicuius artis, aut ſcientiæ. Hæc vniuerſarum rerum eſt, illa ſingularum, hæc neceſſariarum, & eodem modo ſemper habentium, illa mutabilium quales ſunt, quæ actionem cadunt, illa præceptionibus certis, ac legibus, hæc experientia modo continetur; at & vt inquit P. Greg. Tholo. de iuris arte, methodo, ac præceptis cap. 7. num. 10. expedit eſſe quoſdam, qui iura naturalia poſitione quadam temperent, & praſcribant, vt ſalua ſocietas, humana, & ciuilis eſſe poſſit, etenim vnum corpus faciunt ſocietates hominum, & idcirco, vt in corporis ægritudinibus eadem ars medicina; Idem medicus ſecundum diuerſas qualitates, & ſympthomata pharmaca miſcet, & temperat, neque eundem morbum ſimili per omnia medici-

medicina in diuerſis corporibus curat, neque in eodem morbo, & corpore eodem pharmaco omni tempore in diuerſo robore, & diuerſa ætate vtitur; ſic etiam legislator Princeps, vel alius, qui præponitur regimini ex eadem arte, & officina vna aqui, & boni omnibus rebus publicis, vel priuatis omni tempore ſimiles leges, vel eaſdem non fert, ſed habita ratione loci, temporis, perſonarum ſancit, mutat, innouat, tollit ſecundum præſentem ſtatum, & habita ratione futuri; ita vt leges poſteriores prioribus derogent, vel priores ad ſequentes trahantur, & ad naturæ varietatem, quæ continuo motu agitur, leges accommodet; quare cum euidenter pateat leges a Principe mutari poſſe, aliqua in modum aximatum dicemus.

Res duæ ſunt propter quas, omnes feruntur leges, tum vt ne quiſquam iniuſti aliquid agat, tum vt ijs, qui ius violarunt punitis, alij meliores reddantur. Demoſthenes contra Ariſtog. quare.

Leges debent ciuium incolumitatem, non proprium commodum reſpicere; a maioribus enim noſtris nulla alia de cauſa leges ſunt inuentæ niſi, vt ſuos Ciues incolumes conſeruarent.

Illæ potiſſimum leges hominem ſimilem Deo reddunt (quatenus Deo ſimilem fieri hominem licet) quæ ad publicam vtilitatem faciunt. Chriſoſtomus in verba illa Pauli habentes autem eundem ſpiritum.

Populis ſunt leges accommodandæ, non autem populi legibus. Queadmodum enim calciamenta pedibus, non pedes calciamentis, caligæ tibijs, non tibiæ caligis, aliaq. dorſi veſtimenta, & indumenta corpori, & partibus corporis, non corpus veſtimentis eſt adaptandum. Atque non ſolum populis, populorumq. naturæ, verum & temporibus, & locis. Vnaquaq. regio peculiari temperatione producit incolas; Quod ſi mores corporis temperaturam ſequantur nullum eſſet dubium, quin vni populo aliæ leges, & aliæ alteri ſint accommodandæ. Celſus Manemus de iuribus Principatuum lib. 7. c. 7.

Lex honeſta ſit, iuſta, poſſibilis, ſecundum naturam, ſecundum patriæ conſuetudinem, loco, tẽporiq. conueniens, neceſſaria, vtilis, manifeſta, id eſt non obſcura, non captioſa, nulli priuato commodo, ſed communi ciuium vtilitati conſcripta. Iſidorus.

Ab his non longè diſcedunt rethores, cum de legum ſuaſione, ac diſſuaſione præcipiunt; legis vitium inquit Quintilianus, aut in verbis, aut in rebus eſt, in verbis quæritur an ſatis ſignificent, an ſit in his aliquid ambiguum, in rebus, an lex ipſa conſentiat, an in præteritum referri debeat, an in ſingulos homines maximè verò commune eſt quærere, an ſit honeſta, an vtilis. Non probatur ſententia eorum qui putant leges factas eſſe, vt earum metu humana coerceatur audacia;

Contra

Contra enim Plato legis putat eſſe perſuadere non omnia vi, ac minis cogere; & Diodorus lib. 1. Blibio. barbarorum leges reprahendit, quæ magis punire, quàm docere videantur, ac Xenophon lib. 1. de vita Cyri Perſarum inſtituta maximè laudat, quòd non vt cæteri de pœnis, criminibus, ex legibus imponendis ſolliciti ſint, ſed multò magis caueant, vt ne qua crimina apud ipſos reperiantur. Legis autem virtutem eſſe non negamus, vt punire nihilominus, quàm imperare, vetare, & permittere poſſit; illas tamen optimas eſſe leges dicimus, quæ ad benè, beatèq. viuendum ſint accommodatæ, cui rei neceſſarium nonnumquàm eſt pœnis, ac multis vti, ne impunita crimina delinquendi cupiditatem improbis augeant. Antonius Auguſt. in lib. de legib. & Senatus conſult.

Legum latoribus vtile eſt, vt præmia, ſuppliciaq. iuſtè proponere poſſint, diligenter animaduertere, quod rerum homines ſponte, quidq. inuiti contrahat. Ariſt. lib. 5. cap. viij.

Non ſatis eſt leges iuſtas eſſe, & conſpirantes ad vnum fœlicitatis communis finem, ſed oportet etiam, vt quatenus fieri poteſt, omnes ſint fœlices, & apertè naturæ quidem, gentiumq. leges ab omnibus facilè poſſunt cognoſci, & diuinæ quoque quamquàm difficiles videantur, & obſcuræ, lumine gratiæ ſtatim valde perſpicue fiunt, oportet autem etiam ciuiles clariſſimam rerum propoſitarum veritatem continere Nicolaus Bieſius de rep. lib. 4. cap. 9.

Plurimas leges legislator fugiat, corruptiſſima enim Reſp. plurimæ leges Tac. 4. Annal.

Decet in ferendis legibus poſſibilitatis, & facultatis rationem habere, ſi quis velit vtiliter in paucos, quàm ſine vtilitate in multos animaduertere Plutarchus in Solone.

Vt in morbis non ſunt tentanda noua remedia, ſi veteribus ſuccurri malo poſſit, ſic non ſunt condendæ nouæ leges, ſi veteres miniſtrent aliquid, quo malis Reip. medearis Aug. epiſt. 118.

Auguſtus Cæſar in præceptis benè adminiſtrandæ Reip. hoc primum tradidit, leges firmiter retinete, nec quidquam in his mutate, nam quæ eadem ſemper manent, & ſi ſint non nihil vitioſa, vtiliora tamen ſunt his, quæ ſubdinde etiam ſi in melius innouantur Dion Caſſius lib. 53. imò multo melius eſt ſtatus ciuitatis, quæ licet deterioribus, firmis tamen legibus vtitur, quàm illius, quæ bonis quidem, ſed quæ perinde non obſeruentur. Thucydides. lib. 3. in oratione Cleonis.

Quemadmodum morbos extitiſſe ante neceſſe eſt, quàm remedia eorum, atque medicamenta. Itaque prius nequitia nata eſt, & ſcelus exortum, quàm leges conditæ, quæ obuiam irent nequitiæ, ſcele-

rique

riquè flagitiorum, & quemadmodum medela plures ad innumerabiles prope corporum morbos excogitatæ ſunt. Ita leges innumeræ ad infinitas animorum improbitates amputandas ſordeſq. emaculandas conditæ fuerunt. Philippus Beroaldus in orat. habita in enarratione verrinarum.

De Eccleſiaſticis leges Princeps ſæcularis non ferat, nullus enim in Eccleſia habet autoritatem imperandi, ſed neceſſitatem obſequendi.

Regula primum recta ſit oportet, deinde, quæ applicentur corrigat. Ita Princeps primum ipſe vitijs careat neceſſe eſt, deinde alijs leges præſcribat. Plutarchus in moral. Quod ad 2. attinet certum eſt Principem ſolutum non eſſe a lege diuina, neque a lege naturæ, neque a dictamine rationis. Quod ad humanam attinet eſt opinio Diu. Thom. q. 96. artic. 5. ad 3. quam ſequitur Caietanus illic, & Sotus lib. 1. de iuſt. & iur. q. 6. artic. 7. & Didacus Couarruuias relectione ſuper capitulum Alma Mater par. 1. §. 1. num. 4. & alij communiter Prinnipem non quidem obligari ſua lege quò ad vim coactiuam, ſed obligari tamen ea, quò ad vim directiuam, quatenus lex humana ex lege naturali, & æterna vim habet obligandi in conſcientia.

Probatur autoritate Philoſophorum, nam Plato lib. 4. de legibus, ita ſcribit, paratum exitium illi Ciuitati video, in qua non lex magiſtratibus, ſed legi magiſtratus præſunt.

Probatur adhuc ratione ex lege naturali, & æterna ducta hoc pacto; id tenetur Princeps facere, quod niſi faciat, violabit legem naturæ, ſed niſi ſeruet ipſe legem, quam ſubditis ſancit, ijs cauſis adductus, quæ non minus ad ipſum, quàm ad illos pertinent, violabit legem naturæ; ergo ipſe quoque in conſcientia tenetur legem talem ſeruare. Maior non indiget probatione; Minor autem, vt rectè notauit Caietanus euidenter poteſt colligi ex aliqua trium propoſitionum, quarum qualibet eſt legis naturalis; atque adeò ipſa quoque minor aſſumpta eſt legis naturalis; & conſequenter etiam æternæ. Prima propoſitio eſt. Quod oneris tibi imponi non vis, id neque debes imponere alijs, qui ſint eadem conditione, qua tu, quò ad rem, de qua agitur. Et è contrario. Si quid oneris alijs imponas, id tibi etiam eſt ſubeundum. Secunda propoſitio. Turpis eſt pars, & præſertim caput, ſi non congruat cum alijs partibus, atque adeò cum toto in ea re, quæ ſimiliter ad ipſum pertinet. Tertia propoſitio ſuperior cum quippiam ſubditis præcipit, hoc ſerio, & efficaciter præcipere debet ſicut oportet, vt ad id præſtandum ſubditi moueantur. Et conſequenter non ſolum verbo, ſed etiam exemplo in ea re, quæ ad ipſum ſimiliter

ter ſpectat, debet eos impellere. Alioqui gubernatio pareret contemptum,& facilè præceptum contemneretur.

At notandum hic ex Valentia diſput.7.q.5.de lege humana punct. 4. Quod quamdiù princeps vult ſubditos obligari per legem, quam tulit (quæ eſt ſcilicet vna conditio, ex qua,virtute legis naturalis, & æternæ ſequitur Principem eadem lege teneri) tandiù ipſe etiam manet obligatus. Ne alioqui ſit pars turpis, quæ diſſideat a toto, neuè ex eorum ſit numero, qui imponunt alijs onera grauia, ipſi autem ne digito volunt ea mouere contra illud. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, vt anteà deduximus.

Quod ſi Princeps ſimpliciter abrogaret legem, tunc quidem, neque ipſe tali lege obligaretur vlla ratione, quoniam iam mutaretur quædam conditio, qua poſita,Princeps,& quilibet ſubditus directè,vel indirectè per legem obligabatur, ſcilicet obligatio legis quoad ſubditos, cum quibus ex vi legis naturalis,& æternæ oportebat Principem concordare, vt antea deduximus...

Nec verò eſt abſurdum, quòd poſſit aliquis arbitrio ſuo liberare ſe ab obligatione alicuius legis mutando conditionem aliquam eiuſmodi, ſine qua lex non obligabat ipſum. Imò hoc etiam reſpectu legis naturalis paſſim accidit, ſicut ver. gr. vir, & fœmina tenentur abſtinere,quamdiù ſunt ſoluti matrimonio. Quod ſi matrimonium ineant, quoniam mutant conditionem ſuam, voluntate propria ſeſe liberant ab obligatione illius præcepti negatiui; efficiuntq. vt iam ſibi liceat, quod antea non licebat.

Atque ex his facile eſt iudicare de ijs, quæ Caiet. differit q.12. art. 5. ſub finem, vbi citatis quorumdam opinionibus diſputat. Vtrum, & qua ratione Princeps poſſit ſe, vel ſubditos eximere a lege, quam tulit,& ſimul etiam poteſt fieri iudiciũ de opinionibus illis, quas citat.

Summa eorum,quæ rectè aſſerit Caietanus eſt, poſſe quidem Principem ex cauſa rationabili diſpenſare ſecum,aut cum ſubdito. Item poſſe etiam,aut ſe,aut ſubditum pro libito,ita eximere a lege,vt non amplius illa quidem teneatur,nec eius violatæ ſit reus, non poſſe autem vel ſe, vel alium pro libito, ita eximere, vt ſi contra eam faciat, non ſit reus violatæ legis naturalis: quatenus nimirum turpis eſt pars, quæ non eſt conformis toti, ſiue ea pars ſit tamquàm caput (vt eſt Princeps ipſe,) ſiue tamquam aliud membrum, vt eſt quilibet ſubditus.

Quæ doctrina tunc maximè poteſt habere vſum, quando aliqua certa pœna (vt excommunicationis verbi gratia) tranſgreſſoribus legis decreta eſſet, tunc enim ſubditus ab huiuſmodi lege quandoeumq. exemptus non incurreret talem pœnam faciendo contra legem, etiam

ſi in

ſi in eo peccaret contra legem naturæ, ob rationem dictam, ſi abſq. rationabili cauſa fuiſſet a lege humana exemptus.

Verum & ſi Princeps quoad vim coactiuam ſolutus ſit legibus, tamen bonus Princeps leges latas a præceſſoribus bonas, & vtiles Reipublicæ confirmare, & retinere, & colapſas reſtituere, & ſic efficere eas, vt ſuas debet, vt inquit Zeebius lib. 2. de Principe.

Ex quo notandum, quòd Principem ligant leges ſuperioris in eo, in quo eſt illi ſuperior c. quamquam 13. diſtinct. vnde legibus Canonicis obedire debet 1. Petri. 2. cap. omnis, & cap. ſolitæ de maior. & obed. maximè in ijs, quæ animam concernunt. Legibus verò alterius principis paris, Princeps non ligatur c. venerabilem, qui fil. ſint legit.

Vlterius, vbi lex Principis tranſit in contractum non poteſt reuocari in præiudicium eorum, quibus ex ea quæſitum eſt ius Innoc. in c. nouit. de Iudic. vt & priuilegia, quæ conceduntur in vim pacti non poſſunt reuocari Anchar. in cap. 1. de conſtit. in 6. vt & ligatur lege contractus initi. Bald. in l. 2. C. de Serius Abb. & alij. in c. 1. de probat. Dec. in conſ. 151.

Et ne dum princeps ligatur proprio contractu, ſed & tenetur ſtare contractui inito per præceſſorem, quando eſt factus nomine dignitatis, niſi fiat præiudicium his, quæ adhærent dignitati principali, quæ dicuntur iura Regni, diadematis, & coronæ, niſi ſit modicum quid, & ſubſit cauſa, vel niſi principatus liberè ſint poſſidentis, vt pluribus probat Greg. Tholoſ. de Rep. lib. 7. c. vlt.

Et quamuis Princeps, vt ſuperius diximus, leges poſſit mutare; tamen nullas leges, & conſuetudines eſſe potius abrogandas, quàm quæ ipſi conſcientiæ, & humanitati repugnant; & in condendis eis illud in primis cauendum erit, ne quid oleant fiſci lucrum, ne priuatam procerum commoditatem, ſed ad exemplar honeſti, & ad publicam vtilitatem referantur omnia, & eam vtilitatem non ad vulgarem opinionem, ſed ad ſapientiæ regulam exigant, quam oportet, vbiq. Principibus in conſilio eſſe. Alioqui ne lex quidem erit, fatentibus, & Ethnicis, ni iuſta ſit, ni æqua, ni publicis commodis conſulens. Nec protinus lex eſt, quod Principi placuit, cui nihil placet, niſi quòd honeſtum, & è Repub. ſit, quòd ſi diſtorta fuerit regula, ad quam exequenda fuerant praua, quid futurum eſt, niſi vt per huiuſmodi leges etiam, quæ recta fuerant, deprauentur.

Et Plato vult leges eſſe quàm pauciſſimas, maximè de leuioribus rebus, veluti de pactis, commercijs, vectigalibus. Nec enim ex multitudine legum naſci ſalutem Reip. non magis, quàm ex multitudine pharmacorum. Vbi Princeps integer eſt, & officio ſuo funguntur Magiſtratus, niſi opus multis legibus, vbi ſecus habet, ibi legitur ab-

uſus in perniciem vertitur Reipub. dum & bene condita leges ſine improbitate altò detorquentur. quidam.

Eiuſmodi leges proponat Princeps, quæ non ſolum pœnam denuntient ſenſibus, verum etiam, quæ perſuadeant non eſſe peccandum. Proinde errant, qui putant leges paucisſimis verbis eſſe comprahendendas, vt tantum iubeant, non etiam doceant, imò magis in hoc ſint occupata, vt deterreant a peccando rationibus, quàm pœnis, etiam ſi hanc Platonis ſententiam non approbat Seneca. Sed audacter hoc quidem magis, quàm eruditè.

Multa leges rectè quidem ſunt inſtituta, ſed eas officiorum prauitas ad peſſimos vſus detorſit. Nihil autem perniciosius bona lege ad malas res deflexa. Ab his igitur tollendis, aut emendandis non oportet Principem Fiſci iactura deterreri. Nec enim compendium eſt cum honeſti ſtipendio coniũctum, maximè cum ſint eius generis, vt plauſibilis etiam ſit earum abrogatio. Neque verò ſibi blandiatur, ſi leges huiuſmodi compluribus in locis inualuerunt, vt diutina iam conſuetudine inueterata ſunt. Nec enim hominum numero conſtat honeſti natura, & hoc diligentius eſt tollendum, quò magis inueterauit malũ.

Quemadmodum Princeps, ita & lex ſemper debet eſſe propenſior ad ignoſcendum, quàm ad puniendum, ſiue quod per ſe benignius, ſiue quod magis reſpondet ad mores Dei, cuius ira lentiſſimè ad vindictam procedit, ſiue quod non rectè elapſus ad pœnam repeti poteſt, iniuſtè damnato ſuccurri non poteſt. Is etiam ſi non periјt, quis tamen alterius æſtimabit dolorem.

Nullis igitur commiſſis facibus, ac libentius ignoſcet bonus Princeps, quàm quæ ad priuatam ſui iniuriam pertinent.

Nam cui facilius eſt eiuſmodi contemnere, quàm Principi? At huic vlciſci quàm facilè eſt, tàm eſt inuidioſum, & indecorum. Cum enim vltio puſilli, & humilis animi ſit argumentum, nihil minus competit in Principe, quem oportet animo eſſe excelſo, magnoq.

Non ſatis eſt Principem ab omni crimine abeſſe, ni criminis etiam ſuſpicione, ſpecieq. vacauerit. Quamobrem non ſolum perpendet, quid mereatur is, qui deliquit in Principem, ſed quid alij iudicaturi ſint de Principe, & ſuæ dignitatis reſpectu nonnumquam ignoſcet immerenti, & ſuæ conſulens famæ veniam dabit, veniæ indignis.

Hinc quoq. aſperauere carmina incertis autoribus vulgata, &c.

Super hæc verba ſed Marcellum inſimulabat ſiniſtros de Tiberio ſermones habuiſſe, dubitari poteſt.

Vtrum nemini liceat in Principem inuehi.

NOn licet Principes libellis infamibus, vel petulanti lingua, vel maledictis inſectari.

Primò, quia Dei iudicia exercent, iuxta illa, quæ in quæſtione de dominio diximus, quod ampliatur etiam ſi malus eſſet, iuxtà ea, quæ diximus.

Secundò, quia Principis delicta nec a populo corrigi, nec populi iudicio vindicari debent; ſi quidem populus ſemper æger eſt, ſemper inſanus, à cuius arbitratu, ſententiaq. pendere, nec fortis eſt viri, nec ſapientis, vt inquit Gergius Buchananus in Dialogo de iure regni apud Scottos.

Tertio, ratione periculi, nam vt portenta ſunt formidandi cum multis oculis, ijſq. emi. ijs, multis auribus ijſq. aſininis, ac longis, multis manibus, pedibus ſint instructi. Inde exploratores Principum oculi vocantur. Ariſtophanes in Acharnenſibus, Pſeuda tabam regis oculum appellat, quia per eum cognoſceret quid ageretur, & in vulgo eſt, a Regibus cauendum, quòd eis prælonga ſint brachia nimium, quòd per ſuos, quibus brachiorum vice vtuntur, poſſint etiam procul diſſitos affligere, & ſi diutius diſſimulent ſolent tamen pœnam ſumere de ijs, quibus infenſi fuerint, vt dicit Homerus.

Rex Deus eſt, quoties ſuccenſuit inferiori,
Quamquàm etenim in præſens feruentem conquoquit iram,
Poſt odit, tamen vſque odium dum expleuerit vltus.

Quare cum Princeps vt plurimum libertatem dicendi ferre non poſſit, & vindicta libera vota corrigant, mirum non eſt, plerumquè deeſſe, qui illos ex animo, & ſyncerè moneant cum P. Camerario referente, perpauci inueniuntur, vel propè nulli, qui ipſos, ac non fortunæ ſplendores, & ſuas commoditates ſequantur; attamen, vt inquit Durus de Paſcuo in aulico politico, nemo debet celare veritatem patriæ, & Principi vtilem, etiamſi in vitæ periculum inciderit; melius enim eſt, & laudabilius perdere vitam, quàm ſupprimere ſalubre conſilium, & mortuum veracem plus diligit Princeps, quàm adulatorem viuum, & hæredibus mortui compenſabit iuſtus, & prudens Princeps.

At dices Chriſtus Herodem vulpem vocauit, ergo licet in Principem inuehi.

Reſpondetur Chriſtum non ex Magiſtratus contemptu feciſſe, vt inquit Cornelius Ianſenius comment. in concor. euang. cap. 91. col. 3. Sed ex autoritate Spiritus, & ad demonſtrandam potentiam patris, qua fretus nec illum, nec quemuis hominem metueret, quam hominis libertatem non imitari quiſquam debet, tum quia nemo ita ſciat ſe præditum diuino Spiritu, tum quia aliorum corda, & renes nemo, vt Chriſtus rimari poſſit.

At dices, inuehi in Principem, præſertim malum videtur eſſe quædam hominum ſatisfactio, ac praua mentis leuamen, & verba populi eſſe pro delicti pœna.

Ad hoc reſpondetur, quod malicia ſufficiens pœna eſt malo. Homo namq. prorſus improbus, præterquamquod ijs, quibus eſt natus in odio eſt, & reprahenditur, etiam ipſe ſe modo quodam odit, cum eius conſcientia ſceleritatem odio perſequatur. Rectè Seneca epiſ. 97. Ita eſt, tuta ſcelera eſſe poſſunt, ſecura non poſſunt, quare? quia prima, & maxima peccantium pœna eſt peccaſſe, nec vllum ſcelus licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur, ac vindicet, impunitum eſt, quoniam ſcelus in ſcelere ſupplicium eſt, ſed nihilominus; & hae, & illa ſecundæ pœnæ premunt, ac ſequuntur timere ſemper, & expaueſcere, & ſecuritati diffidere, & Plutarch. lib. de ſera num. vindi. ergo ſi fas eſt dicere cenſeo ſceleſtos nullo neque Deo, neque homine indigere, qui ſupplicia ipſis imponant, ipſam ad hoc eorum exiſtimo ſufficere vitam totam à prauitate corruptam, atque conturbatam; nec opus eſt accreſcere exempla: vnus erit pro multis Imperator Tiberius, cuius hæc extat ad Senatum epiſtola Suetonij c. 67. Quid ſcribam vobis patres conſcripti, aut quomodo ſcribam, aut quid omninò non ſcribam hoc tempore? Dij me, Deæq. prius perdant, quàm quotidiè perire ſentio, ſi ſcio, &c. Quibus interpretandis faciunt illa Tacit. lib. 6. Adeò facinora, atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur Tyrannorum mentes poſſe aſpici laniatus, & ictus, quando vt corpora verberibus, ita ſæuitia, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuaſq. ipſas pœnas fateretur.

Idem volunt Senecæ iſthæc, epiſt. lxxxi. minimum ex nequitia leuiſſimumq. ad alios reddunt; quod peſſimum ex illa eſt, & vt ita dicam ſpiſſiſſimnm domi remanet, & premit habentem. Quemadmodũ Atalus noſter dicere ſolebat, malitia ipſa maximam partem ſui bibit. Illud venenum, quod ſerpentes in alienam perniciem proferunt, ſine ſua continent, non eſt huic ſimile hoc, habentibus peſſimum eſt, &c.

Eludant igitur, qui volunt, vt inquit Gruterus leges ſcriptas, imò pro imperij poteſtate etiam rideant, dummodo numquam imponant conſcientiæ, cogantur gemere cum illo Petroniano. Dij, Deæq., quàm malè eſt extra legem viuentibus, quicquid meruerunt ſemper expectant. Tullius pro Amerino; Nolite eum putare queadmodum ſæpè numero in fabulis videtis, eos, qui aliquid impiè, ſcelerateq. commiſerint agitari, & perterreri Furiarum tædis ardentibus, ſua quæmque fraus, & ſuus terror maximè vexat; ſuum quemq. ſcelus agitat, amentiaq. afficit; ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæq. animi terrent. Hæ ſunt impijs, aſſiduæ, domeſticaq. pœnæ furiæ.

Nihil horum negabit Nero, de cuius matricidio ſic Tranquillus c. 34. Neque tam ſceleris conſcientiam, quamquàm, et militũ, et Senatus populiq. gratulationibus confirmaretur, aut ſtatim, aut vmquàm poſtea ferre potuit; ſæpè confeſſus exagitari ſe materna ſpecie verberibus furiarum, ac tœdis ardentibus. Deq. eodem Tac. lib. 15. annal. Cum Veſtæ quoq. templum iniſſet, repente cunctos per artus tremens, ſeu numine exterrente, ſeu facinorum recordatione numquã timore vacuus, etc. Nihil Otho, qui teſte Suetonij c. 7. dicitur ea nocte per quietem pauefactus gemitus maximos edidiſſe: repertuſq. a concurſantibus humi ante tectum iacens &c. Nihil Domitianus, cuius ſic meminit Xiphilinus. Etiam ipſe per ſomnum vidit, & Ruſticum ad ſe cum gladio accedere, & Mineruam, quam in cubiculo ſtatuam collocatam habebat, arma proieciſſe, ſeq. incedentem currui nigrorum equorum in hiatum quemdam prolabi. Nihil Pentapolitanæ Libyæ rectorum, Iudæorum inſignis carnifex, qui teſtante Ioſepho lib. & c. vlt. Multiplici morbo, & inſanabili correptus, acerbiſſimè tortus eſt, non corporis tantum cruciatus ſuſtinens; ſed erat ei maior animi morbus, & grauior. Terroribus enim expaueſcebat, & crebrò videbat ſibi inſtantes vmbras eorum, quos peremerat, & clamitabat. Cumq. ſi tenere non poſſet exiliebat ſtratis, tamquam tormentis ſibi, & flammis adhibitis. Nihil Gallus, de quo prodit Marcellinus li. 14. Inter hæc tamen per inducias naturæ quieſcentis, ſauciabantur eius ſenſus circumſtridentium errore laruarum: interfectorumq. cateruæ Domitiano, & Montio præuijs correptum eum, & vti exiſtimabat in ſomnis vncis furialibus obiectabant. Nihil Feſtus, qui cum Philoſophum maximum ſupplicio affeciſſet; dicebat maximum numella collo iniecta viſum fuiſſe ipſum ad Orcum pertrahere, ſiſtendum Plutonis iudicio, vt recenſet Eunapius in vita Maximi. Quibus exemplis firmatur opinio Quintiliani cenſentis declamatione 314. Nec tamen illa mihi vana quorumdam videtur eſſe perſuaſio, qui credunt non extrinſecus has furias venire, nec vllius Deorum impulſu hanc mortalibus incidiſſe dementiam, ſed

naſci intus; conſcientiam eſſe, quæ torqueat animum eſſe, qui vrat. Iterum gratulor. bene hercle factum eſt; quod etiam ſi omnes fefellerimus effugere non poſſumus nos. Hinc defenſio illa Filotæ apud Curtium lib. 6. graui ſopore acquieſcebam, cum me malis meis indormientem inimici vinciendo excitarunt. Vnde, & parricidæ, & proditores tam alti quies ſomni? ſcelerati conſcientia obſtrepente, cum dormire non poſſint, agitant eos furiæ non conſumato modo, ſed & cogitato parricidio. Cui & aſſentiuntur iſta Dionyſii loquentis de ſeruilis coniurationis autoribus lib. 5. antiqu. Rom. In ſomnijs enim obſeruabantur eis horribiles quædam ſpecies, intentantes pœnas atroces niſi cœpto deſiſterent; videbanturq. ſibi exagitari a quibuſdam a furijs, & verberari; tandem etiam oculis orbari, multiſq. alijs ſupplicijs miſerum in modum affici, ita vt terrore, ac tremore excitarentur, ac ne ſomnum quidem præ huiuſmodi terriculamentis poſſent capere.

His de cauſis debet ſubditus a probis ſe abſtinere.

At è contra principes deberent de ſe ſiniſtros clamores cauere, cum præſertim, vel minima illorum peccata maxima videantur, eaq. etiam omnium celerrimè in vulgus emanare, vt inquit Caſtellanus. Regum enim, vt inquit Seneca in lib. priori de clementia facta, dictaq. rumor excipit, quia fugienda eſt etiam ſuſpicio peccati, vt egregiè monuit Iſocrates, vbi dixit calũnias quoq. eſſe vitandas, qua de re etiam Plautus.

Omnes bonos, bonaſq. accuratè adderet,
Suſpicionem, & culpam vt ab ſe ſegregent.

Hoc ſignificauit, & Seneca in eodem libro cum dixit, Princeps etiam debere multa famæ dare, vt Marcus Antonius Philoſophus, qui vt refert Iul. Cap. famæ ſuæ carioſſiſſimus erat, & requirens ad verũ quid quiſq. de ſe diceret, emendans, quæ bene repræhenſa viderentur. Quamobrem, vt Ariſt. in his. inſpice aſſiduè in tuam gloriam, & excellentiam dignitatis tuæ, vt ita conſentanea illis, & loqui, & cogitare ſtudeas ex hac animi ſententia. Quia omnes, quibus tu imperas de te cogitent, & loquantur. Nam nihil prorſus in te debet eſſe ſimulatum, & fictum, quẽadmodum, nec perſonam illam quam ſuſtines fingere, & ſimulare potes. Hoc alij intercernentes omnes ſimiliter ſtudebunt agere; verum tu nihil ſimulas, neque es Rex perſonatus, ſed præſtas Regem verum ex gratia Dei, qui pro tuorum morum præſtantia tibi imperium dignum contribuit. Quare.

Miſeros ſubditos aliqua in re ne reddat, nam vt Liuius lib. 31. dant animum ad loquendum liberè vltimæ miſeriæ, & afflictis debet veniam dare, iuxtà illud.

Da veniam afflicto, dictiſq. ignoſce ſuperbis.

Nam vt Agapetus de officio Regis 63. ſi delictis tuis ignoſci deſideras his

bis etiam, quietè offendunt veniam dare non detrectes, quoniam remiſſioni retribuitur remiſſio, & cùm direpta, ac conſulta cum conſeruis noſtris gratia reſarcitur Dei amicitia, & familiaritas reconciliatur. A delictis abſtineant; nam ſicut in fauendis ſceleribus prompti, ità audiendi, quæ faciunt inſolentes, vt inquit Tacit. 15. ann.

Super illa verba ſubuenit Cæſar, & Propertio Celeri Prætorio veniam ordinis ob paupertatem petenti, decies ſextertium largitus eſt, dicendum eſt.

De Liberalitate.

CVm propria bonorum Principum laus ſit benignitas, ac benificentia, qua tandem fronte principis vocabulum ſibi vindicant, quibus omnium conſiliorum ſumma huc tendit, vt cunctorum incommodo ſuis conſulant rationibus? In hoc igitur erit ingenioſus, ac vigilans princeps, quo pacto poſſit de omnibus benè mereri, quæ res non eſt tantum in dando ſita. Alios iuuabit liberalitate, alios fauore ſubleuabit, alios afflictos autoritate ſua liberalitate, nonnullis ingenio conſulet. Et hoc animo erit, vt eum diem ſibi periſſe putet, quo non beneficio ſuo iuuerit aliquem. Nec tamen temere collocanda eſt principis liberalitas. ſunt enim qui indecenter extorqueant a bonis ciuibus, quod in moriones delatores, & voluptatum miniſtros effundant. Intelligat Reſpub. ijs potiſſimum expoſitam Principis benignitatem, qui publicis commodis quàm maxime conſulant, virtuti præmium ſit non affectui.

Illud benificentiæ genus maximè ſeruandum eſt Principi, quod cum nullus incommodo, aut certè iniuria coniunctum eſt. Nã alios ſpoliare, vt dites alios, hos peſſundare, vt illos euehas, adeo non eſt beneficium, vt geminum potius ſit maleficium, præſertim ſi quod dignis ademptus eſt, ad indignos transferatur.

Preces non expectet, nam quemadmodum Sol non expectat preces, & præſtigias, vt exoriatur, ſed illico fulget, ac ſalutatur ab omnibus. Ità neque tu expectaueris plauſus, ſtrepitus, ac laudes, vt benefacias, ſed ſpontè confer beneficia, & æque, ac ſol amaberis. Epictetus apud Stobæum ſer. 4. de magiſtr. In principe enim magis liberalitas eminere debet, quàm in alijs, quia Princeps eſt non ditari, ſed alios ditare, quaſiq. flumen de curſu numquàm deſiſtere benemeredi; etenim ſicut vno ſublato extra numerum qui ante erat, amplius non eſt numerus, ità qui iure princeps eſſe cenſetur, ſtatim ceſſat eſſe, ſi beneficentia, & libera-

liberalitas tollatur, vt inquit Farneſius lib. 1. de ſimula. rel. cap. 7.

Beneficium praſtò ſit, quemadmodum enim in agris opportunitas cibi ſalutaris eſt, & aqua tempeſtiuè data remedij locum obtinuit. Ità quamuis leue, & vulgare beneficium ſit, ſi praſtò fuerit, ſi proximam quamq. horam non perdidit, multùm ſibi adijcit, gratiamq. pratioſi, licet lenti, & diù cogitati muneris vincit. Seneca lib. 2. ca. 2. de benef.

Sciat princeps nihil eſſe humana natura accommodatius, quàm liberalitas, qua regna conſeruat, non omne quidem liberalitatis genus, vt inquit Lucius Paulus Roſellus in imag. reg. principis, ſerm. 1. ſed qua tempus, & hominum merita ſeruat; ſicut enim in telis eadem ferri vis eſt, ſed in infinitum intereſt vtrum excuſſo a certo excutiātur, an remiſſa manu effluant. Gladius idem, & ſtringit, & tranſferat, quam praſtò articulo venerit refert. Idem eſt, quod datur, ſed intereſt quomodo detur, vt inquit Seneca 2. de benef. 6. & primis obiter modis omnibus ad obſeruandum ne iuſtitia fundamentum vacillet, & deficiat, vt quiſque pro facultate tribuat, vt cuiq. pro dignitate, proq. merito tribuatur, vt inquit Alexius Salamanca de Rep. Chriſti, dialog. 2.

Illud etiam obſeruandum, vt in dando artificium ſeruet, ſi inuidiam apud multos effugere cupit, ità vt vnuſquiſque habeat, quod ſe cateris praferat; nam vt inquit Seneca quemadmodum meretrix ità inter multos ſe diuidit, vt nemo non aliquod ſignum familiaris animi ferat. Ità qui beneficia ſua amabilia vult eſſe, excogitet quomodo & multi obligentur, & tamen ſinguli habeant aliquod, quo ſe cateris praferant.

Quamuis autem beneficentia ſemper magna vis, magis tamen in malis publicis elucet, ſi videlicet ſubditi ob annona caritatem, pěſtem, terramotum, incendia, inundationes hoſtium, incurſiones, inopia laborent. Hipp. a collib. de princip. cap. 5.

Boni principis eſt nobiles familias etiam collapſas reſtituere, & merentes augere, & fouere. Plin. lib. 1. & ſubditis ſuis praua aliqua calamitate afflictis ſubuenire, tum ex arario publico, tum tributorum remiſſione, Tacit. lib. 2. annal.

Regis benefaciendo vniuerſis ſponte ſubditos ſubiectos habere, eosq. eum liberalitate, & clementia regere, & in mutua cum ſubditis beneuolentia ſemper viuere. polit. 5. lib.

Miſerum extollere debet, virtutem promouere, & vt inquit Simmacus diſciplinarum profeſſoribus pramia opulenta pendere; vbi enim propoſita ſunt pramia virtutum, ibi ſtudent homines, & omnes ner-

nos intendunt, vt ad gloriam contendant, vbi nullum diſcrimen eſt inter ignauum, & ſtrenuum, inter bonum, & malum, ibi prorſus virtutes algent, vt inquit Caſte. lib.2.de off.reg.

Ad perfectam liberalitatem hæc requiruntur; primo, vt largitio ſiat iuxtà facultates dantis; deinde, vt ne detur improbis; tertio, quod datur ſit a dante iure poſſeſſum; quarto, vt adſit loci, ac temporis opportunitas; neque enim omnia publicè, omniq. tempore danda; quinto, vt citò detur; ſexto, vt detur ſine triſtitia; vltimo, vt detur ob honeſtum ſinem, non ob vtile. Boetius lib.2.de conſol. dicit, quòd largitas maximè charos facit. D. Ambr. lib.1.off.cap.28. iuſtitia excellentior videtur, liberalitas verò gratior, ſed intellige liberales maximè diligi amore, qui eſt in bonum vtile, non in honeſtum. Alioquì liberalitas eſſet nobiliſſima omnium virtutum.

Non ſolum liberalis, verum etiam beneſicus ſit, differt autem a liberalitate beneſicentia, quòd liberalitatis vis multo eſt reſtrictior, beneſicentiæ latior, altera continet, continetur altera, ad alteram pertinet beneſicentia omnia genera, ab altera tantum exigitur, quod largitione ſola continetur. Iacobus Pholius de benef.lib.1.

Tandem omnes Leonem X. Pontiſicem maximum imitari deberent, de quo Iouius in vita eius hoc dicit. Cæterùm nulla in re ardentius, & effuſius, quàm ad liberalitatis gloriam anhelauit, eos principe indignos exiſtimans, qui nec quaquam beneſica manu fortunæ muneribus vterentur; nemo enim vel ciuis, vel peregrinus, qui paulò nobilioris artis famam teneret, nemo, vel malè ſanus Poeta, nemo alicuius optimarum litterarum partis non ignarus vmquam fuit, qui benignitatem humaniſſimi principis non ſenſerit. Quin etiam ipſum cœnantem ſpectantes, & ex his adinuentitijs, & parum notos homines vltrò pecunia donare erat ſolitus, & præſertim libentius, quum, ab ſoleta veſte indutos conſpiceret. Purpuream etenim crumenam quotidie aureis nummis ſibi repleri iubebat, ad incertas exercendæ liberalitatis occaſiones. Sacerdotes quoque fraterculos, & ſacras virgines, quæ intra ſepta religioſè pudicitiam cuſtodirent menſtruis ſubſidijs eleemoſynæ nomine iuuant magnum veteranorum militum alebat numerum, nihilq. vehementius contendebat, quàm vt nemo calamitatem, & fortunæ aduerſæ mala, & incommoda pateretur.

Super illa verba: Id quoque morum Tiberij fuit continuare imperia, & pleroſque ad ſinem vitæ in ijſdem exercitibus, aut iuriſdictionibus habere, dubitatur.

Vtrum Magiſtratus perpetui eſſe debeant, & de multis ad illum pertinentibus.

SI ipſum magiſtratum ſpectemus, perpetuum quiſque cenſebit; ità enim magiſtratus non ab inexpertis, ſed a peritis adminiſtrabitur; at ſi ciuium merita conſideremus, & vniuerſum Reip. ordinem, temporaneum iudicabit quiſque, alia enim ætas, alium magiſtratum expoſcit minor, vel maior, & ciuibus meritorum æqualium non eſt claudenda via ad gradus dignitatis æquales.

At obÿcies, omnis mutatio in Republica eſt periculoſa, ergo magiſtratus mutari non debet.

Reſpond. Buridana, quòd duplex eſt mutatio rerum, & perſonarum, illa innouationem arguit, hæc ſeditionem tollit.

Obÿcies, iniuſtum eſt virtuti præmium negare, ergo iniquum eſt homini virtute prædito magiſtratum, qui eſt quaſi virtutis præmium detrahere.

Reſpond. quòd prudẽtia, quæ eſt mens ciuitatis in hac alterna magiſtratuum ſucceſſione bonum non priuatum, ſed publicum reſpicit; fieri enim non poteſt ſine ciuium iniuria, vnus vt ſemper ſedeat ad gubernacula, cui pares ſubinde ſentinam exhauriant, ſed vt de vulgibus in bello, ſic de magiſtratibus in pace. Virg. Aen. 9. ſuccedant, ſeruentq. vices.

Et ſi princeps magiſtratus vendere poteſt, & Ariſt. lib. pol. 2. cap. 1. laudet, & honeſtati, & vtilitati inſeruiat, quandoquidem, ità res creſcit publica, ditiores ÿ fiunt, penes quos eligendi poteſtas eſt, & liberalitas, & gratitudo laudem parit, neque turpe mercari officia, ſi modo qui dat non ſecretò, ſed publicè det, & cupiat prodeſſe; tamen vendere omnes magiſtratus non deberet, ſed aliquos; omnes enim magiſtratus vendere, eſt tollere bonum publicum ciuitatis, quod ſolum virtuti debetur, & hoc modo honeſta paupertas ab omni dignitate Ciuitatis excluditur, & facit contra virtutem: dignitas enim non pecunia, ſed virtute emitur. Ambitio locum habet, quæ in omni recta adminiſtrata ciuitate probibetur, & periculoſum eſt tribunal iuſtitiæ pecunia corruptum, vt quidam inquit, & neceſſe eſt, vt ait Seuerus Imperator, vt qui emit, vendat, & nemo imperiũ flagitio quæſitum, bonis artibus exercuit.

Præ-

Prætereà Reip. malè conſtitutæ eſt argumentum, cum omnes magiſtratus venales ſunt, principatus, ac regna pecunia parantur, vt inquit Plato lib. 8. de Rep. quare Princeps non deberet magiſtratus vẽdere, ſed donare ijs, qui illis digni ſunt: Nec illi patiendam eſſe, vt alij, qui ſe impetraſſe illorum nomine dicat, magnum dandum ſit munus, ſed & ſuæ potius gratiæ debere id beneficij facere, quàm procerum, qui eos, quibus ad impetrarunt ſuas creaturas vocant, & velut obnoxios ſibi eſſe volunt, ſi quando eorum opera opus habeant in ijs, quæ magiſtratus ſui ope gratificari poſſunt.

Nemini concedendum, vt vltra tempus gerat magiſtratum, qui enim ipſe ſibi magiſtratum continuat, tandem & ſe quoque Regem, aut Tyrannum efficit. Liuius lib. 9. Magiſtratus eſt gubernare, & tueri ex legum præſcripto Remp. Itaq. neque mera, neque infinita poteſtas eſt magiſtratui tribuenda.

Imperito princeps magiſtratum non præbeat, vt enim qui primo muſicen diſcunt, citharas aliquot perdunt, & obterunt, ità magno Reip. malo adminiſtrat magiſtratum qui rudis accedit, & imperitus, quidam; eligere enim inhabiles, ac publicæ adminiſtrationis inexpertes, eſt eis inſidias tendere, vt inquit Tatius de optimo reg. magiſtratus prætorij, & vt Plato lib. 5. de rep. magiſtratus de ſuo munere ignorantia eſt ſumma Reipub. pernicies, atque Reſp. ſapientem habet magiſtratum populi, habet fœlicitatem ſumma virtute pari vtilitate amplificatam, vt inquit Farneſius lib. 2. cap. 1. de ſimul. Reipub. etenim Ciuitas talis redditur, quales ſunt magiſtratus; nam quemadmodum mare natura ſua innoxium eſt rectè vtentibus, & firmum, ſi verò violenti flatus in illud irruerint, tale redditur vtentibus, quales ſunt venti, a quibus circumquaque impellitur, ità & multitudo talis reddetur vtentibus, quales habet duces, & conſiliarios. Polyb. lib. 2. hiſt.

Qui magiſtratus ab omnibus ſpernitur, inutilis eſt, ac proinde deponendus, alius ſubſtituendus. Polyb. lib. 5. hiſt.

Magiſtratus demandentur ex populi ſuffragio, ſaltem ex conſenſu, neque vni, & eidem plura munia publica delegentur, ſed ſingula ſingulis, vnum enim virum rei gerendæ idoneum eſſe multum eſt. Ariſt. 6. polit.

Mandentur autem magiſtratus viris virtute præditis, prudentibus eius rei, quæ in eo magiſtratu tractari debet, callentibus, veracibus, & dignis non ex ſenſus ratione, ſed virtutis, & ſcientiæ gradu; denique ijs, qui nulli ſint ex ciuibus hoſtes, & infenſi. Ariſt. lib. 7. cap. 7.

Diuitibus, & nobilibus ſua quædam publica munera peculiariter reſeruanda. His quidem ea, quæ ſunt militaria, illis autem ea in quibus maiores ſumptus ſunt faciendi, lib. 3. Polyb.

A magiſtratu abſit ſæuitia, nullus enim eſt tam gratus populo magiſtratus, quin eidem inuidioſus, & exoſus fiat, vbi ſæuitiam aduerſus plebem exercet. Liuius lib. 3.

Hiſtrio ſic affectus, ac mores addet fabulæ de ſuo, vt præſcriptum tamen, & numeros non prætereat; ità qui magiſtratum gerit ſic adminiſtret, vt præſcriptum Regis non exeat. Plutarch. in mor. ſicut igni quæcumque admouentur ipſe primum innata ſibi vi calet, nix contra ſuaptè natura frigida, infrigidat, & alia; ſic Iudex ipſe debet eſſe plenus iuſtitia, ſi alijs ius adminiſtraturus eſt, a quo ceu fonte promanant fluenta dulcia legum, & potabilia ſitientibus iuſtitiam; id ità demum fiet, ſi is, qui ad iudicandum aſcendit tribunal, iudicari ſe non minus, quàm iudicare cogitet, & vna cum poteſtate aſſumat prudentiam, ne decipiatur, iuſtitiam, & ſuum cuiq. tribuat, fortitudinem ne flectatur precibus, aut miſericordia, quo minus animaduertat in conuictos ſceleris. Philo. in lib. de iud.

In iudicando ne ſtatim pronunciet, nam præcipitati iudicij ſæpe pœnitet.

Auaritiæ vllo modo ne ſtudeat, neque impellente ea vim inferiori afferas; in mari enim piſcis minor eſca maioris eſt, & ſi vmquam euenerit, vt is qui minorem ſuperauerat, alterius præda fiat; ambo tum ſimul deglutiuntur, & vnum vltimi piſcis immerſi ventrem ingrediuntur. Quid quæſo nos homines aliud agimus, cum vim afferimus inferioribus? quid intereſt inter eum, ac vltimum piſcem, qui ſuam improba, & intemperanti cupiditate diuitias conſequendi in inexplebiles auaritiæ ſinus imbecilles ingerit homines, atque abdit. Ille pauperis patrimonium raptũ habuit, tu illum oppreſſum, partem tuarum facultatum feciſti, iniuſtis iniuſtiorem profectò, atque auaris, auariorem oſtendiſti. Prouideto, ne finis idem tibi, qui piſcibus euenire crebrò ſolet, occurrat hamus forſitan aut naſſa, aut etiam rete. Baſil. hom. 7. exam.

Diligenter igitur, ac ſedulò cauendum eſt perſonam Reipub. ſuſtinenti, futuroq. Iudici, ne turpi aliqua lucri cupiditate illectus ſinceritatem Iudicij, & veritatis dignitatem opulentioris rei iniqua cauſæ poſthabeat, fideq. ditari breue ad tempus malit, quàm ſuprema in cæli arce ſummi Dei in conſpectu inexhauſtis frui diuitijs, & diuina quadam animi voluptate diffundi. Neque enim veri iuſtiq. metus rectè, atque legitimè momenta ponderanti, tam eſt verendum auaritiæ

ritiæ in aliquo propter humanam pœnam, crimine deprehendi, quàm ſupremi conditoris omnium horrificè ſententiæ nexu implicari, & iudicio diſtringi. Inq. illius ſummi numinis iram, & offenſionem turpi aliqua prolaptione animi præcipitanter incurrere, vt inquit Iacob. Tapia de tripl. bon. & vera hominis nob. lib. 11.

Lib. 1. Regum, Abig. prudentiſſima fœmina prædicatur, quòd impium Nabal maritum ſuum obiurgatura, cum veſperi illum videret ebrium, expectaret in alterum diem, dum vinum digeſſiſſet.

Sic loci, temporis, delicti perſonarum in puniendo rationem habere opportet. Et principijs obſtandum eſt: Omne malum naſcens facilè opprimitur, inueteratum plerumquè fit robuſtum, alij publicè, alij priuatim puniantur. Minore ſupplicio dignus eſt, qui fortuitò, & ſemel, aut rariſſimè deliquit, quàm qui petulanter, & ex maleficio conſuetudinem facit. Nobiles peccantes duplici pœna iudicat Philo. lib. de creatione principis: quod & malè agant, & maiores ſuos vitijs dedecorent. Sed Panormitanus de Alphonſo Rege narrat, quòd in nobilem quemdam virum læſæ maieſtatis reum, tacito iudicio, præter morem animaduerterit: ne aut ſcelus maneret impunitum, nec vnius hominis perfidia tam nobilis familia in notam infamiæ incurreret. Et iure nunc conſtitutum, atque moribus receptum eſt, nobiles delinquentes mitius puniri. tex. gloſ. atque Doctores in cap. vltimo, de pœnis. Nicolaus Boerius deciſ. 173. num. 3. & in tract. de ſeditioſis, num. 50. Guido Papa deciſ. 106. Didac. Couarr. lib. 2. variarum reſolut. cap. 9. niſi enormiter deliquerint. Grammat. deciſ. 23. Tiraquell. de nobilitate, cap. 20. ſimiliter fœminis ob fragilitatem ſexus, minoribus, atque pupillis ob rationis, & ingenij, ac intellectus imbecillitatem, nec non ſenibus, & infirmis multa conceduntur, quæ tamen propter neceſſitatem, & grauiſſimas cauſas fortè recepta ſunt, non debent in argumentum trahi, l. quæ propter neceſſitatem, ff. de regul. iur. cap. cum in cunctis. extra de elect. & electi poteſtate. Terentianus Mitius fieri aliquando ait, vt duo cum idem faciunt, huic impunè liceat facere, illi non liceat: non quod diſſimilis res ſit, ſed quod diſſimilis is, qui facit. D. tamen Hieronymus iniuſtum fore ſcribit, ſi pauperes publicè arguantur, puniant urq. diuites maiora deſignantes non corripi, atque propinquis omnia indulgeri. Saul Rex Iſrael filium ſuum Ionatam, quod contra præceptum egiſſet, punire voluit, niſi populus interceſſiſſet. Aſſuero Regi ſapienter reſpondetur: plus opportere illum rempublicam curare, quàm Vaſthi Reginam ſuperbam: ne factum eius reliquæ mulieres liberius imitarentur. ſi vero nihilominus

nus reprehendantur, magiſtratus meminerint, quod Alphonſus dicere ſolebat: Principum eſſe benefacere, & malè patienter audire: vt Fredericus III. Roman. Imperator aiebat: Principes tamquam ſignum ad ſagittam expoſitos. Ipſeq. rex regum Chriſtus Ieſus, cum de omnibus optimè mereretur, alij dicebant; quia bonus eſt, alij negabant, vocabantquè ſeductorem populi. Iacobus Midendorpius in Quæſtionibus theologicis, & politicis.

Finis Primi Libri.

IN LIBRVM SECVNDVM QVAESTIONES AC DISCVRSVS PETRI ANDREAE CANONHERII.

SIſenna Statilio Tauro, Libone Conſulibus, mota Orientis Regna, Prouinciæq. Romanæ initio apud Parthos orto, qui petitum Roma, acceptumq. Regem quamuis gentis Arſacidarum, vt externum, aſpernabantur. Is fuit Vonones obſes Auguſto datus a Phradate. Nam Phradates quemquam depuliſſet exercitus, ducesq. Romanos, cuncta venerantium officia, &c.

Super illa verba venere in Vrbem legati dicendum.

De Legatis, & de multis ad legationem pertinentibus.

DVo ſunt, quæ poſt principes primos obtinent locos, exercitus dux, ac legatus, ſine quibus Reſp. rectè regi, & permanere non poteſt. De primo ſeorſim in libro de Imperatoris officio loquimur, de legatione autem hic, quam non curioſitas inuenit, ſed neceſſitas: Imbecillitate ſcilicet, & ſorte humana regentes eò mittunt legatos, quò ſe ipſi capeſſere nequeunt. Horum diligentia in rem præſentem quamlibet longinquam perducuntur, alieno ore cogitatè loquuntur, & commodè, vt inquit Carolus Paſchalius de leg.cap.11. denique aliena ſapientia, vt ait columen ſapientiæ ſubducunt ſe ingentibus periculis. Porrò legati nomen variè, vt vult Sigonius de antiquo iure prouinciarum accipitur, alÿ enim in prouincÿs morabantur, vt S.P.Q.R. voluntatem populis denunciarent, alÿ conſiliarÿ, & coadiutores prouinciarum præſidibus deſtinabantur, vt Mar. Varro de ling.lat. intellexit, legatis, qui publicè lectis, quorum opera, conſilioq. vterentur, peregrè magiſtratus, quiue nuncÿ Senatus, ac populi eſſent. eodem ferè modo illos Cicero in Vatinium Nun-

cios pacis, ac belli curatores, interpretes bellici conſilij, autores muneris prouincialis miniſtros appellauit. Appianus in 4. de bello ciuili, legatos Romani appellant; quos prouinciarum rectoribus addunt, vt ijs ſubſidio ſint. eodem modo Caſar in 3. de bello ciuili his verbis; aliæ ſunt legati partes, aliæ Imperatoris, alter omnia agere ad præſcriptum, alter liberè ad ſummam rerum conſulere debet; exiſtimat autem Sigonius hos legatos tribus pauciores non extitiſſe, Liuij autoritatem allegans, qui dicit decernunt, vt C. Sulpitius Prætor tres ex Senatu nomine togatos, & Q. Ciceronis exemplum, qui tres in Aſiam ſecum duxit; horum maxima erat autoritas, ius enim militibus dicebant, in delinquentes animaduertebant, vt inquit Macro de re militari, & donec præſes aberat, vel ante tempus diſcedebat rerum omnium ſummo cum Imperio relinquebantur. Genus aliud nobilius legatorum erat, qui ad Reges, vel Reſp. amicas, vel inimicas rerum gerendarum, vel pacis deprecandæ, vel belli denunciandi, vel fœderis ineundi, vel pactorum ſeruandorum, vel auxilia petendi, vel amicitiæ retinendæ, vel gaudij, vel doloris cauſa ex Senatus autoritate legebantur, de quorum genere ſermo noſter erit.

Adeo hoc munus nobile eſt, vt Deos eo vſos Poetæ tradiderint, vt de Iride Iunonis:

Irim de cœlo miſit Saturnia Iuno.

& de Mercurio Ouidius:

Hinc ſe ſuſtulerat paribus caducifer alis.

Nos quoque Deum nuncios habuiſſe legimus; multos enim, & in nouo, & in veteri teſtamento a Deo Angelos miſſos fuiſſe omnibus ſatis conſtat, & nomen Angeli, quod a nomine Ἀγγέλος *deductum eſt, Latinè idem ſignificat, quòd Nuncius, vt Diuus Auguſt. lib. 5. ſuper Geneſ. ad litteram, cap. 19. notauit. Quocirca ſi vim ipſam nominis ſpectemus, non alicuius naturæ (quamquàm id vocabulum vſurpetur, ad ſignificandam peculiarem naturam,) ſed officij eſt vocabulum, vt annotauit etiam Tertullianus de carne Chriſti, & D. Auguſt. in Pſalm. 113. exponens illa verba, qui facit Angelos ſuos ſpiritus, quorum ſenſus eſt, qui facit Angelos nuncios ſuos; iuxta illud etiam Hebr. 1. Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, quamobrem Ioſeph. lib. 15. cap. 8. a Deo ipſo legatorum originem repetit, qui ob id Angelos creauit, vt hoc apud ſe munere fungerentur. At Iſidorus lib. 4. primam legatorum originem Bello tribuit, qui primos duos legatos miſiſſe fertur, cum Poetæ eandem Pallamedi adſcribant. Dicti ſunt legati à legendo, quòd publicè lecti mitterentur, vt ait*

Varro,

Varro, quemadmodum enim multa inter abſentes commodè per litteras explicantur, ità rurſus quædam quò ſecretiora ſunt, magisq. celanda hoc litteris commiſſa, & facilius, & maiore cum periculo multorum in eorum, quos minimè volumus manus incidunt, vt inquit Brunus de legationib.cap.2.

Adeo autem ad legationem neceſſaria ſunt miſſio, & mandatum, vt ſine his nulla legatio eſſe poſſit. Porrò mandatum non definitum, ac determinatum eſſe debet, ſed liberum, vt rebus turbidis conſulere poſſit, ne id eueniat quod Tacit.lib.19. ſcribit ex diſtantibus terrarum ſpatijs conſilia poſt res afferebantur, & Romani libera mandata legatis,ac exercituum ducibus dabant, id ſolummodo eis recordantes, ne Reſp. aliquid detrimenti caperet.

Poſſet dubitari, ſorte,an electione ſint mittendi, de quo aliqua inter Eluidium Priſcum, & Marcellum Epium, apud Corn. Tac. ſed ego cenſeo legatum honoris cauſa poſſe ſorte eligi. Ille autem abſolutè eligendus,qui grauia negotia eſt tractaturus.

Qui mittendus eſt, aliæ conditiones, aliæ virtutes quàm potentia, autoritas, opes aut apud principem fauor requiruntur, vt pote morum integritas, eruditio, politia, ac omnes animi corporis, & fortunæ dotes, actionumq. humanarum vſus, & experientia, ſine quibus hoc munus commodè ſuſtineri non poteſt, vt quæ Neocles in vterum matris Epicuri omnes atamos ſapientiæ concurriſſe dicebat, ità in hunc omnes natura rariores dotes conſpiraſſe,vult Philippus Huraltus in libello de legatione.

Requiruntur in legato honeſta diuitiæ; nam illud ſciendum eſt, facultatum inopiam ad prauaricandum legatis maximam auſim præbere, vt interim neceſſe ſit, legatum turpiter victum quæritare, aut ad ſingultum fame necari, ſi aliunde facultates non obueniant; nam vbi rei familiaris anguſtia eſt, ibi ferme omnia venalia eſſe ſolent. Si Legato facultates ex voto non ſuppetant contra iuſiurandum, fidemq. Principi datam prauaricabit, exterorum Principum munuſculis inhiabit;hinc inde lucrum captabit, & quoſlibet adulatorum more prahenſabit, nihil denique prætermittet, ex quo ſe vtilitatem percepturum arbitretur. At ſi legato opes, & facultates ſuperſint, ſuam autoritatem luculenta feſtiuitate retinebit, nec precibus, nec muneribus mouebitur, ſed fidelitatem iureiurando promiſſam, nec non debitum ſilentium, ac taciturnitatem ſeruabit. Veritus ne ſi proditionem, aut prauaricationem admiſiſſe conuincatur, ex iure in eum agatur, eius bona Fiſco adiudicentur, eiusque nomen, & familia damnetur. Idem.

Qui legatos mittunt, diligenter circumſpicere debent, vt ſint quos mittunt rerum, quæ eis mandantur periti, quod & ſapiens admonet. Prou. 28. Dum inquit Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per Nuncium ſtultum, & iterum Eccleſ. 10. Initium verborum ignorantis, & inſipientis eſt ſtultitia, & nouiſſimus verborum error peſſimus. Deinde &

Qui mittuntur non debent munus, cui ſe impares eſſe agnoſcunt temerè ſuſcipere, ſcriptum eſt enim. Eccleſiaſt. 5. Si tibi eſt intellectus, reſponde proximo, ſin minus ſit manus tua ſuper os tuum, ne capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris honor, & gloria in verbo ſenſati, lingua verò inſipientis ſubuerſio eſt ipſius.

Sed & prudens, & periti ea modeſtia vtentur, vt non ſtatim oblatum legationis munus ſuſcipiant, quin potius imprudentiam honeſta aliqua ratione excuſent. Nam hoc modo, & maiore cum honore mittentur, & qui eos mittunt, ſi res ſecus, quàm volunt ſucceſſerint non habebunt, quod ipſis miſſis imputare poſſint. Conradus Brunus de leg. cap. 4.

In his autem rebus, quæ vel in totum, vel aliqua ex parte in dicendo conſiſtunt, vt in cæteris rebus ità, & in legationibus parum prodeſt ſcientia, & prudentia, ſine eloquentia. Quantumuis enim doctus, prudens, & expertus ſit legatus, niſi negotium ſibi mandatum commodis, ac idoneis verbis, & ſententijs, & omnia, vt negotij, quod gerit qualitas exigit exponat, nihil egerit, ſed in ventum potius, vt dicitur laborauerit; nam vt Cicero inquit eloqui copioſè modo prudenter melius eſt, quàm acutiſſimè ſine eloquentia cogitare.

At legati eloquentia non debet eſſe verboſa, inanis, vaniloqua, fallax, temeraria, inconſiderata, ſed eloquens debet eſſe pro qualitate rei, perſonarum, ac temporis, quique verba attemperare poſſet, vt neque duriora, neque mitiora, neque plura, neque pauciora, quàm oportet, nihil inconſultò, nihil temerè, ſed omnia deliberatè, & prudenter, & in tempore proferat. Idem.

Sermo tandem ſit ſimplex, nudus a coloribus, figuris, luminibus, & ſententiarum, & rationum pondere magis, quàm elaborata dictione illuſtris.

Legatus philoſophus merus vix admittitur, niſi fuerit imbutus hiſtoriarum cognitione; nam quæ futura ſunt plerumque paria ijs ſunt, quæ iam peracta ſunt, quæ noſſe debet legatus, quia politicus: Durus de Paſcuo in aulico politico.

Legatus teneat linguam illius, apud quem legatus eſt, vt multa

incom-

incommoda impediantur. Diſcant itaq. nobiliores, vt ijs in immutanda oratione, qua prudentes principes delectantur vti queant latina alioquin benè intellecta ſufficit; nam imprudenter Nicephorus homini imponit omnium linguarum adiſcendarum onus. Nec Mitrid. linguas 22. ſed idiomata calluit. Idem.

Sed ſi Legati lingua eorum periti non ſint, ad quos mittuntur, nihil probibet, quin intepretis miniſterio, aduocationibusq. vti poſſint, quod & Romanis in vſu fuiſſe teſtatur. Cicer. in orat. pro Cornelio Balbo.

Sed ab interpretibus caueat, qui dum quædam omittunt, quædam addunt, quædam aliter narrant, perdunt orationis gratiam.

Admonendus hoc loco interpres, ne exteris legatis adhibitis iniquiora poſtulata lingua ſua exponat, ne fortè accidat ei, quod Themiſtoclē in interpretem quendam admiſiſſe traditur. Is enim miſſis a rege legatis maris, & terra imperium flagitantibus, interpretem, per quem hæc dixerant, publico decreto comprehenſum iuſſit interimi, quòd Græcorum lingua ad barbarorum nutum, & imperium vſus fuiſſet.

In legato exterior quædam ſpecies deſideratur; nam quoties decora ſpecies obtutui ſeſe offert eadem virtus, quamuis latens, animo ſeſe inſinuat, & in corporum maieſtate venerationem eſſe liquet ſic Alexander Magnus deſpectus a regina Amazonum traditur, quia non eam pulchritudinem in maximo illo Rege reperiſſet, cuius ingentis rerum geſtarum fama rumore celebris ad ipſam venerat, ſic Cato Stoicus in legatos populi Romani iocatus fuiſſe legitur, quorum vnus lapide in caput percuſſus, fœdas cicatrices præferebat, alter pedibus laborabat, dicens mittit populus Romanus legationem, quæ nec caput, nec pedes habet.

Iam propioribus lineis certum eſt ſignare legatum, hic enim eſt rerum arbiter, & quidem ingentium, idemq. miniſter gentium, & imperiorum hic, ipſus ſubit ardua rerum, confragoſa complanat, implicita explicat; huius ſollertia, & fœlicitas eſt pars, ſæpe origo, ſæpe cumulus ſalutis, & fœlicitatis publicæ. Eius item ſecordia, & infœlicitas progignit ea mala, vltra quæ mala nullum eſt.

Hinc datur intelligi quàm non nouitio, ac Tyroni tale onus aptandum, ſed quàm ſollicitè ſit quærendus & ſtipendioſus, & multis exercitijs prætentatus, denique is qui laudes induſtriæ, fideiq. magnis experimentis ſæpe ſociauerit, vt quæcumque partes ei mandatæ fuerint, feliciter agat. Paſchalius de legato cap. 11.

Sed quomodo agere debeat, hæc ſunt; legatus ſummoperè curet,

ne neglecto principe, vel conſenſu eius excluſo, quicquam etiam vtiliter gerat, in primis ſi longè non abſuerit, alioquin tamquam contemptus offenditur. Durus de Paſcuo in aulico politico.

Legati ad exteros principes miſſi, magnam in rebus, & ſtatu illorum principum cognoſcendo prudentiam, & diligentiam adhibeant, ne quid poſtea ſuadeant ſuis principibus, a quibus mittuntur inutile, aut falſum. Cumineus cap. 93.

Legatus ſit celeris ingenij motu præditus, vt argutè, ac eleganter proponat, & reſpondeat, dicat, agatq. ſolerti iudicio ante cogitata, & non cogitata, ſunt enim actiones plerumque tales, quæ tempus ad conſultandum non præbent.

Semper plus timent de bono exitu, quàm ſperet, ne incurioſus commiſſa tractet, fiducia felicis exitus; aliàs curioſitatem in omnibus alijs fugat autore Plutarcho, nam ſi eam validam alendo reddiderit, & violentam is propter conſuetudinem deinceps difficulter eam cohibere in ijs poterit, quæ curare non liceat. In aulis vſque adeò eſt curioſitas grata titillatio, vt inhiberi nullo modo poſſit.

Negotia, quæ incipit occultet, quouſque ad exitum perducta fuerint, alioqui multi moti inuidia ea impedient, vel prudentiæ detrahent, quod non citius finem actioni impoſuerint.

Nihil in mandatis propria autoritate, occaſione rei melius gerendæ mutare debet, ſed omnia ad præſcriptam legationis formam referre, vel principem ſuper noua, & incidenti cauſa conſulere. Durus de Paſcuo.

Officium legati præcipuum eſt, omnia fideliter, & ex animo agere. Finis verò eſt ea facere, & ijs rebus conſulere, quæ Reipub. ſuoq. Principi maximè conducere videntur, erga quèm ſumma legato fidelitas numquam deſit, fidemq. in verbis, & factis in pijs præſtet neceſſe eſt; nam ſi fides eſt fundamentum iuſtitiæ, ideſt dictorum, conuentorumq. conſtantia, & veritas, eam qui violat, iniuſtus & haberi, & nominari iure poteſt. Sed in Legato noſtro fidem optimam, & ſpectatiſſimam, quæ veritate conſtricta eſt, deſideramus: atque eum ità ſimplicis veritatis amicum eſſe volumus, vt ab omni fraude, & mendacio, quod non cadit in virum bonum, abhorrere videatur: Id enim, vt ait princeps philoſophorum Plato, omnes homines, Dijq. oderunt. quare turpiter fecit Aeſchines, qui ad Philippum Regem Legatus, fidem violauit, vnde a Demoſthene ementitæ Legationis eſt accuſatus. Præterea verò legati præcipuum, & maximè proprium opinamur, naturam Principis, ad quem eſt miſſus; atque etiam eorum, quibus Princeps vtitur, & conſiliarijs, & adminiſtris æquè, ac ſuam cognoſcere; ac Principis quidem ingenium

optimè meo iudicio, & facillimè nouerit, ſi in eius perſona diligenter animaduertet, ac notabit omnia, quæ illud poſſint indicare notet autem in primis formam hominis, ideſt corpus oculos, vultum, frontem, vnde naturam, & mores eius, vt apud Ariſtotelem eſt, poterit pernoſcere: atque hinc quidem ſe naturam cuiusq. perſpicere profitebatur Zopyrus phyſiognomon; *deinde verò obſeruet in principe temperantiã corporis, quam* κρᾶσιν *Græci vocant, quæ oritur ex qualitatibus elemẽtorum, ac ſi erit Princeps melancholicus, eum putabimus eodem grauiſſimo autore Ariſtotele, ingenioſum, ſi pituita redundabit in corpore, tardum hominem, & otio languentem exiſtimabimus, ſi bilis propẽſum ad iracundiam, & actuoſum, ſi demum ſanguis alacrem animo, & benignum: quin etiam motus, & corporis actio notanda eſt. Deinde verò ſpectetur in eo genus, & ſtirps, quæ ſi erit antiqua, regia, & generoſa, exiſtimabimus illum honeſtatis ſtudioſum, auidum laudis, appetentem gloriæ. animaduertendum eſt etiam, vtrum nouus princeps ſit, an iure hæreditario peruenerit ad Principatum. is enim, qui princeps natus ſit; multum, mea quidem ſententia differt ab eo, penes quem nuper poteſtas fuerit, & imperium etiam alter natura quadam eximia, vſuq. rerum præditus, multo res publicas melius adminiſtrabit altero, cum ille publicis in negotijs, & in maximarum rerum actionibus ſemper verſatus ſit: is verò quotidie domeſticis, & priuatis in rebus. ſed cum tria ſint genera principum, ideſt quidam iure hæreditario, caſu aliqui, aut fortuna; nonnulli electione ad principatum perueniant, nos meliores eſſe arbitramur eos, qui electione principes facti ſint: in ijs enim deligendis multa conſiderantur, magnitudo animi, virtus, probitas, ſæpe etiam generis ſplendor: Cognoſcere item debet noſter legatus principis nationem, in qua genus etiam ſolet conſiderari, ac multum refert ad hominis ingenium pernoſcendum, ſcire, quo quiſque loco, atque vbi terrarum natus ſit. alia enim natura Galli, alia Hiſpani, alia Germani, & Itali omnino alia videtur eſſe. Porrò autem conſideranda eſt in ipſo Principe ætas; nam ſi erit adoleſcẽs, eum putabimus, multas, & varias habere cupiditates, in quibus fortaſſe intemperans ſit, præſertim in præcipiti, & lubrica illa cupiditate dominandi: deinde iudicabimus illum eſſe ambitioſum, procliuem ad libidinem, propenſum ad iram, inimicorum, & iniuriarum, quas acceperit, vltorem, ac facilem vt decipiatur; in omni item re nimium, præſertim in amore, atque odio in ſuis autem actionibus honeſtus potius eligere, quàm vtile: nam adoleſcentes auidi laudis, honorem ferè ſemper anteponere conſueuerunt: ac nobis quoque perſuaſum erit illum eſſe fortem, magnanimum, ac ſibi, vt mos eſt illius ætatis, maximè confidentem, ſi media princeps erit ætate, quæ eſt a trigeſimo*

vſque ad annum quinquageſimum, nec ille moderatus, ac temperatus vir exiſtimandus erit. Si verò ſenex, eum iure putabimus eſſe callidum, timidum, ſuſpicioſum, & incredulum, ac denique omnia ad ſuã vtilitatem referre. Cognoſcat item legatus, quem fingimus non modo mores principis, ſed totam etiam vitam: ideſt quam in victu, adminiſtratione, & negotijs rationem ſequatur. quibus vtatur hominibus, & conſiliarijs, & adminiſtris, quos ſoleat fouere, quos in ampliſſimis honorum gradibus locare. Atque vt diuerſæ, multiplicesq. Principum naturæ, & occultæ voluntates diligentius perſcrutentur, animaduertendum eſſe opinor, quarum præcipuè rerum ſtudio teneantur, ſuo enim quemq. ſtudio maximè duci perſpicuum eſt; ac nonnullos quidem paleſtra, aliquos militia, quoſdam aucupium, atque venatio, alios muſica, atque alios litteræ delectant; multis etiam placet equorum concurſu certare; vel generoſos ipſos equos, & ferocitate exultantes agitare, ſtimulisq. concitare. Volumus prætereà in principe notari virtutes, & vitia, quæ autem in eo virtutes in primis requiruntur, ſunt religio, iuſtitia, fides, prudentia, temperantia, vitæ innocentia, liberalitas, beneficentia. Deinde verò decet principem rerum vſum habere, optimarum artium ſtudijs, quibus liberales doctrinæ continentur, eruditum eſſe, ac facilem ſe in hominibus audiendis, admittendisq. præbere. Quin etiam nihil eſt principe viro dignius placabilitate, lenitate, clementia, contra nihil deteſtabilius aſperitate, iracundia, crudelitate contraria ijs, quas commemoraui virtutibus, erunt vitia, a quibus longiſſimè abſit neceſſe eſt: Ac diligenter quidẽ exquirenda ſunt Principis conſilia, vt intelligatur quocumque eiuſdem mens, & ſententia maximè inclinet, ideſt vtrum propenſior ſit ad bellum, quàm ad pacem, aut ad propagationem finium imperij, quàm ad regni ipſius conſeruationem: cuius demum partis ſit, & quo in cæteros principes animo expiſcandum eſt. Collegi omnia quantum ego poſſum iudicare, quæ pertinent ad naturam principis pernoſcendam; quæ ſi legatus animaduerterit, non eſt dubium, quin quod voluerit, conſequi facile poſſit.

Si princeps Legatũ audire nollet, aditũ aliqua arte ſibi faciat, in quo mirabilis fuit Franciſcus Marcheſius a Genuenſibus ad Galeatium Mediolanenſem Ducẽ orator miſſus, quẽ Genuenſes prius principem ſuum eſſe voluerunt; ſalua interim libertate ſua, mox cum eum de tyrannide cogitare viderent, ab eo ſeſe abalienauerũt, cum difficilem ad Galeatium haberet aditum die, qua ſancti Ioãnis ſacra celebrabãtur, Franciſcus Galeatio munus baſilicæ herbæ vas plenum miſit; Dux ergo Franciſcum, quia eum non imprudentem hominem eſſe norat, ſtatim ad ſe aſciuit, vt miſſæ eius herbæ cauſas intelligeret. Franciſcus

omiſſis ijs, quæ mandata a Genuenſibus erant paucis explicuit. ego Princeps Genuenſium ad te orator veni, & cum in ea vrbe natus, atque educatus eos cognoſcam, tibiq. vera ſeruitute addictus ſim; volui, vt Genuenſium notitiam haberes, eorum enim natura baſilica herba perſimilis eſt, quæ leuiter tacta ſuauem perfundit odorem, grauius autem attrita ſcorpiones gignere dicitur. Herba illius parabola cum Genuenſium natura ſimilis eſſe videbatur, adeò Principis illius animum mouit, vt qui anteà rationibus nullis flectebatur, tum ſeipſum cohibuit, & tamquam, quæ anteà in re dicta fuerunt acerbius tantum accepta, cum vltra non mouiſſent, tunc etiam vidiſſet ratus, quæ in Genuenſium re dici, cogitariq. poterant, veluti duplici freno cohibitus, ſubſtitit, neque vltra eſt progreſſus. Fulgoſius lib. octauo, cap. 10.

Conſtantiſſimum, & fortiſſimum eſſe decet Legatum; multa enim animi conſtantia ſuperantur, vt Vbertus Spinula, qui ad Cæſarem Legatus a Genuenſibus miſſus, in controuerſiis cum Piſanis de Sardiniæ Rebus vtroque populo eam inſulam vindicante, Cæſari in cauſam Piſanorum propendenti, Genuenſibuſq. pro imperio mandanti, vt libera profeſſione Sardiniæ Piſanis cederent, Legatus Genuenſium conſtantiſſimè reſtitit, iniuſtumq. imperium appellare non dubitauit, Genuenſeſq. prius vita deceſſuros affirmauit, non igitur ſe, aut Genuenſes iniuſta imperata facturos; aut illa vllo modo accipere, ſed cauſam per iudicium cognoſci oportere, cuius æquitate ſeſe Genuenſes ſunt ſubmiſſuri; aliter armatos iuris, & dignitatis ſuæ vindices, aduerſus quemcumq. honeſtã mortem fortiter appetituros; quæ orationis libertas commotum Cæſarem, & in viri admirationem verſum flexit, ab imperio deſtitit, cauſam cognoſcendam ad iudices reiecit; refert Vbertus Folieta in elog. clarorum ligurum.

Non debet Legatus ſub ſpecie amicitiæ (quamuis aliqui putent, vt fieri poſſe Reip. vtilitate exigente principem ad quem miſſus eſt fallere (eſt enim res perpeſſu difficilis) vt ille Genuenſis orator fecit Benedictus Pallauicinus, de quo Bartholomæus facius in rebus geſtis Alphonſi. Dum ea parantur Genuenſes de ſuis, qui obſidebantur vehementer ſolliciti, & anxij Benedictũ Pallauicinum, qui ſeſe Alphonſi amicitiam habere profitebatur, mittere ad Alphonſum ſtatuerunt, anteaquàm aliquid de claſſis apparatu ad Alphonſum permanaret, eique in mandatis debere, vt ad Regem ſe miſſum ſimularet, vt cum illo de conditionibus obſeſſorum ageret. Cæterùm opportunitate colloquendi cum Franciſco, atque Otholino data quanta claſſis decreta eſſet doceret. Benedictus accepta fide Caietam ad Regem profectum ſeſe contulit; de deditione agere, vt inſtituerant, cœpit; facta poteſtate

oppidum intrandi illos in obſidione confirmauit, & fore citò auxilium dixit, inde ad Regem reuerſus, non poſſe obſeſſos ad deditionem flectí reſpondit, cognitis, quæ voluerat de regis copijs, & claſſe, Genuam redijt, quò actu a Rege cognito, ægrè tulit Pallauicinum miſſum fuiſſe ad eludendum Regem.

Cum Rege, vel potentiſſimo nocet nimia libertatis licentia. Henricus enim Dandalus Venetorum Legatus, cum paulo liberius quædam locutus eſſet, contra ius gentium ab Emanuele Conſt. Imperatore oculis orbatus eſt Volat. lib. 23. Philal

Suſpectus principi non eat, nam re infecta reuertetur, ſed chariſſimus, ac gratiſſimus eſt mittendus.

Timidus non vult eſſe Legatus, ne illi accidat, quod cuidam Germano Legato contigit, qui coram Principe verba facturus cum maieſtate illius territus repente obmutuiſſet ventris crepitum præ timore emiſit. Verum, vt erat facetus, ad ſeipſum rediens, & ad Cryneceum conuerſus, Hoſpitem ò virgines peruius veſtro quoque applauſu excipite, eo verbo omnibus in riſum conuerſis recepit tandem animum, & ea, quorum cauſa venerat expoſuit, multa impedit timor.

Oportet aliquando Legatum improuiſò reſpondere; quare debet eſſe præmunitus aduerſus quoſlibet ictus, & quidem armis adamantinis, & impenetrabilibus. Sed illa trita habere, neque prius nudare, quàm in occaſione ſubiti alicuius reſponſi. Quod ſi eſt acutum, argutum, è re natum, non ſolum diluit obiecta, ſed et aduerſarium percellit, ferítq. eo telo, quale nullum Mulciber fabricatur. Paſchalius c. 44.

Dignitatem Principis ſui conſeruet, in qua retinenda aliquando vafrum, a ſapientem eſſe oportet, vt Iſmenias Thebanus apud Regem Perſarum Legatus, cum ſciret nihil ſe impetrare poſſe, niſi pronus Regem adoraret, poſtquàm in Regis conſpectu fuit, anulum de induſtria ad pedes cadere permiſit, quem ſe flectendo collegit, atque hoc modo Græcorum dignitati, & regis ſapientiæ ſatisfecit. Albanus de variar. hiſt. lib. 1. & Polyc. vnus cum cæteris miſſus orator ad duces regios, cum ab his interrogaretur, vtrum priuatim veniſſent, an publicè miſſi? Si impetramus inquit publicè, ſin minus priuatim. Vox pij candoris in patriam index. Si ceſsiſſet ex ſententia legationis gloriam volebat Reip. cedere. ſin minus ignominiam repulſæ ad patriam non pertinere. Plutarchus in Lacon.

Aliquando, & conuenit illudere hoſtem Legatione, ac perterrefacere. Darius Rex ingreſſus in Scythiam inopia laborabat, Scythæ autem Legatos ad eum miſerunt cum muneribus aue vid. mure, rana, & quinque ſagittis. Darius pro mure terram, pro rana aquas, pro aue equos, pro ſagitta ſe ipſos tradere interpretatus eſt. Gobrias hoc dicere

dona

dona coniectabat, ò Perſæ niſi vt aues aduoletis, aut mures ſubeatis terram, aut vt ranæ inſiliatis in paludes, non remeabitis his ſagittis confecti Bruſo. lib. 3. c. 30.

Debet Legatus rebus in omnibus ſeruare conſuetudinem illius aulæ, in qua erit; in victu verò, veſtitu, ædium ornatu, ſuppellectile, cæteriſq. rebus a magnificentia numquàm debet recedere, nihil denique deſit ad elegantiam, ad ſplendorem, ad lautitias.

In reditu, quæ in Legatione egerit, & notauerit, ſuo principi diligentiſſimè renunciet. Deinde verò exponat vires, & potentiam, ditionem, & imperium vectigalia, & ærarium, coniunctiones, & affinitates, formam adminiſtrationis, naturam, & mores principis, apud quem Legationem obijt, & eiuſdem etiam animum erga cæteros principes Maggius lib. 1.

Poſtquàm Legatus quanta fieri potuerit diligentia curſum, iterquè confecerit, & ad æternum principem, cuius nomine miſſus eſt peruenerit, omnem dabit operam, vt quam ocyſſimè legationis exponendæ, occaſiones nanciſcatur, ſuoq. probè munere fungatur. In quo nihil prætermittet diligentiæ, aut etiam ſi res ita ferat pertinaciæ. Nec tamen illi iuſtos aliquot dies denegabimus, in quibus vires longo itinere proſtratas reficere, munerisquè, & officij meminiſſe poterit. quamquàm minus neceſſe erat hac in parte illis conſulere, præſertim cum plus temporis, quam ipſi quandoque velint concedatur, anteàquam admittantur, & audiantur.

Sit bene morigeratus, principem ſalutet, ne occaſionem ius gentium violandi det. Legatus enim Venetus, quia Moſchouitarum Imperatorem primo in congreſſu non ſalutauit, clauo trabali, vt refert Sig. in his Moſchoa. pileum eius capiti aſſui iuſſit, in hoc ſtatu quamdiù legatus eſſet, permaneret, ſuiq. huiuſce officij non obliuiſceretur.

Seruanda legato inter ſalutandum regni maieſtas, & autoritas; quod fiet ſi legatus, neque ſuperbum, neque abiectum nimis ſe præſtiterit, rituq. patrio ſalutauerit, eademq. modeſtia in explicanda legatione vti debebit non verbis turgidis ad minas, & terrorem, vt nec humilibus ad preces. Etenim Principes contumeliis laceſſiti, ad iniuriam legato inferendam facillimè prouocantur Huraltus c. 11.

Legatum virtutibus, ac præſertim moralibus præditum eſſe conuenit, ſi rectè munus ſuum obire velit.

Intereſt autem multum, vt legati non ſolum caſtè, & ſobriè officio ſuo fungantur, ſed etiam eo modo, & ordine mandata ſibi negotia gerant, vt & aliorum approbatione nihil indecorè egiſſe videantur. Equidem multa ſunt per ſe quidem honeſta, & bona, ſed quæ non ſuo loco, tempore, & ordine præſtita omnem gratiam amittunt, ea autem

in actionibus moderatio decorum appellatur, & à modeſtia proficiſcitur.

Legati ſuper vna re, vel multi, vel pauci pro dignitate, & conditione perſonarum, & qualitate rerum mittuntur, qui de vno pluribuſve negotijs communiter gerendis vnam Legationem ſuſcipiunt; id ante omnia ſtudeant, vt ſint inter ſe concordes, nam ſi pluribus ijſdemq. gerere etiam diuerſis officijs præpoſiti fuerint, tum rectè vniuerſæ adminiſtrationis officium abſoluunt, ſi concordes fuerint ad vnum opus vno conſenſu intendentes, ac ſeſe mutuo iuuantes. Contra verò malè, ſi diſcordes, & ad diuerſa, ac contraria reſpicientes.

Gratia in Legato ſpectanda eſt, dandaq. opera, vt qui mittuntur non inuiſi, ſed grati, & accepti ſint ijs, ad quos mittuntur, nam verè dictum eſt, quod qui non diligit, id facilè contemnit, ſitq. ſæpe, vt qui ad intercedendum mittuntur, ſi diſpliceat irati animus ad deteriora prouocetur.

Nihil iniuſtè, nihil imprudenter, nihil remiſſè, & negligenter, nihil temerè, ſed omnia fideliter bono conſilio, ratione, & ordine conficiat.

Fides in Legato ineſſe debet, & ea id primum exigit, vt legatus honorem eius, qui eum miſit tueatur, eſt enim, & naturæ, & rationi conſentaneum, vt eorum honorem augeamus, & tueamur, qui negotia, fortunaſq. ſuas, famam, & vitam fidei noſtræ committunt, atque credunt. Brunus.

In edenda legatione exigo a legato peritiam nominum, titulorum, aliaq. indicia dignitatis, quam obtinet is, qui aditur. Paraſiti eſt, non legati extraneos palpo percutere, & qui eſt infra opes, ac dignitatem regiam, huic regij nominis honorem dare. Redditis litteris, cuius vnde itur, legatio eſt peragenda cultè, compoſitè, magnificè, vitanda verba calcata, & protrita, quæ arguunt mentem ignauam, & ſecordem, aut certè humiles legationis cauſas; vtendum lectis, & ſublimibus, quæ repræſentent ſenſus altius ductos, & maieſtatem huius muneris, reiecto tamen faſtu, & ineptia forenſi. Floſculi, item & multa dicta, & quicquid putidum eſt, & illecebroſum fœminis relinquendum, & effeminatis. Paſchalius.

Duorum generum mandata dantur legatis ad expedienda negotia publica, quædam enim ſunt libera, quædam definita, & certis quibuſdam terminis concluſa.

Libera mandata de his rebus dari ſolent, quæ aliter decerni, ac conſtitui, quàm in re præſenti non poſſunt; prima poteſt liberè agere, ac tractare, ſecunda verò non licet tranſgredi, niſi res mutentur, & progignerentur eæ neceſſitates, quæ non expectant noua iuſſa, & con-

ſilia

filia ſua. Si quidem mandatis ea continentur, quæ prauideri, & præcipi potuerunt. Sed quæ ſunt ſupra mortalem prouiſum relinquuntur, ſcilicet dexteritati, fideiq. legatorum, quippe præſentia conſilia qualiacumq. ſunt præſtat capere, quam illa quærere, quæ nuſquam ſunt ne dum longinqua expectantur, interim ſubducant ſe, & occaſiones, & momenta rerum gerendarum. Remedia hæc ſubitanea, vt neceſſitas excuſat, ac fides ſuadet, ſic induſtria dirigit, & fælicitas commendat.

Ante omnia plus angue vitet ineptiam, multò ſale defricanda ruſticitas, moreſq. indocti, & agreſtes, quales prodiderunt in ipſo aditu Petrones illi, qui ſunt a Celtiberis miſſi ad Grachum prætorem. Hi priuſquàm Legationem ederent, petierunt ab eo, vt iuberet ſibi dare bibere.

Semper, & vbique dignitatem præſtet. ad quod potiſſimum pertinet, vt is ſit loci ſui animoſus aſſertor, viriliterq. propulſet omnem iniuriam ſiniſtræ, aut inferioris ſeſſionis, ferè enim fit, at iudicio illius, qui colitur frequentia legationum legatis hic, aut ille locus a deſignatione monſtretur, vt ſuus. Tunc legatus in hoc ſe erigere debet, vt huius tantæ rei non omnem iudicationem patiatur eſſe illius, ad quem aditum eſt, ſed & ſuam non vt ipſe quemquam cubito depellat, ſed vt ne quis ipſum. Paſchalius.

Apud hoſtes illi maximè mittendi ſunt, qui vel aſtu, vel multarum rerum cognitione hoſtium integumenta, & callida conſilia euoluere poſſint. Claudius Coteraus lib. 2. de iure militum cap. 22. Hæ ſunt generales regulæ, deueniendum eſt ad ſingularia, & quæ his temporibus ſunt in vſu.

In primo cum Principe ſermone duas intentiones habeat, vna ſit; expoſitio animi ſui principis, finem, & cauſas legationis explicans alia notificatio affectus, ac beneuolentiæ propriæ erga illum principem; prima, nullam vult ſubſtantiæ alterationem; ſecunda quomodo voluerit explicare poterit, arte, ac floſculis vti licebit.

In primo ſermone aliqua induſtria eius legatum, qui in aula principis tui reſidet fac laudes, duplici enim adiumento tibi erit laus, primo, quia eius affinibus, ac cognatis rem gratam facies, teq. certiorem de illis rebus, de quibus non ita facilè cognitio haberi poteſt, te facient; ſecundo, quia legatus, qui in principis tui aula reſidet, tibi erit deuinctus, occaſionemquè captabit, vt vicem apud tuum tibi Principem reddat.

Antequàm diſcedat, illius Principis legatū, ad quem mittitur viſitet, & cum illo plurimis verbis vtatur, beneuolentiæ, affectus, ac obſeruantiæ plenis, in eiuſquè animo exprimat, ſe ad

profi-

proficiſci, vt illius propinquos, ac omnes dependentes honore afficiat, & omnes ſuos huius rei certiores legatus datis litteris faciat; roget, eiq. promittat ſe numquam eis niſi licita, atque honeſta petiturum, quouſquè tendere poſſint petitiones certiſſimus. Hunc ſemper amicum retinere ſtudeat, & apud eius propinquos ſcientiam, prudentiam celebret, idq. maxima arte, ne illi, ac tibi noceas.

Poſt aliquot dies, patritios, autoritateq. pollentes viſitet, non omnes; nam non conuenit, multi enim iuuenes ſunt, ac imperiti, multi etiam id ægrè ferunt, & ſi primates ſint, ac potentes, iuſtis tamen de cauſis viſitationes non admittunt, quamobrem diligenter hac deliberet, ac determinet. viſitationes non frequentes ſint.

Grauem in omnibus actionibus te eſſe oportet, non ſolum enim homines grauitatem decet, quia publici ſunt, verum etiam, quia ea virtutis, conſtantiæ, atque prudentiæ maximum indicium eſt, tamen cum facilitate, ac beneuolentia iniuncta ſui ipſius in verbis non obliuiſcatur, nec illius, cuius vicem gerit.

Si ad conſilium, vel aliquod collegium verba eſt facturus, puta Venetum collegium, vel Genuenſe, non illud nominet, ſed Ducem ad quem omnia referuntur, vt Sereniſſimè, Dux, veſtra Serenitas, &c. quia illi debes reſpondere, qui tecum loquitur, qui autem tecum loquitur caput eſt.

Quoniam verò vnuſquiſque deſiderio gloriæ inflammatur, ac honore affici cupit, honore dignos te revereri oportet, vt occaſionibus tibi adiumento eſſe poſſint.

Sed hic aduertendum eſt, quòd ſi apud Reſpub. oratoris munere fungeris, patricios diuerſæ eſſe conditionis ſcito, puta in Veneta Repu. nobiles familiæ in tres diuiſæ ſunt, veteres, nouas, & medias, veteres nobiliores ſunt, pari modo in Genuenſi, familiæ in veteres, ac nouas diſtinguuntur, veteres nobiliſſimæ ſunt. Quamobrem & ſi omnes honorari debes, tamen inæqualiter, nobiliores enim maiori honore dignæ ſunt, id autem ſecretò facias, & in familiaribus ſermonibus, vt veteres intelligant te diſtinctionem gradus non ignorare; nam publicè æqualem te oſtendas oportet; at iſtarum rerum ignarum te eſſe fingas, neque cum patricijs de his rebus, verba, incautum enim miniſtrum, & periculoſum te praberes, & aliquem offenderes, eos præſertim, qui ſe nobiles eſſe exiſtimant, qui tamen nobilitatem ignorant, quosq. in tuam familiam coquos non reciperes.

Ad prandium, vel cœnam nullum inuites, eſſet enim periculoſum, ſed ſi inuitare velles, tempus tibi eſt expectandum, nempè quando aliquis domi tuæ negotij cauſa moraretur, prandijq. hora appropinquaret, tunc inuitare poſſes, ceſſaret enim ſuſpicio, affectus, & ſtudium; poſt

poſt prandium autem ſtatim commoditatem, occaſionem inuitato abeundi præbeas.

Ne te ſecretorum Principis curioſum oſtendas, quare intimam, at familiarem eorum, qui a ſecretis ſunt amicitiam fuge, ſed ſecretò nihil intentatum relinquas; neq. ob id, qui a ſecretis ſunt deſpicias, ſed honore proſequaris. publica ſine vlla inueſtigatione tibi aperientur.

Si apud potentem aliquem commendare cogeris, non pro malo, ſed pro bono, & rarò intercedas.

Ne familia tua perperam de moribus Ciuitatis, ac aula iudicet, neque ea irrideant, quæ aduenis, & peregrinis ſtomachum, vel riſum mouent. E contra fugiat illos mores, qui & ſi boni, & incorrupti ſunt, tamen odioſi, ac aſperi eis videntur.

Quamquàm ex laude alicui data amor, & gratia acquiritur, attamen, neque honor, neque mos fert, vt præſente aliquo illos, qui autoritate valent laudes, eiuſmodi enim laus ambigua eſt, & non in rectum accipitur ſenſum. Apud ſecretos amicos, & propinquos actiones alicuius, & egregia opera celebrare potes.

Legatus Principi cum quo negotium eſt habiturus gratus eſſe ſtudeat, non enim dubium quin facilius hoc modo voti compos fiat.

In omnibus actionibus tam publicis, quàm priuatis catholicus, piuſq. ſit legatus, iuſtitiæ, boniq. publici amator, modeſtus, grauis. familiares ſibi reddat, ſit ſine ſcandalo, ſi fieri poſſit, potentes, & præſertim eos, qui apud principem plurimum poſſunt.

Potentiam, regionem, mores, conſuetudines, omniaq. laudet, ſed maxima modeſtia, ne adulatio videatur, egregiaq. facinora celebret, tunc maximè quando de virtutibus, ac primatum fortunis ſermonem habebit.

Omnem ſuſpicionem, quam aliquis de te ipſo concipere poſſet, remoueas, ſed animi tui promptitudinem erga illos declara, præterita variè excuſando. Et ſi miniſtri alicuius animus aliqua in re malè affectus eſt, ne exclames contendendo, ſed aliqua induſtria eius argumentis cede, & alia ratione fac, vt voti compos fias.

Si contigerit, vt ſæpè contingit aliquid contra miniſtrorum, vel principis voluntatem te agere; id prius excuſes, & neque à te, neque a principe tuo, ſed ex negotij natura, vel aliqua alia re proficiſci aſſeras, ſpem rerum gratarum eis inijcias, ne in ſuſpicionem rei alicuius incidant, & ſiniſtram opinionem animo concipiant.

Verùm ſi quod cupis, obtinere non valeas, vno relicto medio, aliud quære, & expecta, vt negotium matureſcat, & elapſis multis diebus aliqua arte rem denuò aggredere, vel morare, donec occaſio ſeſe offerat

rat aliquid aliud tractandi, tunc aliquo artificio iterum rem tenta.

Si aliquod maximum obtineas, noli eius expeditionem retardare, ſed continuò in eius expeditione ſollicitus ſis, gratia tamen, ac modeſtia. Verumtamen ſi in nuda promiſſione conſiſteret, cautela aliqua vtaris, vt charte promiſſio detur, & è contra fuge tuam, & principis tui obligationem in ſcriptis præſertim.

Operam da, vt ex omnibus locis amici de omnibus te certiorem faciant. quæ autem grata ſunt, ac vtilia, cum primatibus ea participes; ſi hoc feceris, præterquamquòd gratiſſimum eis feceris, te prudentem, ac diligentem exiſtimabunt, & occaſionem cum Principe loquendi, ac negotia peragendi tibi præbebunt. Si grata renunciabis, gaudebunt, ſi mœſta prouidebunt; & vt hoc facias, nulli ſumptui, ac labori parcas.

Diligentiſſimè intelligas omnes aulicos motus, & qui autoritate mera, qui mediocri, qui minori, qui falſa, qui adumbrata pollet, vt vnumquemq. intimè cognoſcere, ac reuereri pro cuiuſq. qualitate poſſis.

Ne te mendacem, magnæ rei præſertim vllus arguat, exiſtimationem enim ſtatim amitteres, quare circumſpectum in hoc te eſſe neceſſe eſt, ne dubia, & incerta pro certis exponas, & ideò nullo modo alieno ſermoni eſt credendum, ſed teſtes aliquos nominando; quæ ad principem tuum attinet, niſi rectiſſima referas, omniſq. tuus ſermo purus, ac ſincerus ſit, ne miniſter alicuius doli videaris.

Negotia ne deſperes, quæ enim impoſſibilia videntur, temporis curſu, animi, & rerum mutatione fiunt, quæ ea poſſibilia reddunt.

Caue ne aliquid ad Principem tuum ſcribas, quod litterarum, aut hominum teſtimonium non habeat, quibus Domini integrè credant, variatio enim indignationem, & malam opinionem, ac temeritatem progignere poſſet.

Stude, vt amici, vel beneuoli ad Principem tuum te ſollicitum in negotijs gerendis, nulliq. labori parcere, gratumq. aulæ eſſe ſcribant, & è contra aula cognoſcat te a Principe tuo amari, vel diligi; quod quidem crebris litteris vltrò, citroq. datis fiet, quare homines apud illum diligentes teneas.

Ne in rebus credulus ſis, & ſingula quaq. hora, ſi negotium arduum eſt, Dominum tuum certiorem fac.

Domini tui deſiderium ſequere, nullam ſcribendi occaſionem prætermittens, etiam ſi ſecundæ tibi litteræ reddita non eſſent.

Diſtinctè omnia negotia ſunt conſcribenda. Non ſolum de actis rebus, verum etiam de futuris, præterita enim facillimè ſciri poſſunt, & eſt minimum omnium, dominum de illis certiorem facere. oportet

ergo

ergo maius lumen domino futurorum infundere, & in primis de negotijs, nam ſumma iudicium eſt faciendum, & ſcribendum.

Ne de leui quaq. re admonitionem a domino expectet, ſed ipſe omnibus prauideat.

Certis temporibus maximam miniſter diligentiam adhibeat, non ſolum quotidie, ſed frequentius ſcribendi; nam non ſolum quotidie, ſed ſingulis horis nuntij noui de rebus expectantur, nempè quomodo res ſe habent, &c.

Sine occultis litterarum notis, quas cifras appellant ea, quæ omnes debent ignorare ne ſcribas. multa enim periculoſa poſſent contingere, ſi littera intercipérentur. de rebus maximis litteras duplices exara.

Littera earum rerum referta ſint, quas deſiderare dominus poteſt, non ſolum de præſentibus, verum etiam de futuris.

Determinationes principis, ſi diligens fueris ex multorum ſermonibus cognoueris multa deducendo, & aliquo noto in cæterarum cognitionem facilè deueneris, ſi verò ſcribueris, v.g. N. diſceſſit oportet te ſcire, qua prouiſione, quo fine, qua de cauſa, & eiuſmodi, omniaq. minutè litteris mandare.

Acutum, & expertum a ſecretis habeas, plurima enim tibi aperiet, quæ ignoras. ſed ille ſit in eiuſmodi rebus peritiſſimus, multum enim differt, qui eſt, vel a ſecretis legati fuit ab eo, qui alteri operam ſuam nauat, quorum munera hoc loco ſilentio præteream, ſed alibi Deo fauente.

Vt Dominus in omnibus te diligentem cognoſcat, nullum tabellarium ſine litteris tuis proficiſci permittas, etiamſi nihil noui haberes, & ſi aliquod ſecretò audiueris, noli quemquam nominare, poſſes enim aliquem offendere.

Si aliquem tabellarium ſuſpectum haberes, reſq. maximi momenti tibi ſcribenda eſſet; epiſtolam ad amicum mittere fingas, vel ei incognitam tribuas.

Caueat, ne ſub prima pagina memoriam principis faciat, id enim neque principi, neque primatibus, ſed amicis tantummodo fieri ſolet.

In cifris poſt exaratam epiſtolam, lineam ducas, vt nihil additum eſſe demonſtres; verum hoc eſt munus eorum, qui a ſecretis ſunt; qui doctiſſimi in eiuſmodi rebus deſiderantur.

In ſtatuum determinationibus minimum quid, eſt maximi momenti, quare vulgi ſermones, & verba ſunt recenſenda, ſed autorem nominare noli, ſi diuerſum eſt, quod profertur.

In itineribus frequẽtiſſimi nũcij mittũtur, vt ſciatur vbi locorũ es.

Noli ſcribendo publica negotia cum priuatis miſcere, ſed ſi aliquod priuatum accidit, ſcribas ſeparatim.

T Om-

Omnium litterarum publicarum exemplum apud te retineas.

Noli ſcribendo præcidere verba, ſed diſtinctè ſcribe, quod ſcriptum eſt diligentiſſimè perpēde cartā ne radito, ſed oblitera, vel ſupra ſcribe.

In redditu Legationis omnia tibi dicenda ſunt, at primo prouinciæ ſitum deſcribes, nomen antiquum præponens, & oſtendens, qua mundi parte inuenitur, confines, longitudinem, latitudinem, & circuitum, in quot regna, vel minores prouincias diuidatur nobiliores ciuitates referēs, portus illuſtres, arces Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Abbatias, flumina, villas, oppida, nemora, ſyluas, ac circumuicinas regiones ad ipſum attinentes.

Secundo de ipſius prouinciæ qualitate ſermo eſt inſtituendus, quæ cœli clementia gaudet, quibus acquis bonis, vel malis ſcatet, deq. earum abundantia, deq. fœcunditate, vel ſterilitate agrorum, & de omnibus ad humanam vitam conſeruandam neceſſarijs, de animalium numero, diuerſitate, de montium, ſyluarum, ac paludum qualitate, quæ partes incolas habet, quæ pars incolas impedit, & ſi quid in natura eſt admirabile.

Tertiò de moribus, veſtitu, colore, figura, natura, eorum. Si religioſi, vel ſuperſtitioſi ſint, de ordine, de bellico apparatu, tam terreſtri, quàm maritimo. De artibus, de exercitio, quæ re pollent, quos mercatores in regionem recipiunt, & quos miſſos faciunt, de primatum regimine, de diuitijs, nobilitate, ac de plebis natura, & conditione.

Quarto, de Principe, de eius gloria: hominū deſcribēs mores & ſubditorum, amorem, vel odium enarrans, quot vectigalia, quot reditus quantum inſumit in militum cuſtodia, aulæ præſtantiam, & cui principi eſt amicus.

Si illud adagium, nullus dies ſine linea omnibus, legatis præſertim conuenit. & melius eſt lenta certitudine negotium peragere, quàm celeritate illud in aleam dare; ſi enim celeritatem præfers, qui determinant neceſſitatem quandam ineſſe exiſtimant, & quamuis vtile, commune eſſe perſpiciant, tamen non communi, ſed propria gratia beneficium attribuere volunt, quod quidem quandam in reſoluente aliquando generat pertinaciam; aſſidua enim inſtantia ſuperbiam gignit, & occaſione vti neſciunt; quare vtriſq. accidit, id quod Cæſar Aſcanio dixit, accidiſſe enim eis, quod hominibus nimia pertinacia, atque arrogantia accidere ſolet, vt eò recurrant, & cupidiſſimè petant, quod paulo anteà contempſerint.

Sciat Legatus negotia corporibus ſimilia eſſe, quæ nunc ſana ſunt, nunc ægrota, nunc ſine ſpe, nunc dubia, modo deſperata contra omnium opinionem ſanantur, quare tamquam Medicus ea curet, ſciatq. tempus initij, augumenti, ſtatus, ac declinationis, hoc enim modo,

do, vt peritus prognoſticum de omnibus actionibus faciet, & diffinitiuum iudicium in ſua poteſtate erit.

Solent aliquando Principes Legatis nihil reſpondere, in quo caſu debet Legatus rectè animo perpendere ſilentium neſcio quid dubium ſecum afferre, vel tacitè negare; quare hac in re cautus, & prudens eſſe conuenit tolerando ſilentium, vel rumpendo; nam, & vtrumquè iuuare, & nocere poteſt, nec de hoc certi aliquid determinari poteſt, cum a rei natura dependeat, & aliquando ſilentium deſideratur, vt cauſam apud te habeas.

Vt corpus conſeruemus, medici multa præcepta tradere ſolent de rebus non naturalibus, quæ ſi rectè applicentur multo adiumento, ſi verò non rectè, nocumento ſunt corporibus, ſic in negotijs quiete, exercitio, curſu, labore ſummo indigent, ſed omnia tempus habent, quod ſi quis ſeruabit, optimus miniſter euadet.

Nec verò ſufficit Legato, vt inquit Huraltus in dignitate rerum, & verborum Legationem expoſuiſſe, nec illi ſtatim ſalutato Principe de redditu cogitandum eſt, vt canis è Nilo bibit, & citò fugit, ſed commorandum, ac conquieſcendum, donec reſponſa ferantur, illiq. cumulatè ſatisfiat.

Princeps Legatos ſplendidè excipiat, magnificè tractet, clementer audiat, liberaliter dimittat, ne quam habeant occaſionem de inhoſpitalitate conquerendi.

Placet Tiberius, qui vt refert Dion Legatis ciuitatum, nationum vè numquàm reſpondebat ſolus, ſed pleroſq. eoſq. potiſſimum, qui apud eas gentes cum imperio fuerant, ſuæ ſententiæ participes faciebat.

Non decet Principem, vel ciuem in Repub. primariam Legatos decipere, vt Alcibiades fecit, referente in eius vita hæc Plutarchus. cum inde Nicias aduerſo rumore eſſet adinuenerunt forte ab Lacedamone legati cum æquis, vt ſtatim oſtendebant mandatis, docueruntq. eum libera poteſtate, ſe ad omneis controuerſias æquis legibus componendas miſſos: Cum id placeret curiæ, & eſſet populi concilium in poſterum diem indictum trepidus Alcibiades perfecit, vt colloquerentur ſecum Legati, vt congreſſi cum eo ſunt. Quid hoc rei eſt, inquit, ſpartiatæ? An fugit vos ſenatum ſemper erga legatos moderatè ſe gerere, & humaniter, populum verò eſſe elatum, & grandia affectare? quod ſi miſſos vos dixeritis cum mandatis liberis imperandi, & extundendi vobis nullum faciet modum. Quin mittitis hanc amentiam, ſi æquam a populo Athenienſe imperare, nec inuitis vultis vobis quid extorqueri; ita verò agite cum populo Athenienſe, quaſi po-

teſtatem non habeatis plenam, nos in Lacedæmoniorum gratiam erimus vobis præſtò. Ita fatus iuſiurandum dedit ijs, traduxitque eos ad Nicia, fidem, vt ſibi haberent, mirantes eius, vt non vulgaris viri, & ſolertiam, & prudentiam. In ſequenti die conuenit populus, quò Legati proceſſerunt. Rogati ſanè quàm comiter ab Alcibiade, quid veniſſent; negauerunt libera mandata habere. Mox Alcibiades inſiſtare cum clamore, quaſi non eos iniuria afficeret, ſed afficeretur ipſe, perfidos, & verſipelles appellans, neque vt quicquam boni vel facerent, vel diſcerent, oſtendens veniſſe; Fremere etiam Senatus; exardeſcere ira populus. Nicias impoſturæ, & doli ignarus, ſtupore, & pudore ex iſtorum hominum inconſtantia defixus eſſe. Ita exploſis Lacedæmonijs Alcibiades deſignatus Prætor, Argiuos, Mantineos, & Elios adiunxit extemplò populo Athenienſi ſocios. Huius facti nemo rationem comendauit.

Princeps legato petenti licentiam libentiſſimè præbeat, non enim Turcæ mos placet, ex cuius aula non quandocumque volunt, dimittuntur, vt inquit Augerius Giſlenus in legationis Turcicæ epiſt. 3.

Legatis non ſemper credere princeps debet, ſæpè enim ſpecioſis verbis, ac inſidioſa arte, nefaria, ac attrocia occultant, nam mortales non verentur abuti ſanctitate legationis. Quidam ideò legatos mittunt, vt interim parent ſe bello, & princeps aliquando proprios legatos decipere ſolent, vt principem ad quem mittuntur ardentius, ac facilius fallant.

Cæterùm, vt legationibus non temerè credendum, ita non præcipitanter eſt reſpondendum. Paſchalius.

In admittendis legationibus, primum gentium mores, & conſuetudines obſeruandæ ſunt, eſt autem omnium gentium moribus receptum, vt legationes pro conditione, & qualitate, & eorum, qui mittunt, & eorum, qui mittuntur, honorificè excipiantur. Aliter enim legationes, qui nobis dignitate, & potentia ſuperiores, aliter, qui inferiores, aut pares ſunt excipimus. Aliter, qui a multis, aliter, qui ab vno, aliter, qui a Papa, & Cæſare, aliter amicorum noſtrorum, aliter eorum, qui nulla amicitia nobis iuncti ſunt, aliter hoſtium noſtrorum legatos excipimus.

Datur Legatis audientia, pro tempore ipſorum. Amicorum autem Legati, & citò audiantur, & in tempore dimitti debent, vt reſponſa non ſolum benigna, ſed etiam tempeſtiua a Principe retuliſſe videantur.

Ad quædam poſtulata, reſponſa dantur, ad quædam nulla dantur. Verum id generaliter obſeruatur, vt quos audiuimus legatos eos

etiam reſponſis dimittamus. Si quidem melius eſt non dare legatis concilium, quam inde ſine reſponſo eos dimittere. Brunus.

Benignè, ac comiter amicorum legatis reſpondeat, inimicorum autem ferociter, & intra paucos dies hos excedere iubeat Princeps. At de his reſponſis legi poteſt. Barnabas Brixonius de formulis, & ſolemnibus Populi Romani verbis lib. 2. Ex quibus multa ediſcere potes.

Cęterùm Tiberio haud ingratum accidit, turbari res orientis, vt ea ſpecie Germanicum ſuetis legionibus abſtraheret, &c.

Super illa verba, cęterùm Tiberio haud ingratum accidit, turbari res orientis, vt ea ſpecie Germanicum ſuetis legionibus abſtraheret, dicendum eſt.

Princeps abſtrahere multos imperio ſpecie honoris.

Scribit Frontinus lib. 2. cap. 11. quòd Alexand. deuicta, perdomitaq. Thracia, petens Aſiam, veritus, ne poſt illius diſceſſum ſumerent arma, reges eorum præfectosq. & omnes quibus videbatur eſſe cura detractæ libertatis ſecum veluti honoris cauſa traxit, ignobilibus autem relictis, plebeios præfecit, conſecutus vti Principes beneficijs eius conſtricti nihil nouare vellent, plebs verò, ne poſſet quidem ſpoliata Principibus. Hoc eſt Principum artificium, quo eruditi Principes vtuntur. Sic Tiberius hic, alij etiam apud Aug. leguntur lib. 11. apud Iuſt. Proficiſcens ad Perſicũ bellum omnes nouercæ ſua cognatos, quos Philippus in excelſiorem dignitatis locum prouehens imperijs præfecerat interfecit, ſed nec ſuis, qui apti regno videbantur pepercit. ne qua materia ſeditionis procul ſe agente in Macedonia remaneret, & reges ſtipendiarios conſpectioris ingenij ad commilitium ſecum trahit, ſegniores ad tutelam regni relinquit. Quod accidit Vitaliano Euagrius lib. 4. his. eccleſ. cap. 3. ſcribit, Vitalianum verò vitam in Thracia degentem, qui Anaſtaſium imperio exturbare moliebatur, Iuſtinus Conſtantinopolim accerſit. Nam, & potentiam eius extimuit, & ancipitem fortunam, quæ in bellis cerni ſolet, & nominis eius celebritatem, quæ in omnium ore fuit, & imperij. qua flagrabat cupiditatem. At cum coniectura proſpiceret, idquè ſanè veriſſimè ſe non alia ratione eum

poſſe vincere niſi amicitiam erga eum ſimularet, vultu mire ad fraudem compoſito, quæ facilè deprehendi non poſſet, vnum ex ducum numero, qui Præſentes vocantur, eum deſignat, & quo magis perſuaderetur Vitaliano, & facilior aditus ad fraudem pateret ad conſulatus quoque honorem affert. Qui Conſul factus cum in palatio verſaretur, in porta quadam poſt aulam poſita, per dolum caſus occubuit, & Auguſt. vt tradit Dionyſ. lib. 50. Brunduſium omnes milites, qui alicuius eſſent pretij, omneſq. Senatorum, equitumq. primores conduxit alteros, vt eorum opera in agendo vteretur, alteros ne ſoli relicti ad nouas res conſurgerent. Et in Hiſt. legitur multos è magiſtratibus magnam conſularium partem Otho non participes, aut miniſtros bello, ſed comitum ſpecie ſecum expedire iubet.

Hæc artificia cognoſcant aulici, & illa Nazianzeni, quæ obijcit Valentiano Epiſt. cxvi. eſt quidem facilè ſpecioſum aliquem prætextum inuenire, tequè excuſare, atque æqua dicere videri, nempè nos a te minimè eijci, verum hinc potius honore abs te affici, quod nobis vicinos eſſe cupias. addes etiam fortaſſe, quod nos amicè, & vt cognatos decet complecti, atque etiam aliquem ex noſtra amicitia fructum capere vis. Hoc autem merus ſermo eſt, non res.

Remedium talia incommoda euitandi eſt ſimulatio, & patentia. Tacit. hoc lib. Annal. Precante Germanico annum efficiendis cœptis, acrius modeſtiam eius aggreditur, alterum conſulatum offerendo, cuius munia præſens obiret, ſimul adnectebat, ſi foret adhuc bellandum relinqueret materiem Druſi fratris gloriæ, qui nullo tam alto hoſte non niſi apud Germanias adſequi nomen imperatorium, & deportare lauream poſſet. Haud cuntatus eſt vltra Germanicus quamquam fingi ea, ſeq. per inuidiam parto iam decori abſtrahi intelligeret.

Ratio cur Principes hoc vtuntur artificio, eſt timor, quia boni, ac fortes regibus, & omnibus ſunt ſuſpecti. Nero vt legitur 13. Annal. ſuſpectabat maximè Cornel. Syllam, ſecors ingenium eius in contrarium trahens, callidumq. & ſimulatorem interpretando; & Otanes apud Herod. lib. 3. vt enim vir dominans, vt qui omnia bona obtineat, debebat ſine liuore eſſe, ſed contra comparatus eſt in Ciues, ſi quidem eorum optimis quibuſquè, qui ſuperſtites ſunt, atque viuunt, inuidet, deterrimis delectatur, criminationibus etiam locum dare optimum putat. Et quod eſt quiddam minimè omnium ſecum conſentiens, ſi quidem eum mediocri admiratione proſequaris infenſus eſt, quod non impensè colatur, ſin impensè quis eum colat eo cultu tam-

quam

quam aſſentatione offenditur; & Tacit. lib. 1. Annal. Tiberio nulla vetus in Arruntium ira, ſed diuitem, promptum artibus egregÿs, & pari fama publicè ſuſpectabat, & lib. 1. hiſt. nobilitas, opes, omiſſi, geſtiq. honores pro crimine, & ob virtutem certiſſimum exitium, & in vita Agricola, intrauitq. animum militaris gloriæ cupido, ingrata temporibus, quibus ſiniſtra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama, quàm ex mala, & legitur de Acrotato ſpartiata lib. 19, Dion. ſic.

Ad extremum Soſiſtratum exulum clariſſimum, qui ſæpè copÿs præfuerat ad cœnam vocatum dolo interfecit, habens alioquin nihil omninò, quod eum accuſaret, ſed volebat è medio tollere virum ſtrenuum, & qui inſidiari ÿs poſſet, qui imperium malè adminiſtrarent, & Xiphil. in Nerone. Thraſea quoque, & Soranus, qui nobilitate, opibus, ac omni genere virtutis primas partes tenebant, & ſi culpam coniurationis non ſuſtinuerunt, tamen propterea quòd tales erant poſtea mortui ſunt, & Lucianus. Hi omnes Rhadamante huius crudelitate vitam amiſerunt, quorum alÿ formoſarum vxorum gratia, inſidÿs ſunt circumuenti, alÿ quòd opibus illorum inſidiaretur, porrò alÿ, quòd boni eſſent, & prudentes, quibus haudquaquàm cum illius factis conuenire poterat. Quamobrem verum eſt, quod ait Salluſtius, regibus boni, quàm mali ſuſpectiores ſunt, ſemperq. his aliena virtus formidoloſa eſt, & Xenophon. Etenim non minus norunt, quàm priuati homines, qui nam egregÿ viri ſunt, & ſapientes, & iuſti. Sed cum eos ſuſpicere deberent, metuunt, fortes quidem, ne quid libertatis cauſa audeant, ſapientes, ne quid artificioſè moliantur, iuſtos, ne plebs eos ſibi præeſſe cupiat. & ſine vlla exceptione Chriſ. Non videtur vtile monarchis, quemquam bonum virum verſari apud ipſos, quiq. videatur magni fieri apud multitudinem.

Remedium eſt imitari Galbam, qui vt refert Suetonius cap. 19. paulatim in deſidiam, ſegnitiemq. conuerſus eſt, ne quid materiæ præberet Neroni, & id quod Plinius ad Traianum, iubes eſſe liberos? Erimus, iubes, quæ ſentimus, promere in medium? proferemus, neque enim adhuc ignauia quadam, & inſito torpore ceſſauimus, terror, & metus, & miſera illa ex periculis facta prudentia monebat, vt a Repub. oculos, aures, animos, auerteremus, & Iunium Brutum, de quo Liuius lib. 1. Is cum primores Ciuitatis in quibus fratrem ſuum ab auunculo interfectum audiſſet, neque in animo ſuo quiquam regi timendum, neque in fortuna concupiſcendum relinquere ſtatuit; contemptu tutus eſſe, vbi in iure parum præſidÿ eſſet. Ergo ex induſtria factus ad imitationem ſtultitiæ, cum ſe ſuaq. præda eſſe regi

ſineret. Brut. quoque haud obtinuit cognomen, &c. quod quoque voluit Claudius, vt Sueton. cap. 38. Ac ne ſtultitiam quidem ſuam reticuit, ſimulatamq. a ſe ex induſtria ſub Caio, quòd aliter euaſurus, peruenturuſq. ad ſuſceptam ſtationem non fuerit, quibuſdam orationibus teſtatus eſt. Hæc neſcio quo dicta ſunt, non enim his temporibus opus his eſt remedijs, cum principes ſint catholici.

Sed, & artificium etiam Principum eſt, ſpecie honoris æmulos, inuidiæquè obnoxios amouere. Naſica, vt refert Aem. Probus in vita Gracchi, vt inuidia ſubtraheretur, per ſpeciem Legationis in Aſiam ablegatus eſt, & Cæſar, vt refert Caſſius lib. 28. Ciceroni conſilium dedit, vt ſe ſubduceret, ne ad Vrbem manendo in perniciem deueniret, id quò magis ex beneuolentia conſulere videretur, Legato ſe eo vſurum dixit, vt iam non tamquàm reus cum ignominia, ſed honeſtè, & cum imperio Clodium ſubterfugeret, & Tiberius remanſit Rhodi, contra voluntatem, vt ait Sueton. vix per matrem conſecutus, vt ad velandam ignominiam quaſi Legatus Auguſti abeſſet, & apud Tacit. lib. 12. Annal. Legitur de Britannico, ſimulquè, qui centurionum, Tribunorumquè ſortem Britannici miſerabantur, remoti, fictis cauſis, & alij per ſpeciem honoris. Idem patet de multis alijs, quos refert Grutherus in varijs diſcurſ. ſup. Tac.

Super illa verba, ſi foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Druſi fratris gloriæ, dicendum eſt.

Quomodo Nobilis militiam citò addiſcere poſſit.

SI nobilis militiam addiſcere optat, neceſſe eſt, vt in familia exercitus Ducis recipiatur, eiq. ſeruiat, ac ſatisfaciat, in quo quidem omnis labor, ac induſtria eſt ponenda.

Quare addiſcere debet, quæ ignorat, quæ duplicis generis ſunt, vnum enim militiam, alterum verùm ipſum Principem reſpitiunt; non enim ſufficit Ducem artem bellandi non ignorare, ſed & conuenit etiam ſcire modum, quo vti debet, & Imperatori gratum.

Cum harum rerum compos factus fuerit, certam, ac exploratam prouinciæ, in qua bellum geritur notitiã habeat, nempè de eius magnitudine, longitudine, & latitudine, quæ loca offenſioni patent, quos

quos habet confines, quanti circuitus, & in quot partes diuidatur, & nomen, titulumq. ſingularium partium, mare portus, montes, flumina, paludes, lacus, aliaq. notabilia loca. quibus abundat, quæ ei deſunt, quibus res impertit, & a quibus accipit. Deinde ciuitates, cuius magnitudinis, ac virium ſunt, naturam, ſitum, quæ populi multitudine ſunt refertæ, ſi ſunt agri bonitate felices, quanta ſit exactio capitum, ac oſtiorum, ſi in illis eſt peregrinitas infuſa, ſi nundinæ habentur, & quo tempore, quæ pars ad orientem, quæ ad Occidentem meridiem, vel Septentrionem vergit, ſi ſunt in planitie, vel vndique viuo, præruptoq. ſaxo ædificatæ, per quot millia paſſuum ſingula extenduntur, quot oſtiorum millibus vnumquodq. pagum eſt, artem, induſtriam, opulentiam nobiles familias, adhærentias, mores hominum, religionem, indicia, conſuetudinem, regiminis formam, vectigalia, exactiones, annui reditûs, in quo ſint fundati, an incrementa capere poſſint, nec ne.

His rebus addat belli principia, ac cauſas veras, & falſas, præcipuas, ſecundarias, quomodo anteà alij bellum adminiſtrauerint, vel prouinciam, & præſens regimen, harum adminiſtrationum varietatem, ac ſimilitudinem, errores in quos miniſtri inciderunt, quos corrigere potuerunt, vel non, & modũ, & cauſam, vtiles prouiſiones, conſilia, quæ minimè miniſtri ſunt executi, bono, vel vano ſucceſſu, res, potentiam, auxilia, fœdera, fomenta, ſumptus an ſit durabilis, ex qua cauſa bellum protrahatur, an princeps ei finem imponere, vel nequaquam poſſit, & ſi poteſt cur differtur, ſi non poteſt, quid expectat, & tandem, qui ſpei, quid timoris in eo ſit.

Omnem diligentiam adhibeat, vt omnium celebrium arcium, ſitum, & formam perſpectam habeat, defectus ſingularum non ignoret, quomodo expugnari, ac defendi poſſint, numerum, quæ offenſio, & quæ defenſio exigit, & defenſio quot bombardas, quos commeatus, auxilia, & præſidia requirit, quæ impedimenta, & alia, quæ a peritiſſimis viris intelligi poſſunt.

Oportet multa notare, multa audire, & conſilia inita, & diſciplinam militarem, & intellectam animo rectè perpendere, quomodo Imperator ea vtatur, illius præcepta notans, actioneſquè obſeruans.

Scribat occaſiones, paſſiones caſus, maxima accidentia, regulas præcepta, apophthegmata, dicta, conſilia, opiniones, iudicia, quæque vel viderit, vel audiuerit; locupletiſſimam, & ſplendidiſſimam ſuppellectilem militarium propoſitionum debet habere, & omnia in charta ſub proprijs capitibus annotare, vt ver. gr. ſi intellexerit picam xvi. pedum conſtare debere, ab Heluetijſque inuentam,

ne

ne equites propius accedant, notet verbo pica, & ſi audiret, quòd Sclopetarius poſtquàm tormentum exploſerit in pugna locum militi, quem a tergo habet cedere, caudamquè petere ſtatim debere, id verbo. Sclop. Idem de omnibus eſt dicendum, quæ ad Aquiliferum, Ducem, Imperatorem, caſtrorum præfectum, milites, vel exercitum attinerent. Idem de annona, impedimentis, & ſimilibus militaribus actionibus.

Sed & ſcribere, & intelligere, & harum rerum memoriam habere, omnium eſſe capacem non ſufficiet, niſi & etiam oculis ipſe viderit, omniaq. exercere delectabit, quare in omnibus actionibus primus ſit, vt rerum initia, medium, ac finem operationum conſpiciat; de omnibus rationem petens, cur hoc modo, non illo fiant, an ſemper eo modo, vel variato, & locorum diſcrimen temporum, ac rerum conſiderans, miniſtriſq. adiumento ſit ore, lingua, & manu. Sed animaduertat, ne nimium, flagrans eiuſmodi rerum deſiderium miniſtrorum opus tardet, vel impediat, vel confuſionem generet, ſed.

Præſens ſit, quando miniſtri exercitum colligunt, vel recenſent, vel cohortem luſtrant, vel militum accipiunt nomina, quando ad hoſtem caſtra admouent, quando copias producunt, quando ad explorandum alicuius ciuitatis ſitum mittunt, quando vrbem aliquam, vel oppidum obſidione cingunt, ſciat cur obſidionem non intermittant, ſi obſidionem ſoluunt, quæ cauſa ad eam obſidionẽ leuandam impulerit, quando arcem oppugnant, verberant, ac quatiunt, quomodo circuunt vigilias noctis, quomodo receptui ſignum dant, quomodo pedem referunt, modum quo cuniculos in aliquam ciuitatem agunt, quomodo hoſtem intercludunt, & prælium tentant, quando caſtra locantur, cur illum locum tutiſſimum copijs portum eſſe ducant, quomodo hoſtes in ſummam anguſtiam inducunt, conſiliumq. impediunt, quomodo aperto marte, quomodo ex inſidijs pugnam ineunt, quomodo paſſim, quomodo ordinatim, & ſine iumentis, & cum iumentis eant, quomodo ponunt milites ad tenendas excubias, mittant in adiutorium milites, centuriones in hoſtes equos concitant, & pedites, ſciat etiam, quænam ſint bellicoſæ nationes, milites quibus ſinguli armis valeant. v.g. Hiſpani omnes in torquenda pila tormento manuario cæteros milites, Italos, Gallos, & Germanos antecellunt; nam dum iſti bis, illi quater puluerem ſulphureum, glandemq. plumbeam in eo deprimunt, quomodo ſcalis mœnia aſcendant, quomodo tabellarios etiam occultos, & ignotos cum litteris intercipiant, quomodo bini, vel quaterni milites incedant.

Hæc, & alia perſpecta debet habere, quæ ad militiam attinent.

Debet præterea hiſtorijs, & autoribus, qui de militia conſcripſerunt

runt ſtudere; nam dici non poteſt, quantùm fructus cupienti militiam addiſcere, afferat hiſtoriarum, ac militarum autorum cognitio.

Quæ verò ad ipſum principis ſeruitium pertinent, ob temporis inopiam miſſa facimus, ſed legi poſſunt, quæ de aulicis annotauimus.

Sub idem tempus, & familia Scriboniorum Libo Druſus defertur molire res nouas, &c.

Super illa verba, feralibus iam ſibi tenebris duos ictus in viſcera direxit, dubitatur.

Vtrum pro vitanda miſeria feritate debeat homo ſibi met mortem tradere.

PRima opinio eſt, Olimpiodori Platonici, qui huius rei quinque aſſignat cauſas, & Plotini in lib. de beat. cap. 7. inquit enim ſi vir ſapiens ducatur captiuus, aderit ſoluendi facultas, ſi non detur ibi eſſe felicem, & in eorum arbitrio eſt, qui vincti ſunt ſe ſoluere, quibus verbis indicat ſe poſſe ſemetipſum interficere, eſt Stoicorum, & præſertim Seneca, affirmantis quamcumque veniam noſtri corporis eſſe viam ad libertatem. eſt Catonis, qui Lucretiam, alioſq. commendat, qui ſibi manus intulerunt.

Probatur primo hæc opinio, nam ſi ab alio mors nobis traditur, cur non ſponte eam nobis forti animo tradere debemus.

Secundo, quia de duabus mortibus illa eſt accipienda, quæ magis digna eſt, & poſt illam omnia commodè manent, ſed mors voluntaria eiuſmodi eſt ergo. Probatur minor, quia Tacit. annal. dicit. quòd metus carnificis eiuſmodi mortes promptas faciebat, quia damnati publicatis bonis ſepultura prohibebantur, eorum qui de ſe ſtatuebant humabantur corpora, manebant teſtamenta; ergo melius erat mortem ſibi conſciſcere, quàm expectare.

Probatur tertio, quia a magnis viris eiuſmodi mors laudatur, vt a Lucio Floro, qui mortes ſpontaneas Cymborum, & eorum vxores in cœlum laudibus effert. a D. Hieronymo, qui ſeptem virgines mileſias laudauit, quis valeat inquit ſilentio præterire ſeptem mileſias virgines, quæ Gallorum impetu cuncta vaſtante, ne quid indecens ab hoſtibus ſuſtinerent turpitudinem morte fugerunt, & ab Euſebio Cæſarienſi, qui duas Anthiochenas, & D. Aug. qui nonnullas laudat.

Probatur quarto, homo mortalis eſt, ergo mori debet, quæ maior ratio de ſpontanea morte, quàm de naturali.

Quinto,

Quinto, ſicut homo de rebus ſuis diſponere poteſt, ſic & de vita, ergo.

Sexto, Deus vitam donauit, ergo in hominis poteſtate eſt ſe occidere, cum donum amplius non ſit in donantis poteſtate.

Septimo, mors eſt laborum, & moleſtiarum finis, & melioris vitæ principium, ergo licet hominem quam primum finem adipiſci, & principium melius inchoari.

Octauo, mors non eſt malum, vt inquit Plato, quod non eſt malum, eſt bonum, ergo bonum eſt ſe occidere.

Nono, volenti non fit iniuria, ergo qui vult ſeipſum occidere, non facit ſibi ipſi iniuriam, nec alteri.

Decimo, licet pro patria, pro fide vitam propriam negligere, ergo in aliquibus caſibus licebit ſe occidere.

Vndecimo, Scriptura laudat, qui ſe interfecerunt, vt Sanſon, Iudit, & Elez. 1. Machab. & Razias, qui vt legitur 2. Machab. 14. Se gladio petijt, eligens potius mortem, quàm ſubditis fieri peccatoribus.

Negatiua opinio eſt Macrobij aſſerentis, qui id facit, tum principi, tum Deo, tum naturæ aduerſatur. Ariſt. 5. Ethic cap. vlt. Cic. quæſt. 1. Tuſcul. Theologorum, & præſertim D. Aug. lib. 1. de ciuit. Dei, cap. 15. vſque ad 27. Franciſci Victoriæ in relectione de homicidio.

Probatur primo, nam homo eſt ſeruus Dei, ſeruus non eſt ſui iuris; ac vt ſeruo non licet ratione humani iuris ſe interficere, ſic nec homini ratione diuini.

Secundo, quia præcepto illo non occides, prohibetur omne homicidium, quod ſit contra charitatem, & contra rationem, ſed ſi ſe homo occideret, faceret contra charitatem, ergo.

Tertio, non Iob, nec alij prophetæ ad euadendum ex vita incommodis hoc remedio vſi ſunt, ergo, Deus enim patientes perſecutionem fugere de ciuitate in Ciuitatem admonuit, ergo.

Quarto, quia Sancti Patres Iudam maximè damnant, & ſacra Scriptura cum maxima execratione aliquorum factum, qui ſe ipſos interemerunt, memorat, vt Architophel 2. 17. & Iudæ Matthæi 27. & Actorum 1. ergo.

Multis alijs argumentis, id probant Victoria. S. Auguſt. l. cit.

Hoc antiquis cognitum fuit, Cicero enim in ſomnio Scipionis dicit, niſi Deus in cuius hoc templum eſt omne, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodijs liberauerit, in cœlum aditus tibi patere non poteſt, & Plin. lib. 1. epiſt. 12. luctuoſiſſimum genus mortis, quæ non ex natura, nec fatalis videtur. Virg. Didonis animam iuxta, ac ne-

vix

vix quidem egredi potuiſſet dicit quouſque Iuno:

Irim demiſit Olympo

Quæ luctantem animam, nexosq. reſolueret artus.

Luctantem animam ait, qui præproperè, & iniuſſu ſummi Imperatoris non tam egrediebatur, quam vi eijciebatur, cũ eius eſſet educere, cuius fuerat introducere, vt inquit Annæus Rob. rerum iud. lib. cap. 12. & hoc idem ſatis Poeta declarat.

Nam quia nec fato, merita, nec morte peribat,
Sed miſera ante diem ſubitoq. accenſa furore,
Nondum illi Flauum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat ſtygioq. caput damnauerat orco.

Nulla quidem ſunt crimina, delictaue, quæ non Deo inuiſa, hominibus odioſa ſint. Hoc vero crimen ſupra cætera alia ſceleſtiſſimum eſt; nam delicta plerumque, aut voluptatis, aut iræ, aut ſubiti furoris præcipiti ardore cõmittuntur. At quiſq. ſibi mortem conſciuit, nulla voluptate, nullo humano impetu ad id incitatus dici poteſt. Cæteri facinorum rei impunitatis, & effugij ſpem aliquam habent, at in iſto crimine delinquentem ſtatim obtorto collo pœna prehendit, nec ſinit effugere. Concilium Antiſiodorenſe can. 17. ſtatuit, vt iſtorum oblata non recipiantur, & ipſe Poeta animas eorum, qui ſibi mortem conſciuerunt, miſerè haberi tradit, proxima deinde tenent mœſti loca, quæ ſibi lethũ inſontes peperere manu, lumenq. peroſi proijcere animas, & Deus cum homicidium fieri vetuit, non tantum alios, ſed multò magis ſeipſum necare prohibuit, & D. Hierony. ad Ruſticum lib. 2. epiſt. 10. dicit, nihil ita offendit Deum, quàm deſperatione meliorum hærere peioribus, licet & ipſa deſperatio incredulitatis indicium ſit, non eſt noſtrum mortem accipere, ſed illatam ab alijs libenter accipere. Hinc, & Canones, quod in Hæreticis idem, & in ijs, qui ſibi mortem conſciuerunt, ſtatuendum exiſtimauere, vt neque in cæmeterijs, ſepelirentur, neque pro illis eccleſia oraret, digniſſimum enim eſſe ait Egeſippus, eos qui Dei patris imperium non expectarunt, priuari quodam quaſi matris gremio, terræ ſepulchro.

Ad primum reſpondetur, quod dum ab alio infertur, tunc patimur, & ea perpeſſio non eſt in noſtra poteſtate, vt inquit Fran. Pic. de virtute heroica grad. 6. cap. 21. at per nos ipſos id facere in noſtra poteſtate eſt, non tenemur patrare ſcelus, id poſitum eſt in noſtra facultate, ſi id nolentes patrare interficimur æquo animo tolerare debemus, quia violentia ſuperamur.

Ad ſecundum reſpondetur, quòd non eſt faciendum malum, vt eueniat bonum, magisq. dignam eſſe naturalem, quàm violentam mortem.

Ad

Ad tertiũ reſp. Florum mulierũ illarum animum mirari, non autem iudicare hominem ſibimet mortem inferre debere, qui ſi aliter ſentit, errat. Quod attinet ad illas virgines, exiſtimandum eſt cum D. Aug. eas non errantes, ſed obedientes Deo id feciſſe, impellenteq. Spiritu Sancto, Idem ad vltimum reſp.

Ad quartum reſpondetur, diſparitatem eſſe in hoc, quòd naturali morte poteſt quis vitam æternam aſſequi, non ſpontanea, quæ gloriam impedit.

Ad quintũ, homines poſſe de ſuis rebus diſponere, quæ ſua ſunt, ſed vita, & mors eſt in Dei poteſtate, iuxtà illud, ego occidam, & viuere faciam.

Ad ſextũ dicitur, Deum vitam donaſſe, vt ea vterentur, non abuterentur homines.

Ad ſeptimum, eſſe laborum finem honeſtam mortem, & meritoriam, non autem impiam, & nefariam.

Ad octauũ, dicitur mortem ſecundum ſe, neque bonam, neque malam eſſe, at illa propoſitio ſecundum ſe debet intelligi, non autem comparata, quia ſe occidere eſt malum.

Ad nonũ dicitur, non facere ſibi iniuriam, quòad iuſtitiam, ſed quòad charitatem, quam ſibi debet, atque etiam quòad iuſtitiam cum Deo, tum Reip. cuius membrum eſt iniuriam facit.

Ad decimũ dicitur, aliud eſſe vitam in quibuſdam caſibus non conſeruare, ad quod ſolum homo tenetur ex præcepto affirmatiuo, quod pro certo tempore, & certis circumſtantijs obligat, aliud vero ſe occidere, quoad vetatur ex præcepto negatiuo obligante pro omni tempore.

Proximo Senatus die, multa in luxum ciuitatis dicta, &c.

Super illa verba componit epiſtolas, quis amicitiam & renunciabat, dicendum eſt.

Vtrum liceat principi, & priuato amicitias renunciare.

ANteaquàm dicamus vtrum liceat amicitiam renunciare, operæ pretium erit explicare, quid de his ſcripſerint autores. Quare notandum eſt antiquos inimicitijs ex offenſione aliqua ſuſceptis, cum his, quibus cum vetus vſus intercedebat, vel amicitia contracta erat, apertis verbis amicitiam renunciare conſueuiſſe, idq. & publicè, & priuatim obſeruabatur, vt ex hoc loco patet, & ex Suetonio Tranquillo

quillo in calig. obtrectatoribus etiam qualeſcumque, & quantacũque de cauſa nactus eſſet lenis, & ideò innoxius, vt Piſoni decreta ſua reſcindenti, clientulos diù venanti, non prius ſuccenſere in animum induxerit, quàm beneficijs quoque, & deuotionibus ſe impugnari compeſſet. At ne tunc quidem vltra progreſſus, quàm vt ei more maiorum amicitiam renunciaret, mandaretq. domeſticis vltionem, ſi quid ſibi accideret. & ex Liuio lib. 42. legatos ad Perſem Macedonum Regem ad amicitiam renunciandam a s.p.q.r. miſſos narrante, & in Bap. Fulg. lib. 7. legimus Amaſim Aegypti Regem per Præconem Policratis amiciſſimi amicitiæ renunciaſſe. Verum tamen non ſolum ſuperiores, & collegæ inferioribus, ſed & inferiores ſuperioribus amicitias renunciaſſe legitur, vt de Io. Andrea Auria, qui Franciſco II. Gallo. Regi iuſtis de cauſis amicitiæ nuncium remiſit, vt teſtatum reliquit Carolus Sigonius, qui eius vitam non minus eleganter, quàm copiosè conſcripſit. Modus autem, quo veteres vtebantur in 6. ann. legitur, ibi enim Tacitus de Labeone, qui per abruptas venas ſanguinem effudit, loquens Tiberius ægrè lata eius morte ad Senatum ſcribit, morem fuiſſe maioribus, quoties dirimerent amicitias, interdicere domo, eumq. finem gratiæ ponere. id ſe repetiuiſſe in labeone eodemq. modo hoſpitium quoque renunciatum. Cic. lib. 3. in Verrem edocet. Nos quoque in noſtris epiſtolis laconicis epiſtolas renunciamus. At verò non ſolum amicitia renunciabatur, verum etiam capitales inimicitiæ indicebantur, vt M. Ant. Ciceroni inimicitias denunciauit, vt ipſe Phil. 5. dicit, & V. S. aſſerit magis occultas inimicitias timendas eſſe, quam indictas, ac apertas.

His præmiſſis, dico primo, quaque de cauſa non licere priuato amicitias rumpere, ſed paulatim recedere, niſi caſus, tam grauis eſſet, vt eo conſilio vti non poſſet.

Probatur prima pars, quia qui amicitiam non ſeruat, leuibus de cauſis non eſt abſolutus amicus; amicitia enim conſtantiam requirit, videturq. vana amicitia ea, in qua querelæ, & iræ locum habent, nã ſine aliqua querela, vel obiurgatione amicitia eſſe non poteſt, perdere enim amicitias eſt ſtultorum; nam quemadmodum qui ſtomaco valent, & animantia ſæuiſſima, ſaxa, ferrum, ſerpentes, & ſcorpiones concoquunt, eaq. in nutrimentum vertunt. contra valetudinarij etiam pane, & vino offenduntur, ſi multi & amicitias perdunt, ſapientes etiam inimicitijs rectè norunt vti, vt inquit Plutarchus in moralib.

Secunda pars concluſionis patet; nam homines liberi, atque prudentes non poſſunt cum ijs amicitia eſſe coniuncti, quorum vita eſt ſordidiſſima, & omnium ſcelerum genere contaminatiſſima, obq. contumelias

umelias ferendas facta quiq. amicitia hominum vtuntur, tamquàm nouis calceis, qui tantiſper in pretio ſunt, dum nitent; moxq. vbi luto infecti in angulum abÿciuntur, atque ibi nullo curante ſitu exeduntur. Cum ergo non conueniat homini probo ſemper eiuſmodi amicorum cauſa rubore ſuffundi, licet amicitiam rumpere, cum ÿs præſertim, qui veteribus iniurÿs iam voluntaria obliuione contritis multò maiores cumulant. Multò magis etiam conuenit amicitias frangere cum ÿs, qui nobis inſidias tendunt, quique amicum in ſummum diſcrimen adducunt, vel aliquod dedecus honori inurunt; quare Germanicus rectiſſimè Piſonis amicitiæ renunciauit, cum hic, vt refert Tacit. quæ crudeliſſimum inimicum facere puduiſſet, commiſiſſet, & ille etiam apud Petronium, qui ait, quoniam fidem ſcelere violaſti, & communem amicitiam, res tuas tolle, ocyus, & alium locum, quem polluas quære; ergo ſi improbus improbo ob enorme flagitium nuncium remittit. ergo multo magis vir bonus malo. ſi enim noſtra plerumque membra reſcindimus cum incurabili morbo, & ipſa tabeſcunt, & reliquis officiunt, multo magis id in amicis ſimulatis faciendum. Chryſoſt. hom. 60. in Matth. & vt malum cibum nec retinere poſſis citra noxã, nec reÿcere ſine moleſtia: Ità malum amicum ſi teneas, lædit, nec tamen abſque inimicitia, ac tumultu velut bilem potes abÿcere.

At hic notandum eſt, amicitias multorum non laudari; nam primam materiam, quæ quibuſlibet formis variatur, animus multorum amicitiæ ſubiectus ſequitur.

Sicut, & mulierem impudicam, quæ cum multis ſe commiſceat nullum habet amatorem: nam quemadmodum Briareus centum manibus quinquaginta paſcens ventres, nihilo fœlicior erat nobis, qui duabus vnum adminiſtramus. Sic tantumdem commoditatis capies ex paucorum amicitia, quantùm ex multorum, penſatur enim incommodum, ſi pauci inſeruiunt, paucis eſt inſeruiendum, vt inquit Plutarchus in moralibus.

Dico ſecundo, eadẽ de principe, quæ de priuato diximus, ſicut enim non licet priuato leui de cauſa amicitias reſcindere, ſic nec principi. Quare Amaſis amicitiæ iniuriam fecit, quia Policrati amico nuncium amicitiæ remiſit; nam cum audiret omnia illi proſperè cedere, ſcripſit, vt tentaret aliquo quoque incommodo affici; quia fieri non poterat, vt fortuna præter naturæ ſuæ curſum conſtans maneret, cuius conſiliũ cum ſequi Policrates conſtituiſſet, in mare demiſit magni pretÿ annulum, quem percharum habebat, quod eo incommodo ſecundæ fortunæ tenorem iuxta Amaſis conſilium interrumpi poſſe putabat, ſed cum annulum breui in piſce inuẽtum eſſe a ſe Amaſim monuiſſet, animaduertit Amaſis Policratem ad grauiorem, quàm ad vnius amiſſi annuli

nuli caſum a fortuna reſeruari,itaq. vt illius ruina minus doleret,ad eum miſit,qui communi amicitia renunciaret. Hac de cauſa amicitia renunciandæ nequaquam ſunt.

Super illa verba, & erant qui formam ætatem, genus mortis ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interijt,magnis Alexandri factis adæquarent, dubitatur.

Quis nam fuerit quoad malitiam primus.

QVi de militia ſcripſerunt, vel Alexandro, vel Caſari, vel Scipioni, vel Pyrro primas attribuerunt, hosq. primos in militia extitiſſe probare ſunt conati. At grauiſſimè errare mihi videntur; nam ſi Annibalis omnes actiones ſedulò indagaſſent, pauliſperq. animum intendiſſent, proculdubio primum fuiſſe conceſſiſſent. Primus qui rem diligentiſſimè examinauit fuit Vpbredutius Anchaianus vir quidem doctiſſimus, & acutiſſimus, mihiq. arcta neceſſitudine coniunctiſſimus, cum quo familiariter vtens, ſæpe in eiuſmodi ſermones incidebat,& Annibalē primum in militia fuiſſe opinabatur. Quod quidem non erit probare difficile. Illud primum ſatis conſtat in Duce exercitus hæc requiri ſcientiam rei militaris virtutem,autoritatem,prudentiã,audaciã,ac fortitudinem,ac tolerantiã. Ac ſcientia militaris, quæ præcipua eſt,conſiſtit in cognitione itinerum,locorum, perſonarum ingenio, eloquentia, & in cognitione omnium rerum ad vſum militarem pertinentium,& huius partis ſunt ſapientia in conſulendo, conſilium in prouidendo, induſtria in agitando, celeritas in conficiendo, aſtutia,ſiue ſagacitas in ſtratag. ſolertia, & vigilantia cum aſſiduitate, & patientia laborum, magnanimitas, rerum gerendarum fortitudo, & contemptus periculorum, obedientia, & amor militum. Si hæc, & alia in Annibale cumulatiſſimè fuiſſe probabimus, primum locum in militia obtinere conſtabit. At primo,quòd illa omnia vniuerſaliter habuerit,docet Liuius, dum dicit,miſſus Annibal in Hiſpaniam primo ſtatim aduentu omnem exercitum in ſe conuertit, Almicarem viuentem veteres milites ſibi redditum credere; eundem vigorem in vultu,vimq. in oculis,habitum oris,lineamentaq. intueri, deinde breue effecit, vt pater in ſe momentum minimum ad fauorem conciliandum eſſet. Numquam ingenium idem ad res diuerſiſſimas, & parendum, atque imperandum habilius fuit, itaq. haud facilè diſcerneres, vtrum Imperatori, aut exercitui carior eſſet. Ne-

que Aſdrubal alium quemquam præficere malle, vbi quod fortiter ac ſtrenuè agendum eſſet, neque milites alio duce plus confidere, aut audere; plurimùm audaciæ ad pericula capeſſenda, plurimùm conſilij inter ipſa pericula erat, nullo labore, aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat, caloris, ac frigoris patientia, par cibi, potionisq. deſiderio naturali non voluptate modo finitus, vigiliarũ, ſomnique, nec die, nec nocte diſcriminata tẽpora ad quod gerendis rebus ſupereſſet quieti datum, ea neque molli ſtrato, neque ſilentio accerſita, multi ſæpe militari ſagulo opertum humi iacentem inter cuſtodes, ſtationesq. militum conſpexerunt, veſtitus nihil inter æquales excellens, arma, atque equi conſpiciebantur equitum, peditumq. idem longè primus erat, princeps prælium inibat, vltimus, concerto prælio excedebat, & Plutarchus omnia, quæ magno futuro duci expetenda eſſe videbantur, abundè Annibali aderãt, quippe erat ei conſilium ad egregia facinora promptum, conſilio autem, neque induſtria, neque audacia deerat. Nulla pericula, nulla incommoda corporis, quæ cæteros remorari ſolent, & a rebus gerendis abducere inuictum animi virum terrebant; vigilare, feſtinare, cuncta obire, quæ aut ſtrenuo milite, aut egregio Imperatore digna videbantur. Proferatur quaeſò in medium hiſtoricus, qui eiuſmodi de alio enarret.

Sed vt ſpecialiter dicamus, nullus eſt, qui animi conſtantia, ac corporis tolerantia, & periculorum contemptu, ac audacia cum eo poſſit comparari, qui eſt ille egregius Imperator, qui tot, ac diuerſa, perieuloſa, ac horrenda itinera fecerit, legatur Silius Italius lib. 3.

Rumpit inaceſſos aditus, atque ardua primus
Exuperat, ſummaq. vocat de rupe cohortes,
Tum qua durati concreto frigore collis,
Lubrica fruſtratur canenti ſemita cliuo
Luctantem ferro glaciem premit, haurit hiatu
Nix reſoluta viros, altoque, a culmine præceps.
Viuentes turmas operit delapſa ruina,
Interdum aduerſo glomeratas turbine Corus,
In media ora niues fulcis agit horridus alis,
Aut rurſum immani tridens auulſa procella
Audacis rapit arma viri, voluensq. per orbem
Contorto rotat in nubes ſublimia flatu,
Quoque magis ſubire iugo, atque euadere niſi
Erexere gradum, creſcit labor ardua ſupra
Seſe aperit feſſis, & naſcitur altera moles.
Vnde nec edomitos, exudatosq. labores
Reſpexiſſe libet, tanta formidine plena

Exter-

Exterrent repetita oculis, atque vna pruinæ
Canentis, quacumque datur permittere viſus,
Ingeritur facies medio ſic nauita ponto,
Cum dulceis liquit terras, & inania nullos
Inueniunt ventos, ſecuro carbaſa malo
Immenſas proſpectat aquas, ac victa profundis
Aequoribus, feſſus renouat ſua lumina cœlo.
Iamq. ſuper clades, atque importuna locorum
Illuuiæ, rigidæq. comæ ſqualore perenni
Horrida ſemiferi promunt è rupibus ora:
Atque euulſa cauis exeſi pumicis antris
Alpina inuadit manus, aſſuetoq. vigore
Per dumos, notasq. niues, atque inuia pernix,
Clauſum Montiuagis infeſtat curſibus hoſtem.
Mutatur iam forma locis, hic ſanguine multo
Infectæ rubuere niues, hic neſcia vinci
Paulatim glacies cedit tepefacta cruore:
Dumq. premit Sonipes duro veſtigia cornu,
Vngula perfoſſis hæſit compreſſa pruinis
Nec peſtis lapſus ſimplex abſciſſa relinquunt
Membra gelu, fractosq. aſper rigor amputat artus.
Bis ſenos ſoles, totidem per vulnera ſæuas
Emenſi noctes, optato vertice ſidunt,
Caſtraq. prærupcis ſuſpendunt ardua ſaxis.

At ne quis credat, has fictiones poeticas eſſe, legatur Liuius, montiũ altitudo, niuesq. cœlo propè immixtæ, tecta in forma impoſita rupibus pecora, iumentaq. torrida frigore, homines intonſi, & inculti animalia, inanimaq. omnia algentia gelu, cætera viſu, quàm dictu fœdiora terrorem renouauere. Et Polybius hiſt. lib. 3. nam cum natura locus anguſtus præcepsq. foret: tum vero recenti niue omnia vſque adeò obruta, vt nullum prorſus veſtigium callis appareret: neque ſuſtinere ſe a lapſu poterant, & qui parũ titubaſſent: continuò in præceps ferebantur. Verum hanc quoque difficultatem æquo animo ferebant viri toties malis, ac laboribus aſſueti. Intereà ventum ad rupem alteram; quam neque elephanti, neque iumenta pertranſire poterant; quippe anguſtam natura viam, recens terræ lapſus circiter ducentos paſſus anguſtiorem fecerat. Hic rurſus turbari, affigiq. multitudo cœpit, Dux Carthaginienſium principio per loca inuia, nec ante eum diem trita circumducere agmen conatus, quoniam iter ad niues inſuperabile faciebant, a propoſito deſtitit. ſanè ſupra veterem niuem intactam noua præſentis anni nix deciderat. In ea quod recens lapſa

permollis erat: & nullam ferè adhuc altitudinem habebat: facilè ingredientium pedes inſiſtebant: vbi verò tot hominum, iumentorumq. inceſſu dilapſa erat: per nudam infra glaciem, & fluentem eliqueſcẽtis niuis labem ingreſſi ambobus ſimul pedibus ruebant: quemadmodũ in locis cœno lubricis, ac nullum recipientibus veſtigium ſolet accidere. & quod longè miſerius erat: homines eum ſiſtere in lubrico veſtigium non poſſent: proni decidentes, vbi ſe, vel manibus, vel genibus iuuare conarentur, tunc maiore impetu omnibus ſimul membris defecti per præcipitia volutabantur. Iumenta verò interdum quidem prolapſa glaciem ſecabant, ſed preſſa oneris magnitudine, pedibusq. eorum indurata glacie perſtrictis, moueri poſtea inde non poterant. Tum Annibal iumentis, atque hominibus nequaquam fatigatis, omiſſa præſenti ſpe, caſtra in iugo montis collocat: Ægerrimè ad id ipſum purgato loco. Dehinc multitudinem ad eam rupem, qua vna eſſe tranſitus poterat, mundandam hortatus, vix tandem cum maximo labore id peractum. Via igitur equis, atque iumentis vna die ſufficienter parata, confeſtim eos traducit. & in locis iã niuibus vacuis caſtramentatus, ad paſcua diſponit. Numidas interim parare elephantis viam iubet. Hi vix triduo cum omni conatu beluas reduxerũt: & eas quidẽ propè fame conſumptas. Nuda enim ſunt iuga montium herbis, atque arboribus: quod continuis rigeant niuis hyberno, æſtiuoq. tẽpore. Media verò conualles ab vtroq. Alpiũ latere læta paſcua, atque apricas arbores habent: & humano cultu digniora loca. Annibal congregatis oĩbus copÿs, proſequi iter cæpit, & triduo poſt ſuperatã, quam memorauimus rupẽ, in planum peruenit: magna parte exercitus amiſſa: partim ab hoſtibus, fluminibusq. per totum iter direptis copÿs: partim aſperitate montiũ in tranſitu Alpium abſumptis: neque viris ſolum, ſed equis etiã, iumentisq. compluribus. Hoc tandem modo Italiam quinto menſe poſtquàm Carthagine noua diſceſſerat, ingreſſus Alpibusq. quintodecimo die ſuperatis, circumpadanos campos, & inſubrum gentem audaciſſimè petit: ex afris militibus ſuperſtites habens, pedites circiter decem millia, & ducentos, ex Hiſpanis ad octo millia: equitum ad ſummum ſex millia. hoc enim ipſemet in columna, in qua multitudo omnis ſui exercitus deſcripta eſt apud Lacinium teſtatur.

His adde, quòd exercitus, vt idem inquit non ſolum longo labore aſcendendi, deſcendendiq. peaterea inauditis locorum difficultatibus fatigatus, verum etiam ex inopia commeatus, & corporum illuuie, ac tabe ſqualida diuturna maciem contraxerat: plerique ex inopia, & labore intolerabili prorſus defecerant: neque .n. per tot millia paſſuũ, perq. loca adeò aſpera, ac difficilia vehere tãto exercitui neceſſariã ſtipẽ licuerat: & ſi quid erat vectũ maiori, ex parte cũ iumentis perierat.

Quo

Quo factum erat, vt qui paulo ante a Rhodano cum trigintaocto millibus peditum, equitum vero circiter octo millibus diſceſſerat: ei nunc vix medietas eiuſmodi copiarum ſuperſtes foret.

Adde, & continuas vigilias, in paludibus oculo amiſſo per quas paludes quatriduo, & tribus noctibus ſine vlla requie iter fecit, vt inquit Liuius; a Gallorum toties petitus inſidijs, ità vt eum oportuit mutare veſtem, nunc tegmunenta capitis, nunc alio errore ab imminentibus inſidijs ſeſe munire. Adde, quod & iter fecit a finibus terræ in fluminibus tranſeundis in alpibus an montibus inimicos a fronte, & a tergo hoſtes ſemper habuerit. Quare eſt, cur aliquis tantam viri audaciam, ac animi conſtantiam cum corporis incredibili tolerantia coniunctam miretur, cum Romani, ipſi tantæ rei obſtupefacti remanſerit, vt Polybius ſcribit, nam cum Annibalem exiſtimaſſet haud auſurum cum alienigenis copijs Alpibus iter facere, aut ſi id foret auſus, manifeſte in itinere periturum: poſtquàm eum non ſolum tranſcēdiſſe alpes incolumen, verum etiam aliquas Italiæ ciuitates expugnaſſe comperit: vix ſatis admirari audaciam hominis potuit. Romani quoque ſimile quidam ea tempeſtate paſſi fuere. Hi vltimo loco de excidio Sagunti audiuerant. Quamobrem factis comitijs, duo conſules creati; eorum alter in Africam ad inferendum Carthagini bellum, alter in Hiſpaniam aduerſus Annibalem miſſus fuerat. Tum verò ad eos perlatum adeſſe cum exercitu Annibalē, & iam ciuitates quaſdam in Italia obſidere. Quo nuncio adeò ſtupefacti, perculſiq. ſunt, vt Lilibaum ad Sempronium miſerint aliquos, qui aduentum hoſtium in Italiam ſignificarent, hortarenturq., vt dimiſſis prouinciæ rebus, ſuis ferre ſuppetias maturaret. & alibi, interim Romani de ijs, quæ dicta, actaq. fuerant perlatum, & ſimul Annibalem omnium opinione celerius Iberum cum exercitu tranſgreſſum, aduentum in Italiam maturare, quæ res non parum metum patribus iniecerunt, & alibi. Verū Annibal incredibili celeritate Gallis oībus partim pretio, partim metu pacatis, ad Rhodani tranſitū per Maris Sardoi littus cū exercitu properabat, quod poſtquàm conſul intellexerit, & ſi inops conſilij erat ob celerē Annibalis aduentum, nullum tamen optimi ducis officiū prætermiſit.

Quis eſt autor, qui hæc de alio dicat; ſi Cæſar in celeritate omnia ponebat, non loci, non viæ ei obſiſtebant, quia non per loca inuia, ſicut nec Alexander iter fecit, & vbiq. aderant ſocij, tributariæ prouinciæ, quæ eis omnia neceſſaria ſuppeditabant. At Annibalem nullis ſocijs fretū ferro, ac igne aditum exercitui aperire oportebat, montibus altiſſimis, rupibus inacceſſibilibus, intolerandis frigoribus, vijs obliquis, hoſtibus rapaciſſimis ſemper circumdatum, cui cœlum, terra, aer, ſemper contraria erant.

Quòd ad obedientiam attinet, legantur illa Liuij. At neſcio an mirabilior fuerit aduerſis, quàm ſecundis rebus, quippe qui cum & in hoſtium terra per annos tredecim, tam procul ab domo varia fortuna bellum gereret, exercitum nō ſuo ciuili, ſed miſto ex colluuione omniū gentium, quibus non lex, non mos, non lingua communis, alius habitus, alia veſtis, alia arma, alij ritus, alia ſacra, alij propè dij eſſēt, ità quondam vno vinculo copulauerit eos, vt nulla, nec inter ipſos, nec aduerſus ducem ſeditio extiterit, cum, & pecunia ſæpe in ſtipendium, & commeatus in hoſtium agro deeſſent, quorum inopia priore punico bello multa infanda inter duces, militesq. cōmiſſa fuerāt, & Silius Italicus.

Annibalis ſat nomen erat tot diſſona lingua
Agmina, barbarico tot diſcordantia ritu,
Corda virum manſere gradu, rebusq. retuſis,
Fidas ductoris tenuit reuerentia mentes.

Quare dicebat Fabius, ducebat Annibal exercitum æqualem ſtipendijs ſuis, vt vix fiat fides homines paſſos. Cuius hæc fuerunt. Quis eſt ille, qui hæc verba legat, & non miretur, ex quibus apertiſſimè conſtat Annibalis autoritas prudentia, ac fortitudo. Admirandum valde, ac maximū eſt ipſum milites exteros, inciuiles, barbaros, qui non pro gloria, & imperio, ſed pro præda pugnabant, vt inquit Tacitus, quiq. parum res Romanas curabant in officio continuiſſe ac in omnes illius valorem influxiſſe.

At in Cæſaris, ac Alexandri, & Scipionis exercitibus, multæ, ac graues ſubortæ ſunt ſeditiones, quas non mercenarij, ſed ciuiles, ac proprij excitarunt, & ipſi Romani a Scipione, ac Cæſare non ſemel deſciſcerunt.

Quòd ad calliditatem attinet, omnium ſententia callidiſſimus, & aſtutiſſimus fuit iudicatus: numquam enim prælium vllum ſine aliquo ſtratag. iniuit.

Quòd prudentiam, nemo eſt, qui ambigat eum omnium ducum prudentiſſimum extitiſſe & ab omnibus ſcriptoribus, qui eius mentionem faciunt talis exiſtimatur.

Si rei militaris ſcientia peritus fuerit, plures loci clade Rom. inſignes, præclari teſtes eſſe poſſunt; ipſiq; Romani toties victi, inferiores militia ei fuiſſe abunde teſtantur.

Quòd autem ad alia attinet, quæ ſequentur, demonſtrabo. cæterum nulli alij Imperatori, quod, huic accidit, qui Fabium plus nobilitauit, quia victus non remanſit quā Pater multis victorijs inſignis, & ſcientiæ militaris, vt inquit Liuius, ſed hæc omnia vnus hoſtis Annibal exe quare poteſt, & Silius

Tercentum domos, hæc Fabios armauit in hoſtem

Limine progreſſos vno pulcherrima, quorum
Cunctando Fabius ſuperauit facta, ducemq.
Annibalem æquando tantus tunc Pœne fuiſti.

Prætereà nullus, quod conſideratione dignum eſt tot exercitus interfecit, & Duces conſulares, qui militares rei ſcientia omnes nationes ſuperabant, qui eum alijs pugnauerant, victores, triumphatores.

Prætereà etiam nemo tantùm timoris hoſtibus, quantùm Annibal Romanis incuſſit, nam ſi multi, Romanorum Imp. aduentu trepidauerunt, Romanæ potentiæ pares non erant. At Annibal potentiſſimum populum alijs timorem inijcere ſolitum, perterrefecit.

In magnũ timorem induxit non ſolum intra mœnia patres, verum etiam intra caſtra milites, vt apud Liuium fatentur Romani, intra mœnia Chartaginis bellare ſoliti ſi viderint nos progeniem ſuam, duos conſules, conſulares exercitus in media Italia pauentes intra caſtra, & tam magnus iſte timor fuit, vt in prouerbiũ ferè abierit Horatius enim dicit, Minæ Annibalis, & Cicero Annibal ad portas, & Lucanus

Concuſſa eſt Roma, quam ſi penes
Tranſcenderet Alpes Annibal.

Nemo enim Italiam, vt illi tam vehementer attriuit, vt Saluſt. Bello punico quo dux Carth. Annibal poſt magnitudinem nominis Romani Italiæ opes maximè attriuerat.

At vt ſpecialius eum cum alijs comparemus, nemo vt inquit Aldus Manutius diſ. 2. in Liuium toties victor, vt ille euaſit, nã & ſi Cæſar plures exercitus, ac numeroſos profligauit, tamẽ ſatis conſtat Germanos, ac Gallos, & ſi natura feroces, tamen arti ingenio experientiæ, audaciæ, conſtantiæ, & fortitudini Romanorum toties ab Annibale victorum pares non fuiſſe: illuſtrior enim gloria acquiritur, vbi difficilior, ac validior pugna eſt; neque Annibali Scipio eſt præferẽdus, nam vt inferius oſtendam, victus nequaquam fuit, & ſuppoſito, quòd victus fuerit, tamen ante geſta ſunt conſideranda, non autem vnicus actus, qui fortunæ, non virtuti adſcribi poteſt; quare meritò Seuerus Imperator Scipiones feliciores, quàm fortiores fuiſſe aſſeruit; & Annibal attrociores difficultates ſuperauit, illuſtrioribus victorijs claruit, cum acrioribus militibus, ac fortioribus Ducibus pugnauit, ſolus vrbẽ Romam magis perterrefecit, quàm deinde omnes eius hoſtes vna ſimùl adeò Romani Annibalem exiſtimauere, ac timuere, vt quietũ in Italia moleſtare non auderent, vt ex illis verbis patet, neque laceſſierunt quietum Romani tantam ineſſe vim, & ſi omnia alia circa eum ruerent, in vno illo duce cenſebant. tot difficultatibus, tot hoſtibus, ac cœli, & terra iniurijs, ac locorum iniquitatibus oppreſſus erat, vt ipſam victoriam ſentire ei non concedebatur, vt ex illis verbis finis inſequẽdi

hoſtis penes flumen Trebbia fuit, & ità torpentes gelu in caſtra rediere, vt vix lætitiam victoriæ ſentirent: Alexander hæreditariam magnitudinem habuit, regnum ampliſſimum, exercitum optimorum militum, ac præſtantium ducum repletum, qui Græciam, ac Thraciam ſubegerant, quiq. Aſiæ timorem incuſſerant, gentes, ac nationes multoties ab alijs victas ſuperauit, & eos, qui rei militaris imperitiſſimi erant, vt Indos, ac Arabes; in militia errauit; nam in flumine transeundo deleri potuit exercitus, inquit Curtius, ſi quis auſus eſſet vincere, & in Perſiā per locos difficiles, ac periculoſos iter fecit, vt Barbari eum inſequentes regem non dolor modo, ſed etiam pudor temerè in illas anguſtias coniecti exercitus angebat, ac in Suſſitanorum regione ſiti exercitum penè perdidit. & indoctiſſimus militiæ fuit. Quare fortunæ omnes eius actiones ſunt adſcribendæ, vt inquit Plutarchus, & Curtius, quoties illum fortuna a morte reuocauit, quoties temere in pericula vectum perpetua felicitate protexit. Sine Parmenione nihil, vt Curtius multa ſine rege proſperè (de Parmenione loquens) rex ſine illo nihil magnæ rei geſſerat.

Cæſar autem milites Romanos habebat nationum præclararū victores. Reſp. Romana omnia ad bellum neceſſaria ei ſuppeditabat. Sicut, & prouinciæ ſocij, auxiliarij, milites; loci tuti, itinera plana erant; nomen Romanum omnibus formidabile. Neque dicas Cæſarē milites diſciplinam militarem docuiſſe; nam miles Romanus, anteaquàm ſtipendium acciperet eruditus erat, vt notauit Patritius in parallel. milit. ſine militum maximo numero Cæſar iter non faciebat, ac vt Heluetijs reſiſteret ſex voluit legiones, quæ 38. mille militum continebant, ſi Galliam vicit, id 11. legionibus, & 9. annorum ſpatium conſumpſit. Rhenum tranſit, Germanos aggreditur, ac ſine aliqua vtilitate reuertitur eæ nationes, quas in Gallia ſemel vicit, iterum arma non ſumpſerunt. Alexandriam fugiens ſe recepit, ac eum Pompeo pugnans, parum abfuit, quin ſibimet mortem conſciſceret cum a Ptolomæo Britannis ac Pompeo ſemel victus fuerit, cū imbellibus pugnauit, vt Pharnace, ac Iuba.

At quocumque ſe conferebat, magnitudinem Pop. Rom. ac vires ſecum habebat Cæſar; non cum Romanis, ſed Pompeius cum Romanis pugnauit, exercitus ſine Imperatoribus, vel Imperatores ſine exercitu vicit.

At Annibal cum Martijs Rom. animis de virtute, ac gloria certabat, & non vinci ab Annibale difficilius fuit, quam poſtea vincere. ea fecit itinera, quæ ſemper mirabilia erunt, & ità iter eum tractauerat, vt neceſſe fuerit Romanū ducem dicere, vereor ne Alpes viciſſe Annibalē videantur, non nos; quare infam. Romanorū fuit cū tot per-

paſſum labore fama, frigore, ſqualore; ita contuſum, ac debilitatum, vt vix ſe ſubſtinere poſſet, adoriri ſola eius audacia omnes aliàs illuſtriſſimas actiones ſuperat; in Italiam, nempè ſe conferre, & in dubium vertere, vtra natio ius gentibus daret. Solus bellum ſemper fecit ſine vllis auxilijs; quare Appianus de bello Annibalico bis. de Char. inſcripſit, quaſi ipſe, non Reſp. id bellum geſſiſſet. Solus in Italia, at Scipio Maſſiniſſam, Rempub. exercitum, amicos habebat; cum exercitu ex omnium gentium colluuione miſto priuatus, & æmulorum inuidiæ ſubiectus; patria a Romanis ſubacta ſpem libertatis dedit, at Romanos vinci poſſe demonſtrauit, quod quidem vmquam Romanis acciderat, neque accidet; contra exercitus conſulares, conſules peritos, triumphatores, victores, bellicoſos, & cõtra totũ pop. Rom. ſimul vnitũ, maximè tempore, quo Roma egregijs Imperatoribus florebat, paucis Carthaginenſibus, hominibus collectitijs, de quibus Liuius coactus fuit dicere, alij propè dij eſſent, Italis, exulibus mercedis cupidis, ac ſcelerũ miniſtris, inſtabilibus, ac perfidis, adoleſcens ſexdecim annos in acie ſtetit, & vnuſquiſque, vt dux pugnauit. In hoſtium regione ipſum oportebat victum quærere, partem ad prædandum mittere, partem, vt amicos defenderet, partẽ, vt cũ hoſtibus confligeret; quandò diſceſſit nullus expulit, neque impediuit, & Fabius dubitauit an gaudere, vel dolere eius diſceſſum deberet. Quietum nemo moleſtabat; nam vt Fabius non vinci pro victoria habebatur, & Romani proprio damno eum ſequebantur; nullus exercitus ab Italia victor diſceſſit, millies coactus vires diuidere, ac amicos tueri. Romani in milites ſeditioſos animaduertebant. At Annibal id efficere non poterat, ſed ſolus valor eos concordes tenuit; multoties recuſauère eius pugnam Romani, qui fame oppreſſus, oculi amiſſo, incredibilia paſſus in omnibus rebus inferior ſemper pugnabat.

Et niſi Romani eum genio ſuperaſſent, victi proculdubio fuiſſent, vt inquit Plinius, cauſa fuit, vt omnes deinde facillimè a Romanis vincerentur, vt inquit Petrarcha lib. 2.

Accipe procliuem faciem, victoria præſens,
Ad reliquas, facilemq. viam, nullumq. pudebit,
Quem teneat Carthago potens apprehendere portum,
Illa iugum populos efferre tributa docebit.

Milites obedientes ſemper habuit; ita vt neque inſidijs ſuorum ſit petitus vmquam, nec in fraude proditus, quum vtrumq. hoſtes ſæpè tentaſſent, vt inquit Iuſtinus. At quod omnia vincit eſt, quod Imperium Romanum auſus ſit in Italia inuadere. Nihil Romanis in Italia præter animi conſtantiam reliquit.

At obijcies primo ex Liuio. Has tantas viri virtutes ingentia

aqua-

æquabant, inhumana crudelitas, perfidia plus, quàm Punica, nihil veri, nihil ſancti, nullus Deorum metus, nullum iuſiurandum, nulla religio.

Ad hæc primo reſpondetur, nequaquam hæc ad militiam pertinere, ſed ad mores.

Secundo, eſſe magna ingenia aliquibus vitijs mixta; nam vt Seneca nullum magnum ingenium, ſine aliqua mixtura dementiæ; & vt Plutarchus ſcriptum reliquit, vitia magna, vt virtutes a magna indole proferri conſueuiſſe.

Tertio autorem nimis in dicendo verum tranſcendiſſe.

Quarto ſuppoſito, quòd omnia veriſſima ſint, Romanos vituperare maximè oportet. Nam æmuli, vt Cæſar, ac Alexander vitiorum expertes non fuere, & Tit. Liu. in gratiam Rom. multa crimina ei obijcit; nam Annibal tanta pudicitia fuit inter tot, tantaſq. captiuarum gentium fœminas, vt vix credere in Africam natum, enarrat Iuſtinus. E contra Cæſar pronus, & ſumptuoſus in libidines fuit, plurimaſq. & illuſtres fœminas vitiauit, in quibus Poſthumiam Seru. Sulp. Lolliam Auli Gabinij Tertullam Marci Craſſi etiam Gn. Pomp. Mutiam; nec prouincialibus, matrimonijs abſtinuit, vt legere vnuſquiſque apud Suetonium poteſt Alexandrum autem, & ſi Curtius ſcribat Veneris intra naturale deſiderium vſum, tamen in alijs conſtat luxurioſum fuiſſe; ſi verò Darij filiam non vitiauit, non eius continentiæ, ſed gloriæ cupiditati eſt adſcribendum, falſa enim eſt, & vitioſa illa continentia, qua quis ſecreta libidine flagrat, exterius verò fingit; quare palam dignus laude videtur, at ſecreta malè audiunt, & patriis violatis ceremonijs, filiam Darij Perſico more ſibi in matrimonium collocauit.

Annibal inhumanus non fuit, niſi cum Rom. cum attrociſſimis autem hoſtibus crudelem eſſe belli rationes ſuadere videntur. At Romani crudeliores fuere; nam vt refert Liuius, corpus Conſulis Pauli Annibal ſepeleri iuſſit; Flaminij quoque corpus, funeris cauſa magna cum cura inquiſitum non inuenit. Ipſi autem caput Aſdrubalis ante hoſtiũ ſtationis proiecerunt; crudelius in Hiſpania a Rom. ſæuitum, quàm ab Annibale in Italia, vt ex Liuio patet; ſi verò tot milites Roman. interfici iuſſerit ratione belli feciſſe eſt iudicandum; nam cum ille Romam legatos miſiſſet, vt captiuos redimerent, ipſi Romani neglexerunt, neque eos redimere velle apertis verbis reſponderunt; quare cum Annibal tot captiuos non alere, cum vix ſuos poſſet, cumq. dubitaret, ne alicuius inſidijs vinculis ſoluti totum exercitum proſternerent, ipſumq. interficerent, vel aliquam turbulentiſſimam excitarent ſeditionem, nec expeditus cum tot captiuis iter facere poſſet, nec eos in

tutis præſidijs collocare, nec ratio belli ſuaderet eos liberare, ne hoſtium numerum adaugeret, iure belli rectè feciſſe eſt cenſendum, nec cuilibet alij contrarium ſtatus ille belli perſuaſiſſet.

Si pueros Sagunti interfici iuſſit, id etiam belli ratione factum fuit, vt inquit Liuius ſigno dato, vt omnes puberes interficerentur, quod imperium crudele, cæterum propè neceſſarium cognitum in ipſo euentu eſt. Alexander non ſolum crudelis in direptione vrbium fuit aliquando, verum etiam in ſuos crudeliſſimus; nam Clytum, qui eum apud Granicum flumen nudo capite dimicantem clypeo ſuo texit, interficit, & Parmenionem interfici iuſſit, caputq. eius conſpexit, qua atrocior crudelitas hac poteſt inueniri. Cæſar quamuis non crudelis, tamen arrogantiſſimus, ac irreligioſus erat, & miræ rapacitatis, & ſæpius vrbes diripuit ob prædam, quàm ob delictum. In primo conſulatu tria millia pondo auri furatus è capitolio tantumdem æris inaurati repoſuit, poſtea verò euidentiſſimis rapinis, ac ſacrilegijs, & onera bellorum ciuilium, ac triumphorum, ac munerum ſuſtinuit impendia. Annibal verò tantummodo victus cauſa rapiebat. Italos, qui ciues Romani non eſſent, dimittebat; quare ſemper deſiderio flagrabat ineundi pugnam, vt cibum haberet; & ideò ſemper inæqualibus viris pugnauit, vt inquit Liuius. Annibal quamquam parte dimidia accitas hoſtium copias eſſe cernebat, tamen aduentum Conſulis mirè gaudere, non ſolum enim nihil ex raptis in diem commentibus ſuperabat, ſed nè vnde raperet quicquam reliquerant.

Quod attinet ad religionem, Annibal religioſus fuit, eiq. religio erat in hoſtem eſſe crudelem, in reliquis autem rebus religionem ſeruabat, vt ex illis Polybij patet. Dehinc Deos ſecundum morem precatus, abijt. At Romanus Conſul ſine religione erat, vt ait Liuius, Conſul ferox ab conſulatu priore, & non modo legum, aut patrum maieſtatis, ſed ne Deorum quidem ſatis metuens erat, & Cæſar quoties religionem ſpreuit, quoties Romana augurum vaticinia eluſit, & Alexander irreligioſus omnium fuit; nam peius eſt ſeſe Deum facere, filiumq. eius ab omnibus credi velle, quàm religionem contemnere. Quare falſa ſunt hæ calumniæ, & qui alium accuſat, ipſe culpa carere debet. Sed Romani turpitudinis, ac infamiæ notam non effugere, qui tercentos Hiſpanos patricios conduxerunt, vt Hiſpanos milites ab Annibale ſeducerent, qui mendaciſſimi fuere, nam miſerūt Romani legatos Carthaginem, qui apud Senatum eorum arguerunt Annibalem cum Anthioco Rege conſilia belli faciendi inire, & vt Annibalem peterent, & vt eum haberent ipſi Carthaginenſi aduerſæ partis ex conſilio quærentibus cauſam aduentus, dici iuſſerint venire ad controuerſias, quæ cum Maſſiniſſa Rege Numidarum Carthaginenſi-

ginenſibus eſſet dirimendis, & ſemper eum ſunt non ſine vituperio perſecuti, & eò deuenere mali popul. Rom. mores, ac timor, vt ipſum Annibalem hac dicere, vt refert Polyb. coegerint. mores quidem populus Rom. quantùm mutarit, vel hinc argumento erit; Horum patres Pyrrho Regi hoſti armato exercitum in Italia habenti, vt a veneno caueret, prædixerunt. Hi Legatum conſularem, qui autor eſſet Pruſia per ſcelus occidendi hoſpitis miſerunt. Hæ ſunt perfidia plus quàm punica, mittere legatum conſularem ad rogandum, hortandum, ac perterrefaciendum Regem, qui hoſpitales Deos, vt hoc verbo vtar, ac datam fidem violet; profectò magnam, ac memorabilem victoriam ex inermi, proditoq. ſene Romani tulerunt.

Obijcies ſecundo Annibalem a Scipione victum fuiſſe, ac vt Plutarchus ait, vicerunt etiam Annibalem, cum quo nullum Regem conferendum exiſtimarunt Romani.

Ad hoc reſpond. 1. Annibalem victum non fuiſſe, cum victus formaliter is dici non poſſit, qui nec captús, nec interfectus fuerit, quiq. ſtrenuiſſimi, & prudentiſſimi Ducis opera nauauerit; quare ſua laude nequaquàm fraudari debet, quem fortuna magis, quàm virtus deſerit, quia dato, quòd Romani vicerint fortunam illius inueteratam, ac debilitatam, non virtutem vicerunt, & non Capua, ſed fortuna Romanorum, & inuidia ſuorum ei obſtitit; quare Cicero rectè dixit, Annibal expugnatus, non victus; neque dicas eius confeſſione victum fuiſſe, nam pari modo diceretur victus quando, & ante idem faſſus eſt, nempè quando a Minutio, quem inſidijs obſederat per Fabij copias depulſus, vbi rediſſet in caſtra, dixiſſe fertur, eo prælio a ſe ſuperatum Minutium, ſe autem a Fabio fuiſſe ſuperatum; neque illa verba Liuij non prælio modo, ſed bello victum, nec ſpem ſalutis alibi, quàm in pace impetranda eſſe, momenti nullius ſunt, nam veriſimile non eſt, infeſtiſſimũ hoſtem pacem voluiſſe, niſi propter bellum, & interim de pace tractare, vt mediante mora bellum poſſet parare, votum enim, ac iuramentum, quod puer fecit, nimis execrabile erat; quare ea verba non verè, ſed artificiosè, ſi quis rem benè conſideret, fuere prolata. At omnibus datis, ſed non conceſſis primum locum ei nullus tollet, laus enim Imperatori etiam victo, & Duci redditur, inquit Seneca de benef. lib. 7. cap. 13. ſi & prudentia, & induſtria, & fortitudo muneribus ſuis functa eſt. nec homo natus hominem omnibus virtutibus præditum, vt Annibalem inferiorem fortunato eſſe aſſeret, & ſemper primas partes habebit ille, quem non virtus deſerit, quamquam fortuna comitatur.

Obijcies 3. Annibalem notabiles errores feciſſe, quorum primus fuit, quòd cũ ipſe Italiã petiuiſſet Vrbis Romæ cauſa expugnandæ ad

eam non acceſſerit niſi Capuæ ab obſidione liberanda. 2. quòd victoria vti neſciuit, quia Romanos tot cladibus perterrefactos non eſt adortus; quia in Caſalino oppugnando tempus conterebat, ignarus multa bella impetu valida, per tædia, ac moras euaneſcere.

Ad hæc reſpond. nullum errorem ab Annibale fuiſſe commiſſum; nam fortunam potiundæ Romæ aduerſam in animo ſentiebat, vt inquit Plutarchus in eius vita, contra quam durum erat recalcitrare, cum ſit rerum humanarum, ſed præſertim belli domina, accipio autem fortunam recto modo vt in ſuperiori quæſtione; & imprudens fuiſſet ſi Romam poſt cannenſem pugnam profectus fuiſſet, nam exiguo exercitu cum ſtrenuiſſimi in acie cecidiſſent, & propter tot prælia valde imminuto, tàm grandem molem occupare non potuiſſet. His accedit, quòd ſemper frumentatum duas exercitus partes mittebat, nec tam exiguo numero efficere quiquam poterat, quod quidem ipſe cognouit, nam vt Liuius, coniectans ex vnius coloniæ haud nimis proſperè tentatæ viribus, quanta moles Romanæ Vrbis eſſet. Commeatus, etiã multa præclara impediebat, de quo ſemper anxius fuit, vt inquit Liuius. Nec procul cum conſediſſet quantùm victoria equeſtri elatus, tantùm anxius inopia, quæ per hoſtium agros euntem nuſquam præparatis commeatibus maior in dies excipiebat. Verum nec inopia, & exercitus vires imminutæ, ſed timor ne Itali exules, ac alij ſeditioſi milites, quos in locum mortuorum ſuffecerat (cum nullum ſui ei auxilium ſuppeditarent) capta Roma eum ab Italia inermem deijcerent, ac penes Italos ſolum victoria permaneret, vt rectè exiſtimat Vbbredutius Anchaianus, cum ſoli Carthaginenſes Romam occupare non potuiſſent, Quattuor enim viui ad mortuum extra domum extrahendum requiruntur, & mulieres, & ſenes; & tot milites veterani exautorati animo deſperato propter tot ſuorum mortes pugnaſſent, nec obſidione eam cingere exiguus numerus militum poterat, cuius pars victum quotidie quæritabat, quibus de rebus auxilium, & milites a ſuis expectabat, qui ſi ei ad bellum neceſſaria ſuppeditaſſent, Romam proculdubio occupaſſet. Quare, quòd Romam non expugnauerit, non erroribus, ſed patria eſt adſcribẽdum, vt grauiſſimi autores ſcriptum reliquerunt. Iuſtinus enim, videre Annibalem ſexdecim annos Italia victorem immoratum, & quin ipſam caperet vrbem, non Romanorum illi vires obſtitiſſe, ſed domeſtica æmulationis, atq. inuidiæ ſtudium, & Silius Italius.

Sed vigor auſurus Latium, ſi cætera Martis,
Adiumenta forent, praua obtrectante ſuorum,
Inuidia, reuocare animos, agitare negata
Cogebatur ope, & ſenio torpeſcere rerum.

Et

Et Aemilius Probus, quòd niſi Domi ciuium ſuorum inuidia debilitatus eſſet, Romanos videtur ſuperare potuiſſe, & Liuius dicit, non Romanos toties caſos, ac profligatos, ſed pop. Carth. Annibalem viciſſe. Quare infelix exitus patriæ eſt attribuendus, non Annibali, qui, vt Val. lib. 5. ait pro illorum columitate, & victoria tot Imperatores, totq. exercitus noſtros trucidauerat, quot ægregarios militum hoſtium ſi occidiſſet magna gloria foret, è conſpectu ſuo ſubmouere in animum induxerit; qui potentiſſimi, ac bellicoſiſſimi pop. Ducem hæc dicere coegerit, ſe ſauo tempore, & ſine ignominia ſeruaſſe exercitum, quàm multa millia hoſtium occidiſſe maiorem gloriam eſſe. directa autem via Romam petere in primo in Italiam aduentu non poterat, & quia vtiq. exercitus Romanus præſtò erat, ſi tempus in Caſilinio alijs locis expugnandis conſumpſit, id faciebat, vt exercitum in Hyberna tuta reduceret, & obſtacula remoueret & exercitus cibum capere poſſet. Neque dicas Capuam non debuiſſe ſe Annibalem conferre, nam ſi rectè conſideres, conſilium eius optimum fuit, & ſi ea militibus nocuit, id ſecreta, ac alta Rom. fortuna accidit, ſeu potius ſecuturum iudicium, vt milites eneruaret, ac deperderet, ſed Annibal ſemper idem fuit; nam in tantis delitijs nihil exiſtimationis amiſit.

At vt quæ diximus vera eſſe conſtent, nempè eum Annibale nullum rectè poſſe comparari, præclariſſimi autores nobis teſtes ſint, vt qui hunc tractatum legerit poſſit, vel ſententiam mutare, vel verum ſtatim fateri. Polyb. lib. 3. refert omnes ſcriptores Annibalem rei militaris ſcientia, & animi magnitudine omnino in immitabilẽ voluiſſe. Aemilius. Probus hoc dicit Annibal Hamilcaris filius Carthaginenſis, ſi verum eſt, quòd nemo dubitat, vt populum Rom. omnes gentes virtute ſuperauit, non eſt inficiandum, Annibalem tantò præſtitiſſe ceteros Imperatores prudentia, quantò pop. Rom. antecedat fortitudine cunctas nationes; nam quotieſcumquè cum eo congreſſus eſt in Italia, ſemper diſceſſit ſuperior. Quòd niſi domi ciuium ſuorum inuidia debilitatus eſſet, Romanos videtur ſuperare potuiſſe, ſed multorum obtrectatio deuicit vnius virtutem. Lipſius in monit. & exẽpl. polit. mon. 2. & 3. quo in loco probat regna a Deo, & Reges tolli, hoc affirmat, vnum ex hiſtoria vetere, & de inelito illo Annibale inter omnis æui duces verè hoc elogium vindicat, nec fuit, aut erit, qui militari aſtu, aut peritia virum æquabit, non dicam ſuperabit Petrarca lib. 2.

Quod loqueris, ſatiſq. ſatis iam cognitus orbi eſt
Annibal, ante ſuos perdent errantia calles.
Sydera, & Æthiopes niuibus grauibus obruet æſtas

Rhi-

Rhipheumq. gelu, borea tepefacta liquenti
Solue hyems, quam fœda viro produxerit illi
Terra parem, nec fallit amor, ſed vera fatebor.

His accedat Damianus Beneßa in quadam epiſtola, nam cuiuis vel ſapientiſſimo militiæ magiſtro Annibali rectè oppoſueris. Et Ald. Manu. diſt. 3. in Liuium Annibalem ſi non primum, nulli ſecundum fuiſſe, nullum egregium Ducem eum ſuperaſſe, ſed æquaſſe.

Quare concluſum remanet inter primores Græcos, Romanoſq. ſcriptores Annibalem primum Ducem extitiſſe, glorioſiuſquè fuiſſe Ro. a toties victore hoſte Annibale vinci deſijſſe, ac penitus non deleri, quod non ſua, ſed aliorum culpa euenit, quàm poſt tot populos, tot Reges, ac totum terrarum orbem viciße, vt notauit egregiè Ancbaianus. Et ſi longitudinem emenſi itineris, ſi multitudinem commiſſorum in via prœliorum reuoces in memoriam, tot præthereà viarum amphractus; tot fluminum inſuperabiles meatus contempleris, bellicoſiſſimum populum, cum quo bellum gerebat, ſuperatas incredibiles omnium rerum difficultates, maxima pericula elapſa, tot inſidias vanas redditas, corporis tolerantiam, ac animi numquam ſatis laudatam patientiam, aſtutiam ſingularem; prudentiam impenetrabilem, tot Conſules, conſulares exercitus, præſtantiſſimos viros, ferociſſimarum nationum domatores victos, tempus, quo Romana Reſpub. maximè erudititiſſimis diſciplina militaris viris abundabat, exercitus, quos ipſe alebat ex colluuione omnium gentium mixtos, quibus non lex, non lingua communis, alius habitus, alia veſtis, alia arma, alij ritus, alia ſacra, alij propè dij eſſent. omnium rerum penuriam, ſuorum inuidiam, clades Romanis inflictas in ipſa hoſtium regione Romanorum timorem, ac tremorem, omneſq. eius actiones animo rectè perpenderis non Cæſarem, non Alexandrum, non Scipionem, qui ſemel tantum cum illo congreßus eſt, neque deinde artes, prudentiamq. viri amplius eſt expertus cum Annibale comparaueris; nam ſi Marcellum, qui aliquoties illum vicit, ei nemo præponat non eſt cur Scipionem anteponas. Si autem ſcriptores omnes Annibalem non laudauere, id euenit, quia Græcorum annalibus fuit ignotus, qui ſua tantum mirantur; Romanis, haud perinde celebris, cum ſua extollunt, aliorum incurioſi.

Super illa verba, eodem anno grauibus Senatus decretis libido fœminarum coercita, cautumq. ne quæſtum corpore faceret, cui auus, aut pater, aut maritus eques Romanus fuiſſet, dicendum.

Vtrum meretrices Reipub. neceſſariæ, vel vtiles ſint. Et de multis ad adulterium pertinentibus.

NOtandum eſt, quòd meretrix, vt aiunt leges, dicitur illa, quæ duos tantum admiſit cauſa quæſtus l. palam, ff. de ritu nupt. Abbas habet in c. cum decorum, circa fin. de vita, & honeſt. cler. Et ideo mulier dum meretrix eſt, quia, quæ meretricis ſunt facit, quod ei datur repeti non poteſt, l. item ſi ob ſtuprum, §. ſed quod, ff. de cond. ob turp. cauſ. imò nec meretrix mater filiam meretricem exhæredare non poteſt, l. in arenam, C. de inoff. teſt. Eccleſia eas non concedit, nec permittit, ſed tolerat ob maiorum peccatorum periclitationem, iuxta illud Auguſtini tolle meretrices de mundo, & totus mundus repletus erit Sodomia; qui quidem profectò his verbis non affirmat eas Reip. vtiles eſſe, ſed id dicit, quia vt homines euitent maiora peccata, a quibus facillimè trahuntur, quare meretrices Reip. neceſſariæ non ſunt; nam, & qui a carne mouentur matrimonij medicamentum habent: qui autem caſtitatem vouerunt, cum matrimonium eis opitulari non poſſit, ergo nec multo magis meretrices; ergo neceſſariæ Reip. proculdubio non ſunt, cum ſint contra finem generationis, quam Reſp. augere cupit. nam ex varietate ſeminum, inter ſe aduerſantium conceptus gigni non poteſt. ſunt etiam contra bonos mores, quos ſemper Reſp. intactos vellet, imò mores peſſimos hominũ ſemper corrigere deſiderat. Hæc enim iuuentutem corrumpunt, homines effeminatos reddunt. Si neceſſariæ eſſent, proculdubio Deus matrimonium non inſtituiſſet, nec nos præcepto, Non fornicaberis, coercuiſſet: imò pluribus in locis hanc colluuiem ex omnium ſcelerum colluuione natam, deteſtatur, vt Exod. 20. Non mœchaberis, & Deuter. 23. Non erit meretrix de filiabus Iſrael: Etiam exclamauit contra Hieruſalem eò, quòd ædificauerat lupanar, & proſtibulum fecerat in cunctis plateis, & ideò dicitur, quòd deſtruet Dominus lupanar, & proſtibula, vt habetur Ezechiel 16. Aedificaſti tibi lupanaria, & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis, & fornicata es cum filijs Aegypti vicinis tuis magnarum carnium &c. Et paſſim Salamon homines hortatur, vt meretrices fugiant, vt Prouerb. 22. Os ſcorti profundus eſt hiatus, in quem cadit, cui Dominus

nus iraſcitur 31. Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam, & alibi. Ne intenderis Fallaciæ mulieris. Fraus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouiſſima autem illius amara, vt abſtynthium, & lingua eius acuta, quaſi gladius biceps; pedes eius deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus eius penetrant; per ſemitam vitæ non ambulant, vagi ſunt greſſus eius, & inueſtigabiles; longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius, & alibi. Irretiuit eum multis ſermonibus, & bládit ijs labiorum protraxit eum ſtatim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens, & ignorans, quod ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta iecur eius velut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit, quod de periculo animæ illius agitur Eccleſ. 42. Super filiam luxurioſam confirma cuſtodiam; ne quando te faciat venire in obrobrium inimicis a detractione in ciuitate, & abiectione plebis, & confundat te in multitudine populi. Prouerb. 6. Non concupiſcat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus eius, pretium enim vnius ſcorti, vix eſt vnus panis. Et D. Paulus nobis præcipit, vt à concupiſcentijs abſtineamus, vt 5. Theſſal. 4. Hæc enim eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt abſtineatis vos a fornicatione. Et paſſim in omnibus epiſtolis. Cum ergo iure diuino hæc prohibita ſint, quia ſunt mala, mala autem neceſſaria non ſunt, neque vtilia, meretrices autem malæ, neceſſariæ non ſunt, neque vtiles; quam enim vtilitatem Reipub. adferre poſſunt, quæ ſunt omnium malorum cauſa, & fontes, quæ ſuis artibus occultis, noxijs cogitationibus, rapacibus illecebris, ſagacibus verbis, artificioſis mendacijs, & commentitijs indignationibus, luxurioſis obtutibus, impudicis actionibus audaciſſima inuerecundia, perpetuis fraudibus, auida auaritia, gula inſatiabili, infami ambitione, moribus contaminatis, vitijs abundantiſſimis, ira inextinguibili, capitali odio, pœna perpetua, rabie amatoria, inconſtanti vanitate cæcis deſiderijs: conſpurcatiſsima libidine, vita inhoneſtiſſima, ruina pernicioſa, ac peſtifera omnia, ac diuina conſpurcant, contaminant, ac miſerandum in modum infatuant, ac peruertunt, vt Arpiæ omnia deuorant, & ſicut Camaleontes omnes colores; ita iſtæ omnes malitias ſubeunt, quomodo ergo poteſt neceſſarium eſſe illud, quod Deo eſt inimicum, hominibus infenſum, virtuti contrarium, & quod religio magnopere prohibet. Si aliquam vtilitatem afferunt, non alia eſſe poteſt, quam turpis quæſtus, quem Principes ab illis nefarie exigunt, quod apud ipſos Principes maximæ turpitudinis eſt indicium. neque dicas coitum aliquando pro vitandis malis vtilem eſſe: nam,

& ſi dato, quòd videtur aliquando coitus neceſſarius pro ſuſtentatione vitæ, & pro vitandis malis, quæ defectu coitus prouenire poſſunt, matrimonium eſt vtiliſſimum medicamentum; alij verò, qui ſe in matrimonium collocare non poſſunt, morbi tolerantia valde eſt eis meritoria, cum propter ſanitatem nemo ſe polluere debeat, enim non eſt faciendum malum, vt eueniat bonum. Quantum autem in oculis Dei graue ſit adulterium, vel ex duobus locis colligi poteſt, vt inquit Tholoſ. in prælud. optim. Iuriſconſ. probique magiſtr. lib. 2. de Summ. cap. 17. cuius plurima hic ſcribere operæpretium eſſe exiſtimo, vnus ex mundi Geneſi, vbi in mortis diſcrimine venit Abimelech cum omni domo ſua, eò quod vxorem Abrahami detinuiſſet, quamuis eam non cognouiſſet. Alter ex libro numerorum cap. 15. dum fuit factum ſacrificium a Deo ad explorandã occulta adulterio per acquam Zelotypiæ. Fuit, & hoc crimen Ethnicis communi fermè conſenſu viſum improbiſſimum, cum propter prolis incertitudinem, tum etiam propter indiuiduæ coniunctionis ſchiſma. Ea de cauſa, & apud omnes ferè probibitum, & punitum ſicuti etiam probum natura, viſum eſt adulterium Vulpiano. Propterea Ariſtoteles ipſum probibet, puniriq. iubet. Et quamquam punitum fuerit leuius alicubi, alibi autem durius, ſemper tamen aliquo modo in optima politia vendicatum inuenio. Variè tamen, & aliquando ridiculè, niſi mores, & temporum diſtinguantur occaſiones. Apud Cumaeos quippe mulieres in adulterio deprehenſæ in forum deduci ſolitæ, vt ibi lapidi inſidentes ab omnibus conſpicui, & deſpici poſſent: demum Aſino impoſitæ per omnem vrbem vectabantur, rurſuſq. ad lapidem reducebantur, vt refert Plutarchus, & Alciatus. in Cathalonia Hiſpania, & alijs multis locis vir per vxoris adulterium infectus ſoluit domino temporali quadraginta ſolidos. Pariſijs imponebatur Aſino, facie ab Aſini auribus auuerſa, & ſic per totam Ciuitatem aſinum trabente vxore ducebatur, præcone clamante eum, qui ad idem crimen admiſiſſet, ſimiliter punitum iri teſte Gulielmo de monte Elandrino. Et Zabarella, & Gulielmo Benedicto. Ius Canonum adulterã priuat dote, & parephernaſibus, quæ adiudicat marito. Niſi mulier viri lenocinio adulterata, vel eius culpa fuerit, iuxta Scæuolam. Omitto ſeparationem thori, quæ fit ex adulterio ſecundum diſpoſitionem Innoc. 3. Apud Germanos adulterij pœna præſens a maritis permiſſa erat. Qui acciſis crinibus, nudatam vxorem coram propinquis expellebant domo, ac per omnem vicum verbere agebant: publicataq. pudicitiæ mulier nulla venia non formã, non ætate, non opibus, maritum inueniebat, vt refert Cornel. Tac. Parthi nulla delicta

licta grauius adulterij vindicant: vt ait Iuſtinus ex Trogo Draco legem tulit, qua ei, qui adulterium vindicaſſet, dabatur reliquorum etiam facinorum impunitas, teſte Pauſania. Lex alia Gortinæ ciuitatis Græciæ, vt adulter comprehenſus, & criminis conuictus lana coronaretur, qua coronatione argueretur eius mollities, & mulierositas, addita mulcta quinquaginta ſtaterum, ſumma infamia, & priuatione adminiſtrationis Reip. vt ſcribit Aelianus. Apud Spartiatas nulla lex de adulterijs, a Licurgo lata, quòd ibi nulla irritamenta voluptatis eſſent, & quòd Diogenes, quamuis Cinicus Didimum adulterum comprehenſum dixit eo ipſo nomine ſuſpendi debere, hoc eſt teſticulis, qui Didimi dicuntur. Propter adulterium Dauidis cum vxore Vriæ, remanſit ſemper in domo eius gladius, & vindicta etiam indulto crimine. Legimus, & adulterium cuiuſdam Leuitæ vxoris, admirabili vltione, vindicatum. Nam omnis populus Iſraeliticus ad arma crudeliſſima cucurrit pro vindicando crimine contra Tribu Beniamin, in qua patratum erat. Mortuiq. ſunt eius cauſa 25. millia Iſraelitarum, vt ſcribitur lib. Iudicum. Et propter vindictam adulterij Paridis, & Helenæ Troia capta, diruta, poſtquàm obſeſſa fuiſſet a Græcis annos decem, menſes 6. & dies 2. vbi corruerunt teſte Darete, qui bello interfuit, & illud ſcripſit, ex Argiuis octingenta ſex millia, & ex Troianis vſque ad oppidum proditum ſexcenta ſeptuaginta ſex millia. Et vt ait Lucianus, huius gratia, mille naues ex vniuerſa Græcia, habito delectu ſunt impletæ. Non ſine ira grauiſſima, vt etiam recenſet Libanius, & Horatius, Homerus, Virgilius, Dydimus, & Lucianus, Euripides varijs in locis, & Herodotus, & alij; omitto Medeæ furias ob adulterium Iaſonis mariti, quæ etiam filijs ob illud non pepercit, vt ſcribit Euripides, & Libanius, apud quem inter alia de vxore ſuper inducta, filia Creontis; aſperè conqueritur, dum ait, Me inuia vidit altàs nuptias, omitto plurimorum hominum ob adulterij maculam, accellerata fata, idq. vt cenſeo, vindicta diuina; & iuſto Dei iudicio. Porrò lege ciuili Romanorum impuniti etiam non relinquuntur adulteri, lata eſt lex Iulia de adulterijs ab Auguſto, gladio adulteria puniens: Quæ pœna durior aliquantum habita, vt refert Conſtantinus. Deinde a Iuſtiniano in fragili ſexu temperata, ſtatutũq. vt mulier adultera, virgis cæſa, in monaſterio concludatur: apud quem tamen de adultero non cauetur, qui nihilominus hodie mittur cum illo agendũ; & vt plerumq. ſcribitur, vel relegatum cum dira, & famæ nota; & ita iudicari in Gallia ſcribit Io. Papon. Niſi cum hera commiſceantur adulteri; tunc enim ad ſecuritatem rei familiaris, & ob ſeruorum indomitos infidelitatem, in crucem aguntur penduli, mortiq.

X 2 *adiu-*

adiudicantur, & eo, niſi conniueant iure eura Galliæ vtuntur, & ita placito Senatus aliàs iudicatum menſe Maij anno 1551. vt idem refert. Et ego etiam Tholoſæ vidi iudicari exoſum quippe, maiorią. animaduerſione dignum viſum eſt per ſe ſatis deteſtabile crimen in ſeruis, vel in his, qui bona fide nobis ſeruiunt: cum aliter nulla domus tuta eſſe poſſit, niſi periculo capitis ſui, dominis cuſtodiam tàm a domeſticis, quàm ab extraneis præſtare ſerui cogātur, vt ait Vulpianus. Ideò antiquitus ſeruus, qui ſe cum domina polluerat, comburebatur, & domina capite plectebatur, vt patet ex Conſtantino. Ex quibus apparet iure ciuili exoſa fuiſſe adulteria, tamquam præſentaneũ venenum, & cunctis malis perniciosius, vt ait D. Clemens, cui ſubſeribit Ephun Poeta Comicus, qui parem ita protulit ſententiam.

Non eſt adulterum, neque vnum maius malum,
Nam in aliorum infortunijs, is delitias quęrit.

Quare nec mirum videri debet, ſi licitum fuerit certis perſonis adulteros in crimine deprehenſos occidere, vt ſcribitur a Pomponio, & a Martiano, & a Papiniano, & ab Alexandro Cæſare, apud quem ratio redditur, quare ab homicidio, vt eumq. excuſentur; quia inquit difficilimum fuit dolorem temperare ob violatam caſtitatem. Et Armenius quidam ad Cyrum Perſarum Regem apud Xenophontem; ita ait, ò Cyre, neque hi, qui ſuis cum vxoribus adulteros comprehendunt, ob hanc cauſam eos interimunt, quòd illas reddunt impudicas, ſed quia ipſos exiſtimant ab eis auferre charitatem erga viros, itaq. ijs, vt hoſtibus vtuntur. Scriptum enim eſt. Et erunt duo in carne vna, quod quidem vinculum a Mœchis diſſipatur. apud Athenienſes autem, omnino impunitas dabatur homicidij adulteri deprehenſi, vt ait Lyſias his verbis. Audite ò viri Athenieſes, vt ipſo ex Areopagi iudicio, cui & patrium eſt a vobis permiſſum, homicidij cauſas iudicare, manifeſtè dicitur, non eſſe hunc homicidij puniendum, quicumquè apud ſuam vxorem adulterum deprehendens hoc in eum ſupplicio animaduerterit. Meminit etiam Aulus Gellius alterius ſimilis legis: In adulterio, inquit, vxorem ſi deprehendiſſes, ſine iudicio impunè necares, illa, te, ſi adulterares, non auderet, nec digito contingere. Ex quo colligere adhuc licet parem facultatem, necis inferendæ vxori, ac marito non fuiſſe conceſſam, habitumq. grauius adulterium in vxore, quàm in marito. Quare cum hæc ita ſe habeant debent mulieres ab adulterij ſe abſtinere, & viros ea non tolerare; grauia quidem, & ſi ſint hæc vitia, vt dicit Georgius Viuiennius de offic. probæ matris fam. lib. 1. cap. 18. timulentia, iracundia, luxuries, inertia gula,

menda-

mendacium, vagum, ægritudo, iurgium, maledicentia, fatuitas, inſania, ferenda tamen ſunt; ſolum licet adulterium omnino in vxore eijcere; grauia quidem, & reliqua vitia, ſed tolerari tamen aliquo pacto poſſunt. at fidem thoro non ſeruaſſe intolerabile eſt. Homerus inter execrationes, & diras in viros illam præcipuam ponit; eorum vxores alijs viris miſceantur. Iobus quoque ſi inſidiatus ſit ad oſtium amici ſui, hoc ſibi imprecatur; Scortum (inquit) alterius ſit vxor mea, & ſuper illam incuruentur alij, videlicet, quod id cum matrimonij natura, totaquè ratione pugnet, quæ in mutuo amore ſita eſt. Quò momento alium virum, quem legitimum mulier in cor admittit, eodem ijs intemperijs, ac mariti metu concutitur, vt nihil oderit illa capitalius; numquam occurrit, quin expaueſcat, atque exhorreat tamquam ſe a furijs exagitetur, ardentibus facibus; vt eſt in fabulis. Sunt & alia duo bona, quibus connubium donauit natura; proles, & res familiaris. Hæc quoque polluit, ac corrumpit adulterium; quippe ſobolem, vt dicebam modo, incertam facit, rem domeſticam peſſundat; negligit enim domum mulier adulterio alienata, immemor ſui; nec fortunas diligere poteſt eius, cuius odit vitam: ac ne liberos quidem. Iam quid non concedat ei mulier, cui ſe, & pudicitiam ſuam, hoc eſt, maxima ſua bona proſtituit? ſcilicet pecuniam negabit, aut regnum, aut filiorum mortem, cui non negauit ſemetipſam? cui conſcientiam ſuam prodidit? Liuia Germanici ſoror, tradita ſemel Seiano pudicitia, homini plus ætate media ignobili impuro, abnuere illi non ſuſtinuit Druſi mariti ſuo, filij Tiberij Cæſaris, hæredis tanti imperij, iuuenis formoſiſſimi, generoſiſſimi, animoſiſſimi ad hæc liberorum, quos ex eo ſuſceperat, necem; ſpreta regni certiſſima ſpe, excuſſa pietate filiorum, non reuerita Antoniam matrem, & Auguſtam Auiam, grauiſſimas ſeculi ſui matronas; immemor nobiliſſimi ſanguinis, tum patris, fratriſq. quos humanum genus de probitate pro dijs venerabatur; paratis ſub ſagaciſſimo, & ſæuiſſimo ſocero tormentis ſub quibus, & Liuiæ ipſi, & Seiano, & eorum amicis omnibus anima erat (vt euenit) per mille atrociſſimas neces exigenda. Nimirum nihil ſibi reſeruat mulier, quæ pudicitiam abiecit. Quod non Chriſtianæ tantum ſanctæ fœminæ intellexerunt, ſed etiam Barbaræ. Ex quibus fuerunt nonnullæ, quæ pollutæ, indignas ſe vita iudicauerunt; vt Lucretia Collatini vxor. Aliæ, quæ ne caſtitatis naufragium facerent, ſeſe peremerunt. Quare cum caſtitatis, ac prudentiæ, vt inquit Anneus Robertus rerum iudicatarum lib. 1. cap. 13. cultus vnica ſit, & vera fœminarum commendatio, & inſigne muliebris laudis monumentum. Quoties de coercenda incontinentia agitur, mulierum maximè intereſt, vt caſtæ ab impudicis ſe-

cernantur, & morum iudicium ſincera, & ſeuera cognitione exerceatur. Quemadmodum autem, cum de ſolemni militaris teſtamenti probatione agitur, Iuriſconſ. nullorum magis intereſſe ait, quàm ipſorum militum, ne ſupremis eorum voluntatibus fraus fiat; nevè ex probationum facilitate falſa militis voluntas pro vera ſupponatur, ſic etiam cum caſtitas propria fœminei ſexus laus ſit, & prærogatiua hoc ipſa etiam mulieres magno ſtudio procurare debent, impudicos luxurioſè viuentium mores ſeuera lege reprimi, & coerceri. Diſciplinæ intereſt (inquit Tertullianus) incuriam vindicari. Metu enim vltionis omnis iniquitas refrœnatur. Mulieres cum corpore debiles ſint, & ingenio fragiles, a ciuilibus officijs remouere lex voluit, eaſq. a munijs tàm bellicis, quàm cæteris perſonalibus excuſari. Hoc vnum natura eis attributa formæ pulchritudine conceſſit, vt ſola caſtitatis, & conſcientiæ prærogatiua ſuperbiant, & in vero virtutis, ac modeſtiæ certamine victrices triumphum ſupra viros reportent. Viri faſtidioſo vxorum concemptu nouitatis amantes, turpem cupiditatum ſuarum procacitatem fouent, & impuræ libidini audacius indulgent. Mulieribus hunc triumphum virtus reſeruauit, vt modeſtiæ, & pudoris ſtudioſæ tenacius incorruptam antiquæ caſtitatis integritatem retinerēt. Halcyones acies nidos ex piſciculorum oſſiculis, & ſpinulis tantò, tãq. admirabili artificio ſtruunt, & contexunt, vt ſoli Halcyoni pateat ingreſſus; cæteris animalibus interdicatur, ac etiam mare ipſum inſtuat. Pudica mulier lectum ſuum, ita adornet, & componat, vt ſoli marito pateat aditus; ſoli accedere permittatur; illicitos aliorum amplexus fugiat, & execretur. Quintilianus eleganter; Non eſtis (inquit) exhortandi mihi ad tuendam caſtitatem ciuitati, ante omnia, neceſſariã. Matrimonijs ſcitis contineri ciuitatem, his populos his liberos, & ſucceſſionem patrimoniorum, & gradum hæreditatum, his ſecuritatem domeſticam. Itaque vno gentiūm omnium conſenſu adulterium, ſtuprumq. multa pænarum, & infamiæ ſeueritate coerceri placuit, & ſeuera lege mulieres proſtratæ impudicitiæ reas caſtigari, & puniri conueniens viſum eſt, vt ſuperius ex Tholoſano dicebamus. Leges autem maritis licere noluerunt impudicos mulierum mores turpi patientia perpeti, ſi ſemel aliquando, aut damnatæ, aut etiam accuſatæ fuerint. Plinius de Gallica adulterij rea refert, qua Tribuno militum nupta ſuam, & mariti dignitatem Centurionis amore maculauerat. Maritus poſt damnatum adulterum vxorem domi retinebat; admonitus, vt perageret accuſationem peregit inuitus; ſed (inquit Plinius) illam damnari etiam inuito accuſatore neceſſe erat. Damnata, & legis Iuliæ pœnis eſt relicta. At verò accuſatione nundum cepta, Vulpianus maritum excuſat, ſi velit adumbrare patientiam prætextu incrudelitatis.

Sed

Sed diuortio ex cauſa adulterij accuſatione in iudicio inſtituta, legis ratio,& honeſtatis publicæ diſciplina ab eo tempore reconciliationi coniugum refragatur; Et ex Arelatenſi Concilio, vir qui retinet adulteram, particeps eſt criminis. Patronus eſt turpitudinis, qui celat crimen vxoris. Domitianus equitem Romanum ob reductam in matrimonium vxorem, cui dimiſſa adulterij crimen intenderat, eraſit iudicum albo. Laonicus Calcbondilas refert apud gentes quaſdam diram eſſe,& infamem imprecationem illam, vt quis repudiatam vxorem, iterum recipiat. Paulus, qui inter priſcos monacos vita ſanctitate, & morum auſteritate claruit, non aliam inſtituti ſui,& ſolitarij voti occaſionem babuiſſe fertur, quàm, quod vxorem in adulterio deprehenſam retinere nolens, in ſolitudinem, & deſerta monaſticam vitam profeſſus abijt. Diuus Hieronymus. Illa (inquit) quæ vnam carnem diuiſit in alium, vel alios, retineri non debet, ne maritus fiat ſub maledicto. Sic, & ex iuris ciuilis diſpoſitione, qui vxorem adulterij damnatam reduxit, incurrit crimen lenocinij.

Super illa verba, ſæuitatem annonæ incuſante plebe ſtatuit frumẽto pretium, quod emptor venderet, binoſq. nummos ſe additurum negotiatoribus in ſingulos modios, dicendum eſt.

De remedio famis, & vbertate conſeruanda.

HVnc tractatum de remedio famis Regij, de Regijs I. C. Amadulenſis, qui ad noſtras ſolas manus manuſcriptus peruenit, hic ponere opportuno loco voluimus, eſſet nobis religio alieno labore famam comparare.

Quæritur ſuper prouiſione frumenti ad ſuccurrendum populo propter famem, quæ dicitur acutiſſimus enſis ſecundum Bald. in l. pactũ dotale num. 25. C. de Collat. vt re ipſa experientia docuit in Anno MDXCI. quo non ſolum pauperes, & inutiles homines, ſed etiam nobiles, & patricios tàm Italiæ partibus, quàm alibi horrendum calamitatum noſtrarum ſpectaculum præſeferre viſum eſt. Hi etenim quotidie per vias certatim incedentes,& vix proprijs pedibus conſiſtere valentes, exiguo vocis articulo, quem tenuis eorum ſpiritus diſſicillimè concedebat, in aliorum fidem, atque charitatem ſemetipſos precibus humillimis conferebant. Multi verò nimia ciborum abſtinentia defatigati, clauſo interim pietatis oſtio, publicè in humum delabi, & eodem ferè tempore ſibi lectus, & ſepulturam conſtituere videban-

debantur. Plurimi etiam hac atra, & immani rabie oppreſſi, omni alio deficiente victu belluarum more ex aruis non ſatis ſibi ipſis herbarum alimoniam ſuppeditantes miſerrimum famis tormentũ, & hoc teterrimum mortis genus ſubire coacti ſunt. Magni quidem ponderis, ac ſanè diligenti conſideratione digna eſt conſultatio præſens, tum propter huiuſmodi calamitatis atrocitatem, cum grauiſſimos agitatæ neceſſitatis ſuadent morſus, tum etiam propter ipſius autoritatem, cum humana ſibi prouidentia vix reſiſtere audeat. Vnde meritò non parum anceps ſui, an hoc ſcribendi munus ſubirem, veritus ne hac in re imbecilles vires meæ deficerent. Cæterùm mihi diligentius, ac accuratius conſideranti tutiſſimum præſtò fuit diuinum auxilium, quo fretus quibus remedijs, quibusvè auxilijs poſthac famis obuentui, quem Deus auertat, prouideri, & ſubueniri poſſit, dicam quid ſentiam.

Inter cæteras cauſas, quibus iuriſconſulti vſurarum prauitatem damnauerunt paſſim a Conrad. de contract. q. 22. concl. 2. enarratis, illa omnium maxima, & inter alias potiſſima fuit, quo fames euitaretur; de qua teſtatur Bald. in Rub. C. de vſuris num. 3. ſub. his verbis. Vſuræ ſunt prohibitæ, ne homines ſtudentes auaritiæ deſerant actus virtuoſos, & induſtrioſos, & non deſerantur culturæ agrorum, vt idem reliquit in ſcriptis Innoc. in cap. 1. ext. eod. tit. de vſuris. Homines enim, ſuapte natura ad opes proni intenderent potius huic lucro fænebri vti maiori, atque ſecuriori, quàm alteri pio, ac ſtabiliſſimo quæſtui, cæteriſq. & ſi ad mortales regendos bonis, & neceſſarijs artibus, deſererent, quippe humana commercia, exercitia pecudum, & aliorum animalium, nec non & agriculturam ipſam, quæ teſte Cic. lib. 1. off. nihil eſt melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Reſpondit enim terra optimè, iuſtiſſimèq. colentibus eam multo cum fænore, quæ accepit reſtituens, & copiam exhibens omnium ad vitam neceſſariorum ei, qui laborare voluerit, idq. honeſtè, nihil vero dedecoroſè? Nam nemo eſt ſaltim non mollis, & effæminatus, qui dicere auſit vllum opus agriculturæ turpe, aut indecens eſſe viro bono, plantare enim, arare, & vites colere quoquomodo non honeſta eſſent? Item ſerere, & triturare an ne hæc omnia ſunt ingenua, & bonis viris decora? certè velut Heſiodo non turpe fuit paſtorem agere, vt cum Stobæo loquar, nec obfuit ei, quominus Deis carus, & muſicus eſſet; ita nec alij cuipiam impedimento erit. Haud equidem vllum aliud vitæ genus, aliumvè quæſtum, aut comparandũ, aut præferendum eſt illi, quod Agriculturam colit. Nam quo pacto non magis ſecundum naturam fuerit ex ipſa terra, quæ nutrix; & parens eſt omnium, quàm a fænore, & aliunde nutriri? an

an ne magis virile eſt ruri agere, quàm in oppido deſidere? Non ne ſalubrius eſt foris vitam agere, quàm in vmbra educari? vtrum verò liberalius eſt vnumquemque ſibi neceſſaria comparare, aut ab alijs accipere? multo ſanè honeſtius apparet non indigere alio ad res neceſſarias, quàm indigere. At mehercule illa Romuli proles aſſiduis venatibus, nec minus agreſtibus operibus exercitata, firmiſſimis præualuit corporibus, ſemperq. ruſticam plebẽ præpoſuit Vrbanæ. Vt enim, qui in villis intra conſepta morarentur, quàm, qui foris terram molirentur, ignauiores habitos: ſic eos, qui ſub vmbra ciuitatis intra mœnia cunctarentur deſides, quàm qui rura colerent, adminiſtrarentur opera colonorum ſegniores viſos. Adeo autem egregia res eſt ex agricoltura viuere, vt Apollo Miſinonem Chenæum ſapientem, Pſophidium vero ſplendidum, & felicem appellauerit, quorum vterque ruri agens, ſuiſq. manibus laborans vrbana habitatione abſtinebat. Habet hæc enim diligentiam quandam, & animi voluptatem, inſuper domus augumentum, exercitiumq. corporis quantum homini libero fas eſt, ac fructibus quoque ipſius partim victitamus, partim odorum oblectationem, & iucunditatem excipimus, fœtus alios mutiendo, alios producendo, & omnia, quibus eget natura profert abundè. Hinc rectè cecinit Horatius lib. 2. ſermonum Satyra 6.

O rus, quando ego te aſpiciam? quandoq. licebit
Nunc veterum libris, nunc ſomno, & inertibus horis
Ducere ſollicitæ iucunda obliuia vitæ?

An bellum peroſis malis, & negotiationis alea ſit optabilior, vt rupto naturæ fœdere terreſtre animal homo ventorum, & maris obiectus iræ ſe fluctibus audeat credere, ſemperq. ritu volucrum, longiq. litoris peregrinus ignotum pererret orbem? Sed ne caninum quidem, ſicut veteres dixere ſtudium præſtantius locupletiſſimum quemq. oblatrandi, & contra innocentes, ac pro nocentibus neglectum a maioribus, a nobis etiam conceſſum intra mœnia, & in ipſo foro latrociniũ. An opificum ſordidus, & illiberalis quæſtus? An fœneratio probabilior ſit, etiam bis inuiſa, quibus ſuccurrere videtur? ſupereſt, vt dixi, vnum genus liberale, & ingenuum rei familiaris augendæ, quod ex agricolatione contingit, ex qua quæſtus ſtabiliſſimus, honeſtiſſimusq., minimèq. inuidioſus, vt late poſt alios commemorat. Caſſan. in catalogo gloriæ mundi parte 11. conſider. 37. quippe non immeritò priſci illi Romani cuiuſlibet celebrati moris inuentores accuratiſſimi, legem quandam promulgauerunt, qua Cenſor Vrbis poteſtatem puniendi eos habebat, qui agrum temerè, atque inutiliter coluiſſent, vel qui Agricolturæ Curam prætermitterent, ſecundum Plin. lib. 18. cap. 3. natur. hiſtor. Tantæ igitur æſtimationis, & laudis apud illos Romanos

manos ipſa ruſticatio fuit, vt Imperatores ipſos non puderet manibus triumphalibus colere agros, tractare ſemina, diſponere arbuſta, & eadem diligentia metiri arua, qua caſtra, & eadem cura exercere ligones, & ſarcula, qua gladios, & bella, ipſi proceres vrbis in agris morabantur, & vt inquit Elegiarum ſcriptor Propertius lib.4.eleg.1.

Centum illi in prato ſæpe Senatus erat.

Et cum conſilium publicum deſiderabatur a villis accerſebantur in Senatum, de hoc etiam meminit Caſſaneus in loco proximè citato. Innumera ad hoc ſe offerunt exempla, & illa quidem nota, atque præclariſſima, inquit enim Columella lib.1. de re ruſtica in præfatione: quòd aranti Cincinato viator obtulit Dictaturam, qui terſo puluere, bobusq. relictis, accepit eam, & aſſumpto exercitu inimicos populos debellauit intra quindecim dies, & de his triumphauit, ſtatimq. adarandum rediſt, velut ad intermiſſum opus, vt etiam refert Corn. conſ.155.num.2.vol.1.& Boer.deciſ.322. num.11. Serranum inuenere ſerentem oblati honores. Portius Cato ille Cenſorius, & omniū bonarum artium magiſter, agricolandi ſtudioſiſſimus fuit, & villaticis voluptatibus in primis oblectabatur; Inter alios Abdolomino agrum ſerenti regimen Tyriorum vltro traditum eſt, & vltrò oblata ſunt regiæ maieſtatis inſignia. Quid L.Quintium, Claudium, Curtium, Fabricium, Regulum Conſulares, ac triumphales viros non commemorem? quos patricios, clariſſimosq. homines ſumma cum laude agrum manibus proprijs coluiſſe proditum eſt, atque ex eo agro ad honores vocatos, rurſus faſcibus depoſitis ad eoſdem iuuencos reuerſos. Itemq. Caius Fabricius, & Curius Dentatus, alter Pyrrho finibus Italiæ pulſo, domitis alter Sabinis, acceptaq. viritim diuidebantur, captiui agri ſeptem iugera non minus induſtriæ coluerit, quàm fortiter armis quæſierat. Cyrus etiam Iunior Perſarum Rex gloriatur in Xenophonte agrum ſe habere ſuis manibus conſitum, arboresq. ordine poſitas, & in quincumcem directas, vt ex hoc intelligas, nihil Xenophonti tam regale videri, quam ſtudium agricolandi. Quin etiam ſcriptores inclyti fortunatiorem, beatioremq. ruſticorum vitam, quàm vrbicorum eſſe dixerunt. Hinc Attalus olim Rex ditiſſimus omiſſa Regni adminiſtratione hortos fodere cœpit, & gramina ſeminare. Diocletianus Imperator Imperio, & imperatoria purpura depoſitis ſe contulit ad rei ruſticæ tranquillitatem, & quamuis ſæpius a Senatu ſibi literis, & nuncijs ſuaderetur redditus; imò precibus expoſtularetur ad imperium, nihilominus ex ſuo rure numquam diſcedere voluit, ibiq. feliciſſimè conſenuit. Quid dicam de Attilio Collatino? qui ob ipſius admirabilem virtutem ab aratro, & ſarculo aſſumptus fuit ad celeberrimum dictaturæ officium, continentiæ,

nentia, & parſimoniæ adeò amator fuit, & adeò oblectabatur agricoltura, quòd priuatam potius vitam in rure ſibi agere conſtituiſſet, quàm ſupremam Romanorum conſequi dignitatem, & ſupra omnes magiſtratus habere poteſtatem, vnde non minus verè, quàm eleganter in hanc felicem, fertilemq. agricolarum vitam exclamat Virgilius lib.2.Georgic.

O fortunatos nimium ſua ſi bona norint
Agricolas, quibus ipſa procul diſcordibus armis,
Fundit humo victum faciens iuſtiſſima tellus,

Horat.lib.5.carm.od.2.

Beatus ille, qui procul negotijs,
Vt priſca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet ſuis.
Solutus omni fœnore

Claudianus ad Ruffinum lib. 1.

Hic radiant flores, & prati viua voluptas
Ingenio variata ſuo: fulgentibus illic
Surgunt ſtructa thoris; hic mollis panditur herba
Sollicitum curis non abruptrua ſoporem
Turba ſalutantum latas tibi perſtrepit ædes,
Hic auium cantus, labentis murmura riui.

Quibus verbis, quibusve encomijs Marci Reguli magnanimitatē extollam? qui Ductor in Africa generalis exercitus, audita ſuorum colonorum morte, verenſq. ſuos agros fortiter damnum paſſuros eſſe, ſtatim a Senatu licentiam petijt, vt ad rerum ſuarum cuſtodiam redire potuiſſet, non alia motus cauſa, quam ob immenſum amorem, quo ruris ſui agricolturam proſequebatur; Iſthac igitur denegata licentia Conſules vna cum Senatu decreuerunt, vt Reſpub. agrorum illius curam, & ſtudium aſſumeret. Non minorem laudem meruiſſe inuenio vpud Plutarch. in Apophteg. Gelonem Siciliæ Tyrannum, quo tempore Carthagineñſes apud Imeram debellauit, ſæpius autem Siracuſanos ad agricolturam tanquam in expeditionem eduxit, ſimul vt ager efficeretur excultus, ſimul ne ipſi per ocium deteriores fierent. Multi alij Imperatores, nec non potentiſſimi Reges omittuntur, ne ſingulos intempeſtiuè proſequar, qui ſe agricolas præſtiterunt, & ad id quidem eſt, quod ſcribit Plin.d.lib.18.cap.3 manibus ipſorum Imperatorum agros olim coli ſolitos gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore. Ibidem refert Plinius lib.6.poſt multas agricolturæ laudes, & dignitates enarratas, vt nobis patefaciat iudicium, quod antiquitus circa agrorum culturam fieri ſolebat C. Furij Creſini narrat exemplum, qui è ſeruitute liqertatus, cum in paruo admodum

dum agello largiores multi fructus perciperet, quàm ex ampliſſimis vicinitas in inuidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficijs. Quam ob rem a Sp. Albino Curuli die dicta metuens damnationem, cum in ſuffragium Tribus oportebat ire, inſtrumentum ruſticum omne in forum attulit, & adduxit filiam validam, atque benè curatam, ac veſtitam, ferramenta egregiè facta, graues ligones, vomeres ponderoſos, boues ſaturos; poſtea dixit, veneficia mea, Quirites, hæc ſunt, nec poſſum oſtendere verbis, aut in forum adducere lucubrationes, vigilias, & ſudores. Itaq. omnium ſententijs abſolutus eſt. Prætereà nobiliſſimarum familiarum non aliunde cognomina accepta ſunt, quàm a rebus ruſticanis. Vnde Fabij, Lentuli, Cicerones, & alij a leguminibus cognominata ſunt, quæ quiſquam optimè ſereret cognominatus eſt. Multa quippe nomina habemus veterum Romanorum, partim a maiore, partim a minore pecore deducta, vt exactè Carolus Sigonius deſcribit in lib. 1. de antiq. iu. ciuiũ Romanorum c. 3. de Tribubus, & curijs. Si olim igitur præſtantiſſimi viri, & memorabiles Duces agricolturæ ſtudio manus ſollicitas, & excellentes admouere non dedignati fuerunt, cur hodiernis temporibus a quamplurimis, imò ab omnibus id ipſum recuſari videtur? tum propter neceſſitatem, ſine qua viuere neutiquam poſſumus, tum etiam, quòd quæſtum nobis honeſtiſſimum, ſine fallacia, & mendacio præbet, vt enim dicitur in Prouerb. 28. Qui operatur terram ſuam replebitur panibus, & ibi ſcribitur. Egeſtatem operata eſt manus remiſſa, ſcilicet ad laborandum: & Eccleſiaſt. 7. inquit ſapiens, Non oderis laborioſa opera, & ruſticitatem creatam ab altiſſimo: Nam Deus eam inſtituit, dicitur enim. Geneſ. 3. Emiſit Dominus Adam de Paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt, & poſt diluuim, vt habetur Geneſ. 9. Noe vir agricola cœpit exercere terram, & plantauit vineam, vt vinum colligeret, quod prius ignorabatur; imo non ſolum ad Adam, quoniam vt dicitur Geneſ. 2. Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis, in quo poſuit hominem, quem formauerat, produxeratq. Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue: ex quo patet illud, quod fuit primo neceſſarium pro vita humana, fuit cultura agrorum, quod nobis Deus oſtendit, cum a principio talia fecerit, quod plus eſt, Chriſtus patrem ſuum agricolam vocat, vt ſcribitur Ioa. 15. Ego ſum, ait Chriſtus, vitis vera, & pater meus Agricola eſt. ponitur quoque ipſe Agricola in clem. exiui de paradiſo in princ. Ibi rigabo hortum plantationis, ait ille cæleſtis agricola, &c. ſumptum hoc ipſum ab Eccleſ. 24. Quid igitur ex prædictis autoritatibus artem mechanicam? quis ſordidum quæſtum dicit agricolturam, & eam ludibrio

dibrio

dibrio habebit, cum tot, tantiq. viri probabili vita, & ſanctimonia præditi exercuerint, ea præſertim cauſa inuentam ante alios modos per Adam, vt dictum eſt, ad humanæ vitæ neceſſitatem? Numquid fodere herbam, vel lapides dicatur ars? minimè quidem, vt atteſtatur gloſ.not. in l.lex quæ tutores in verbo, labore ſuo, C. de adminiſt. tut. & licet Iacob.Rebuf.in l.1.C.de agric.& mancip.dominic.dicat, quòd agricultores, & vinearum foſſores in conſules eligi non debeant, quoniam eſſet indecorum tales eſſe conſules. tamen id ſano modo intelligendum eſt, videlicet de illis agricolis, qui aliqua conuenta, ſeu recepta mercede in alienis poſſeſſionibus operam, & laborem præſtant ſecundum mentem illius tex. hi vero ſunt viles, & ſeruiles perſonæ: nec danda eſt fides Lucæ de Penna in l.1. C. de agric. & cenſit. eod. lib. aſſerenti Agricolas non eſſe ad dignitatem promouendos, cum id ſimpliciter, & veluti obiter dicat nulla iuris probatione, & erubeſcimus cum ſine lege loquimur l.illam,C. de collat. bene verum eſt quod citat notata in §. quod autem Authen: de non alien. aut permutand. vbi glo. in verbo mechanicis, exemplificat artem mechanicam, vt Peliparriorum, & Fabrorum, quos eſſe mechanicos non diffiteor, ſed dico eis agricolam non eſſe comparandum, & ſic illa glo. diligenter inſpecta potius nobis ſuffragatur, quàm refragatur. Prætereà contra Rebuf. in d.l.1. quòd quemadmodum negotiari non dicitur, nec artem mechanicam committere, quando quis vendit granum,vinum, aut oleum ſuum, c. eijciens 88. diſtinct. Abb. in conſ.6. 2.dub.vol.1. ità etiam neque vilis, neque abiecta perſona reputari debet is, qui manibus proprijs ruris ſui culturam exercet. longè enim antiquior ſi ruſtica vita ſit, quàm vrbana, & diù ante inuentas vrbes, rura homines coluerint, & immenſo annorum numero Agricolæ Vrbanos antecellant, meritò laudatiſſima, nec ignominioſa reputari debet agricoltura, vt apud veteres Romanos obſeruatum legimus in Beroaldo in enarratione Georgici carminis. Non immeritò igitur tot grauiſſimos autores, laudatoresq. inuenies ſortitum fuiſſe agricolturam,multaq. ei priuilegia condonata, prout diligentiſſimè ſcribit Tiraq. ſpectatæ virtutis iuriſconſ. in tractatu nobilitatis cap. 32. O cunctis hominibus gratæ pacis, ſida nutrix, patrona, & procuratrix agricoltura? ò dies optata bonis viris, & agricolis? ò præclara opum mortalium beatitudo, quam vbi vnuſquiſque adeptus fuerit auaritia contum, gladiumq. pertimeſcere non fas eſt, iras populi aufugit,& multa alia vtilia, atque delectabilia conſequitur, de quibus autor eſt Seneca in Hyppo.2.art.

Ne alia magis eſt libera, & vitijs carens,
Ritusq. melius, vita, quæ priſcos colat,

Quam

Quam quæ relictis mœnibus ſyluas amat,
Non illum auaræ mentis inflammat furor
Qui ſe dicauit montium inſontem iugis,
Non aura populi, & vulgus infidum bonis
Non peſtilens inuidia.

Non mirum eſt igitur, ſi homines hodie ſemetipſos nimium amantes, & ſibi ipſis blandiri volentes vſurario exercitio veluti lues in cœno inuoluti, & in dies huiuſmodi laqueo irretiti agricolturam intermittunt, & deſerunt, quippe qui maiori facilitate, & celeritate diuites fieri pro certo habeant: quorum inexplebilem auaritiam ego ipſe non miror, cum hi parum, aut nullius rationis participes videantur. Humana quippe natura, velut inquit Bott. de conſol. philoſoph. hæc conditio eſt, vt tum tantum cæteris rebus cùm recognoſcit, excellat, eadem tamen infra beſtias redigatur, ſi ſe noſſe deſierit. Nam cæteris animantibus ſe ipſos ignorare natura eſt. hominibus verò viſio venit. Quam verò hinc latè patet eorum error, qui vſuris illicitis ornari poſſe exiſtimant? ego verò illud eſſe bonum, quod noceat habenti. Non mentior? minime inquies. Hinc igitur ſciſura, quas peſſima mente, & deprauata conſcientia, omniq. prorſus ratione poſtpoſita quis adeptus fuerit, perſæpe nocuerunt earum poſſeſſori. Hinc meritò Iuuenalis cecinit Satyra 14.

Inde ferè ſcelerum cauſæ, nec plura venena
Miſcuit, aut ferro graſſatur ſæpius vllum
Humanæ mentis vitium, quàm ſæua cupido
Indomiti cenſus, &c.

Quarum vſurarum itinere aperto ſceleſtis hominibus, ſtatim ex incultis agris, vt alias dixi, ſequitur annonæ charitas, indequè ſurgit omnium rerum penuria, & inde fames, qua nihil humano generi miſerius, nihilq. calamitoſius reperitur. Nam vt dicit Innoc. in d.c. 1. de vſuris. Dauid potius elegit peſtem, quæ communis eſſet tam diuitibus, quàm pauperibus, quam elegerit famem, qua tantum pauperes perirent, cum vtriuſque ſibi data eſſet electio, vt ſcribitur Reg. lib. 2. cap. 24. Et meritò quia ipſa eſt vltima malorum, & omnium teterrimum mortis genus, nec aliud excogitari poteſt, tam dirum, tam ſæuum, tam obſcœnum, ac tetrum, tam peſtiferum, ac pernicioſum, quàm fames: nihil durius, quæ ſæpe obſeſſos compellit humanis veſci carnibus, & in ſuam ſarcire naturam, vt nec parentes paruulis pariant liberis, & maritalis affectus vxoris dudum amata membra dilaceret. ſic narrat Diuus Hieronymus in Amos lib. 3. Fœlix, ait Quintilianus, peſtilentia, fœlix prœliorum ſtrages, denique omnis mors facilis, famis autem aſpera vitalia haurit; præcordia carpit,

animi

animi tormentum, corporis tabes, peccandi magiſtra, duriſſima neceſſitatum, malorum deformiſſima. Hæc ad humile corpus nobiles manus mittit, hæc alienis pedibus mendicantes proſternit, hæc ſæpe ſociorum fidem fregit, hæc venena populis publicè dedit: hæc in parricidium pios egit, vt poſt Quintilianum hæc omnia cumulat Lucas de Penna in l.2.C.quibus muneribus, vel præſta. lib. 11. ex nullo enim malorum fonte fœdiora manarunt exempla, quàm ex fame. Hinc filiorum cædes, vt dixi, & infanda epulæ confectæ ſunt ex multis corruptiſſimis, putridisq. rebus, & animalibus, & quod peius eſt ex humanis cadaueribus in terra obſeſſis, quinimò dictu quidem horrendum, auditu vero incredibile de illa Maria Eleazari filia, quæ in obſidione Hieroſolymæ reperta fuit infantem filium a ſe occiſum, coctumq. medium comediſſe, vt refert Ioſeph de bello iudaico lib.7.cap.7. & quod atrociſſimum eſt ex propria ſui corporis carne, reperti ſunt enim, qui ſeipſos dilaniarunt, quando morſus in alios vertere non potuerunt. Nam in ea obſidione, quam inter ſecundum bellum punicum paſſus eſt Spendius ab Amilcare carthaginenſium Duce, eò inopiæ ventum eſt, vt Spendiani milites ſuis ipſorum corporibus inedia veſcerentur, captiuisq. quod Polybius tradit lib.1. ac ſerius cæſis eorum carnibus ſuſtentarentur. Tradunt, & antiqui ſcriptores Eriſichtonem propter neglecta Veneris ſacra ad tantam famem adactum eſſe, vt propria ipſius membra corroſerit, ex quo tradit Ouidius lib.8. Methamorph.

Vis tamen illa mali poſtquàm conſumpſerat omnem
Materiam, dederatq graui noua pabula morbo,
Ipſe ſuos artus lacero diuellere morſu
Cœpit, & infœlix minuendo corpus alebat.

Vt non abs re ſcriptum ſit Eſaiæ cap.9. Eſuriet, & comedet ad ſiniſtram, & non ſaturabitur, vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit. Nec ideò mirum videri debet, quod multi tradiderunt: Polyppum pro fame ſua ipſius brachia corrodere, ſicuti refert Atheneus lib. 3.cap.32.num.10. Hinc illæ præcipitationes, aliæq. feſtinatæ mortes, de quibus fidem facit Liuius ab vrbe condita lib. 4. vbi tradit, cum fames vrgeret Romanos, multos ex plebe ſpe amiſſa, potius, vt cruciarentur trahendo animam capitibus inuolutis ſe in Tyberim præcipitaſſe, alias famis calamitates recenſet idem Liuius lib.3. deinde 3.in obſidione Caſilini, cuius famem exagerat Valerius Maximus lib. 7. cap.6. Aliam quoque ſcripſit Appianus Alexandrinus in lib. lybico. Sed quoniam longum, & laborioſum eſſet recenſere ſcriptores, qui de huiuſmodi calamitate enarrauerunt, quilibet latiſſimè, & eleganter de more ſuo videre poterit Tiraquellum de retract. tit. 1. §. 26. glo.1. nu.16.

nu. 16. cum pluribus alijs ſequentibus numeris. Sed iam ad inſtitutum reuertamur, poſt enarratas Agriculturæ vtilitates, & laudes, ac miſeræ famis incurſus, illud mihi ſe offert dicendum, quod ait Cic. lib. 2. off. omnes, qui Rempublicam gubernabunt, conſulere debebunt, vt earum rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſaria. Idem atteſtatus fuit Iuſtinianus Imperator de Præſide Piſidiæ Conſt. 24. dum dixit. Præſidem prouinciæ proſpicere, atque curare oportet, vt affluens rerum copia ſit in vrbibus, ne quid cuiuis deficiat. Quid igitur melius, & ad vitam degendam vtilius Princeps procurare potuerit, quàm vnicuique culturam agrorum conſulere? imò illam ſub pœnali lege cuilibet imponere? optimus tunc erit populus, qui terræ cultiuus eſt, vt ſcribitur per Ariſt. in 7. Politic. quem ſequitur Lucas de Penna in Rub. C. de Agric. & Cenſit. lib. 11. ad conſeruationem quoque vbertatis, & ne annona oneretur Præfectum vrbis animaduertere oportet in Dardanarios, qui omnia premunt, & occupant, vt ea poſtea carius vendant. Hi quidem perniciosiſſimi rebus publicis eſſe ſolent, vtpotè genus auarum, & iniuſti lucri cupidiſſimum. Idcirco legibus occurſum eſt: Dardanarijs iſtis præſertim per l. Annonam, ff. de extraord. crimin. ea enim lege effectum eſt, vt res frumentaria iuſtis pretijs vendatur, & vtilitas annonæ conſecuta ſit: quamobrem Reipub. maximè intereſt, vt ea lex conſeruetur, & locum habeat, ne in defectu ipſius homines neceſſitate coacti ius ſibi ipſis dicere, & maiora facinora perpetrare audeant, vt aliquando eueniſſe legimus: refert Procopius lib. 3. de bello Gothorum, milites omnes, quos Beliſarius ad Vrbis Romæ tutelam reliquerat, Cononem eorum Ducem obtruncant, ſed illi criminis dantes, quod frumentum, & cæteros commeatus cum maxima eorum iactura coemeret ſimul, & venderet, cuius facinoris pœnam Iuſtinianus facilè condonauit. Cum aduerſus Gallos Romani bellum gererent, Annonæq. caritas inualeſceret, Cinna tritici largitionem ſurripiens Regnum affectaſſe creditur, quo circa ſaxis obrutus eſt, quemadmodum Plutarchus commemorat in Parallelis. Athenienſes contra Eumolpum bellum gerebant, cum autem Annonæ futura inopia videretur, Pyrander quæſtor Vrbanus triticum parcè ſuppeditans largitionem ſurripiebat. Populus igitur eum in proditionis ſuſpicionem deuocatum, ſaxis obruerunt, vt idem Plutarch. refert in Parallel. lib. Quoniam ex inordinata adminiſtratione, & malo regimine Ciuitates depauperantur, fame, & peſtilentia deſtruuntur l. 1. & ibi Bart. C. de frum. Vrb. Conſtan. lib. 10. Ideò habentes arbitrium, & autoritatem ſuper abundantia, plures ordine huius nomine exequi debent ſi vbertatem conſeruare voluerint, videlicet animaduertere, quæ perſona rectè adminiſtrare valeant, ordinē

ponere

ponere qualiter, & quo ordine in ciuitate, & quantum frumenti quolibet die vendi poſſit, vel quolibet menſe ſecundum Bart. in d. l. 1. num. 2. Prius, & ante omnia idoneos ſuſceptores, qui Annonam, & pecuniam frumentariam ſuſcipiant, & cuſtodiant eligere procurabunt, vt docet Rip. de remed. ad conſeruand. vbert. num. 1. Debent autem hi ſuſceptores eſſe nobiles, prudentes, fideles, bonæ conſcientiæ, & optimæ integritatis iuxta conſtitutionem ſapientiſsimè traditam ab Imperatore Valentiniano in l. 1. C. de condit. in publ. horr. lib. 10. vbi dicit Ioan. de Platea, quòd in electione officialis conſideranda maximè nobilitas eſt per illum tex. tàm propter animi ingenuitatem, quàm etiam alias qualitates extrinſecas nobilitatem ipſam concernentes, vt rectè conſiderat Maſcar. de probat. vol. 2. concl. 1091. num. 2. Maioris enim autoritatis eſt vox nobilis, quàm plebei. Ideò ſemper in electionibus anteponendi ſunt. comprobat id Menoch. de Præſumpt. lib. 6. præſumpt. 59. num. 10. Maximè quoque intereſt Reip. gubernari per nobiles, & non plebeios, nobiles enim rapinam, & commercia fugiunt, & diligunt iuſtitiam. Lucas de Penna in l. ſi qui, C. vt ſecundum Ruſtic. ad nulla, &c. Hinc Plato dixit in Alcibiade conſentaneum eſt meliores eſſe naturas nobili in genere, quàm ignobili. Et Ariſt. in lib. 1. Politicor. cap. 4. dixit, vt ex homine hominem, ex belluis belluam, ſi ex bonis bonum generari putant. Athenienſium Reſpub. illo tempore florebat, quo Patricios appellabat ex illuſtribus familijs, & pollentes opibus, penes quos fuit ciuitatis regimen, refert Dionyſ. Alicarnaſ. lib. 2. ſequitur ſecundum præceptum ex eadem ſanctiſſima Valentiniani conſtitutione circa perſonas Annonam miniſtrantium, in eis debere prudentiam ſubſiſtere, ac permanere, cum rectè neminem præeſſe dixerit Plato in Me. niſi fuerit prudens. Huius prudentiæ beneficio bona, & vtilia, honeſta, & turpia rectè diſcernimus, factaq. conuenientia iudicamus.

Denique vt paucis omnia complectar gubernatrix eſt hominum, & omnes inter ipſos conſtitutionis Princeps, Ciuitates, & familiam priuatamq. ſingulorum vitam ad exemplar diuinum referens, quæ poteſt optimè ſimilitudine depingit, hoc delet illud inſcribit, vt vbique aſſimilationis modo ſtudens. Hinc refert Demoſthenes contra Theocrinem, tunc maximæ Remp. floruiſſe, cum a modeſtis, & prudentibus viris regeretur: Solet enim Deus bonis viris, bona conſilia, & Reipub. ſe commoda ſugerrere. Ita dicebat Philo. delegat. ad Caium. Quare quibus ineſt prudentia, ipſis etiam ineſt bonarum, &

Y mala-

malarum rerum ſcientia, poſita tota in delectu, & cognitione rerum expetendarum fugiendarūq. ſic futura prouidebunt, præſentia diſponent, & præterita memoria conſeruabunt. Rectè igitur Claudianus dixit in laudem Steliconis 2. paneg.

Prudentia nequid
Inconſultus agas

Sed quia parum Reipublicæ prodeſſet habere iſtos Annonæ ſuſceptores prudentes, niſi quoque illis fidelitas adiuncta foret, cum prudentia ſine fide vana, & mendax ſit, ſecundum Franciſcum Patricium in lib. de Regno, & Regni inſtitutione lib. 8. in principio. Ideo tamquam clarius lumen in eis fidelitas fulgere debet: illa eminus manens nulla neceſſitate quemlibet ad fallendum coget, nec humani pectoris bonum vllo præmio corrumpet: imò vt pulcher Plautus meminit in Aſinaria de fidelibus viris.

Moriri ſe ſe mauolet:
Quàm non perfectum reddat, quod promiſit.

Oportet etiam hos annonæ Miniſtros iuxta alterum Valentiniani ſanctiſſimum Inſtitutum eſſe bona conſcientia præditos, quæ vbi reperitur mali fuga, & prætenſio boni, quoque ineſt ſecundum compendium Theolog. Verit. cap. 52. & contra vbi erit facinoroſa conſcientia, inde malæ cogitationes, & mala inſurgunt opera: Nam vt oculi propria virtute priuati malè vident, ita anima propria virtute deſtituta malè ſuum opus peragit. Neceſſè eſt igitur malam animam malè imperare, atque curare, bonam vero hæc omnia benefacere, ita dixit Plato in lib. 1. de Reſpub. Denique ob hanc ipſam virtutem ab omni peccato ſe abſtinent hi ſuſceptores, quod aliter facere non poſſunt, quàm ſi habeant recti, paruiq. notitiam. Manet etiam vltimum præceptum ſcilicet vitæ integritas. Nec fruſtra in his requiritur, cum ad rectas operas animum ſubleuare habeat, aduerſari vitia, iuſtitiam colere, & Rempublicam æqua lance miniſtrare: lucro autem proprio numquam vir integer, & ſapiens ſtudet, quia bona hæc terrena contemnit. Lactan. Firmian. lib. 5. de Inſtit. cap. 19. Neque contra Rempub. neque contra iuſiurandum, ac fidem amici ſui cauſa vir integer, & bonus faciet, non prætium, neque preces alicuius oculos ipſius excæcabit. Hine memoriæ traditum

eſt,

eſt, pertinacem virum fuiſſe grauem, & pauperem. Siquidem id quoque illius laudibus accedebat, quòd eum plurima omnium adminiſtraſſet, tamen erat omnium pauperrimus, & hoc propter ipſius vitæ maximam integritatem, ſic Herodotus ait lib. 2. Inſuper habere debent huiuſmodi ſuſceptores rerum experientiam, §. ſed cum ſit neceſſe, C. de nouo Codice confirmando. Vir enim in multis expertus cogitabit in multa, & qui multa didicit, enarrabit intellectum, qui non eſt expertus pauca recognoſcit. Eccleſ.cap.34. Experti certius quod intendunt conſequuntur: quam ij, qua rationem abſque experientia tenent Ariſt. lib. 1. Methaphyſ. Non immerito igitur. Plinius lib. 5. Epiſtolarum epiſt. 5. propter ipſam rerum experientiam de Mauritio ſcribere auſus fuit, dum dixit; Vix eſt grauis, prudens, multis experimentis eruditus, & qui futuris poſſit, & præteritis prouidere: mihi & tentandi aliquid, & quieſcendi illo autore ratio conſtabit, quod ipſum affirmat Cic. in oratione pro Cornelio Balbo in his dictis aſſiduus vſus vnius rei deditus, & ingenium, & artem ſæpe vincit. Vnde Ouid. lib. 2. de Arte amandi.

Scit bene venator ceruis vbi retia tendat
Scit bene, qua ſendens valle moretur aper.

Prætereà Ioannes de Platea in l. per banc. C. de erogat. milit. annonæ lib. 12. inquit, quod Miniſtrator, ſeu erogator Publicæ Annonæ in principio ſui officij ſe officium ſuum iure, & iuſtè adminiſtraturum iurare debet, ac etiam, quod militibus proprijs Annonam eis debitam numerabit. Vnde ibidem primo loco non nulla de iure curando officialis deputati ad ſoluendum ſtipendiarijs, vel ad diſtribuendum ſpecies publicas, vel ad alia miniſteria, & præſertim eos iurare debere, ſe fideliter officium ſuum eſſe exequuturos, ac diligenter, iuſtè, & accuratè, remota omni fraude, ac dolo. Appoſito enim iuramento cautior, & diligentior animus fit, & a duobus cauet, ni ſcilicet amicos lædat, & ne peccet in Deum, atteſtatur Stobæus ex Antiphanis ſententia ſermone noſtro. Vlterius ſuis omnibus peractis dicti ſuſceptores, annona ſuſcepta, & pecunia frumentariæ librum conficere tenentur, & illum tradere Decurionibus, qui ponant in Archiuio publico, vt cum opus fuerit cognoſci poſſit quantitas Annonæ, reiq. frumentariæ l. excellentia. C. de erogat. milit. Annonæ, & l. 1. C. de Apoch. publ. Annonæ vero præfectus cum expediens ipſi videbitur diſcuſſorem mittere debet, qui Prouinciam viſiſſet, di-

ſcutiat, & diligenter inquirat Annonæ quantitatem, & ſingulorum capita, numerumq. deſcribat, & innoteſcat, an tantum annonæ ſit in Prouincia, quæ ſingulorum neceſſitatibus ſufficiat, an vero vrgeat neceſſitas prouidendi aduerſus ingredientem inediam, docet Ripa in loco alias citato, num. 40. Qua deſcriptione, & annotatione facta ſi cognouerit non plus annonæ in Prouincia eſſe, quàm humano victui neceſſarium ſit, tunc edictum proponet ne quis extra prouinciã fruges deferat ſub pœna, quæ illi magis conuenire videbitur. Ripa vbi ſupra num. 4. Vltra prædicta ad conſeruandam vbertatem renouanda eſſet illa conſuetudo, cuius meminit Vulpianus Iuriſconſ. in l. ſi pendentes. §. & in fine. ff. de vſufru. ſub his verbis. Solent poſſeſſores certam partem fructuum municipio viliori prætio addicere, quod ipſum non ſolum interpellatis annis fieri neceſſe eſſet, ſed annuatim obſeruandum fuit, vt his conditis in publicis horreis vrgenti famis aculeo egentium neceſſitati facillimè ſubueniri poſſit; Nec aliquid de his tangi, quam veteri conſumantur, vt iam prudentiſſimè ſtatuit Valentianus Imperator in d. l. 5. C. de condit. in publ. horreis. Extat & ibi propè alia conſtitutio Arcadij conſiderationis quidem maximè, qua eos, qui aliquid ex horreis publicis vſurpauerint, deportatione, ac bonorum publicatione condemnari ſtatuitur, quæ iuſtiſſima ſanctio ſi hodie locum haberet, rebus publicis longè quidem melius conſultum eſſet. Similiter contra iſtos officiales, qui de pecunia communitatis, & de frumento mercaturas faciunt, duriſſimè alia via agunt, & acrius caſtigari permittunt l. 2. C. de his, qui ex public. coll. 25. & vltra criminales pœnas etiam Reipublicæ tenetur in quadruplum l. 3. & 2. vbi Bart. C. de his, qui ex publ. ratio. & quicquid ex pecunia, vel ex frumento publico mercati fuerint, & lucrum fecerint totum eſſe debeat Reipub. alias contra conſcientiam retinerent ſecundum Bart. in l. 5. num. 2. C. de auri publ. perſecu. l. x. cuius dicti ratio fundamentalis eſt, quia pecunia frumentaria, & ipſum frumentum ſemper debent eſſe parata ad vſum deſtinatum. l. 2. C. de frum. vrb. Conſtan. & l. 2. §. frumentariæ. ff. de adminiſtrat. rerum ad ciuit. pertin. vltra quod etiam expreſſè longè cautum eſt, atque prohibitum, ne ſuſceptores ex publica annona pecuniaq. frumentaria mercentur d. l. 1. & 2. C. de his, qui ex publ. Collat. Debent etiam ſuſceptores annonæ illico poſt finitum officium rationes reddere, vt ſi in furto inuenti fuerint facilius queant recentem reintegrare iacturam l. 5. C. vt omnes tam ciuil. quam crimin. Iud. qui ſi aliquid de annona ſurripuiſſe conuicti fuerint vltra pœnam ſupradictam illius inferendam

uendam pro mala adminiſtratione, ad quæcumque alia officia gerenda ineligibiles declarandi eſſent. l. 2. C. de Palae. ſacr. In ratione autem reddenda tenentur edocere quibus titulis ſuſcepta diſpenſauerint; Hi quibus nominatim tradiderint cauſam traditionis, & idem l. 2. & ibi Bart. C. de Nauib. Pro mala autem adminiſtratione, & præſtatione reliquorum ex ordine conuenitur ſuſceptor, mox eius fideiuſſor, demum in ſubſidium nominator l. 2. C. de ſuſcept. ſi etiam Ciuitas dubitauerit officiales de præda ſuſpectos poterit eis officium interdicere, & alios ſubrogare d. l. 2. C. de frument. Alexan. Quæ omnia profectò notanda, & obſeruanda eſſent contra iſtos annonæ adminiſtratores, ſiue vt vulgò aiunt Abondanzenos noſtri temporis, qui omni prorſus remota conſcientia, & rei penitus Gehennæ frumento, & pecunia communitatis mercimonium agunt, & ſceleratis mentibus vltrò ſemper ſtudent ſarcire domeſtica damna Reipublicæ rapinis patrias exhauriunt opes, diripiuntq. vobis publica patrimonia, & ſibi latas vi, doloq. parant diuitias, & non iuſtitiæ numen, & iram formideant, quæ ſuperum conſilijs ſemper adeſt, & vigilantibus oculis omnium facta reſpicit mortalium. Ne fortaſſe iſti ſunt memores, quòd malè parta, quæ domi accumulantur nihil ſalutis habent, & iniuſtæ diuitiæ malis hominibus adiunctæ, poſtquam breui tempore vſum ſui præbuerunt ſtatim euolant è domo, vt ex Euripides dicto refert Stobæus ſermon. 92. Quàm plures vidi, & certa aliorum relatione audiui hos Reipublicæ adminiſtratores, ſeu potius dicam expillatores, imò excoriatores tractu temporis conſumptis, & reiectis omnibus malè conquiſitis in eſtremam vitæ neceſſitatem deueniſſe, atque ita Codro, vt aiunt, pauperiores vna cum eorum familijs toto orbe extorres, ſine ſpe, & ſine fide vagari, oſtiatim victum quærere, & aliena viuere miſericordia. Huiuſmodi igitur ſuſceptores ſeueriſſimè caſtigandi ſunt, vt alias dixi.

Plura alia pro conſeruanda vbertate, & ne ciuitas fame pereat hic enarranda, & addenda eſſent, ſed ea omnia prudentiſſimo Annonæ Præfecti iudicio relinquere conſultò ſtatui, ne amplum potius de regimine ciuitatis tractatum, ſeu volumen fabricare videar, quàm bene vbertatis conſeruandæ compendium, prout animo meo propoſui: Quædam tamen, quæ publicæ annonæ erogationem concernunt breuiter explicabo. Quoniam multiores & ſubditos Annonam erogari ac diſpenſari oportet. ex gentium neceſſitate, ac præfecti & Reipublicæ humana miſericordia. Ideo videndum eſt a quibus, qualiter, & quibus ſit iſta erogatio facienda, & ordine, quo An-

nona ſuſceptores, ſeu cuſtodes eligendos eſſe ſupradictum fuit num. 35. & ſeq. quem erogatorem deceat ratio, & prudentia conſilium, qui ſimiliter animaduertere debet ad honeſtum neceſſarium, & debitum, vt rectè conſiderat Ripa vbi ſupra num. 175. Aduertendum eſt etiam maximè ne ad erogationis officium aliquis eligatur, qui ſit in dignitate poſitus, ne ratione dignitatis fiat audacior ad fraudandam publicam vtilitatem per tex. in l. nemini, C. de numer. & actuar. lib. 12. Per iſtos erogatores, ſeu actuarios praſtare debet idem iuramentum, quod ſuſceptores, vt diximus praſtiterunt de bene miniſtrando propria manu, & non aliena quicquam erogando, l. per hanc, C. de erogat. milit. Ann. eodem lib. His omnibus peractis per eoſdem eroganda, & diſtribuenda erit publica Annona ſecundum Io. de Plat. in l. ne diutius, C. de numer. actuar. lib. 12. per illum text. Prudenter autem erogatores iſti officium ſuum exercebunt, ſi nihil de nouis fructibus tangant priuſquàm veterem erogauerint Annonam d. l. 1. C. de condit. in publ. horr. vt ſupra dictum fuit. Eſt autem per iſtos actuarios, ſeu erogatores illis eroganda, quibus Annona Praefectus erogàri debere mandauerit, l. his ſcholaribus, C. eodem tit. de erogat. milit. Annonæ, & neceſſitatis tempore ordinem infraſcriptum obſeruabit. Primo erit exquirendum quot, & quales in Ciuitate ſint, quorum pauperum nomina, & ſingulorum habitationes in vno libro deſcribi debent, & cuilibet aſſignandi ſunt vnus, vel duo panes ſingulo die ſecundum iures redditu um ipſius Ciuitatis arg. l. fin. C. de frum. Alex. Quod ſi redditu um tenuitas obſtet, quominus omnibus ſubueniri poſſit, tunc ſolum deſcribantur pauperes originarij eiectis forenſibus, l. fin. & ibi Bart. num. 1. C. de Annon. Ciuit. lib. 11. ſi vero omnibus originarijs, & incolis Reipublica ſuccurrere nequeat, tunc infirmis, & inualidis hominibus primo ſubueniendum eſt, §. ſi quis autem, in Authen. de Ecleſ. tit. Data vero inter iſtos paritate pauperibus magis dignis erogatio facienda eſt ſecundum Federic. de Senis. in Conſil. 282. num. 2. Magis autem digni ſunt, qui maioribus abundant virtutibus l. 5. C. de Annon. Ciuit. Et licet omnibus miſericordia debeatur, iuſto tamen amplius debetur cap. non ſatis 86. diſtinct. & pauperibus Monialijs magis quàm viris etiam religioſis facienda eſt eleemoſina, quia indigentia in Monialibus magis eſt periculoſa cap. 5. de ſtatu regul. lib. 6. & quia viri conuenientius operari poſſunt, quàm fœmina l. quiſquis. verſ. ad filias. C. ad l. Iul. Maieſt. ita determinat Bald. in l. tum mulier num. 8. C. de donat. ante nupt. & ſponſ. vbi ſubdit, quod in du-

in dubio Monaſterium Monialium præſumitur pauperius, & locus magis pius, ideò præferendum in eleemoſinis faciendis, vt referet etiam Federic. de Sen. d. conſ. 282. Item potius pauperibus nobilibus eroganda eſt publica annona, quàm Ruſticis, & plebeis, ac potius ſenioribus, quàm iunioribus. Ripa, vbi ſupra num. 160. Quoniam accidit aliquando, quod Ciuitas habet Annonam minimè inter pauperes diſtribuendam, ſed quam ſeruabat, vt obuiaret futura inedia, & contingit tanta vbertas, quòd expediret fortè propter vetuſtatem eam vendere. Ideò conſulendum eſt tali pacto Reipublicæ indemnitati, videlicet ordinare, quod quilibet ciuis teneatur emere certum quid de dicta annona plus, & minus ſecundum ratam patrimonij tex. eſt ad hoc ſingularis ſecundum intellectum. Bart. in l. 5. num. 2. & 3. C. vt nemini liceat in empt. ſpecul. lib. 10. quod ſanè intelligendum eſt, vbi neceſſitas vendendi vrget. ſecus ſi lucri, & mercimonij cauſa Ciuitas vellet grauare Ciues, quia non poſſet l. nec emeri. C. de Iureiur. deliber. vltimo loco erogatores iſti completo officio vectieationis ſuæ rationem reddere debent ſoli, & abſque vllo numerario ſeu calculatore. Ripa vbi ſupra num. 597. & ſi erogauerint pro pauperibus teneantur intra triginta dies erogationis fidem facere per publicum Inſtrumentum l. actuarij. C. de erogationibus milit. Annonæ, & ſingulorum quietationis demonſtrare; qualiter autem, & quando contra erogatores agendum ſit docet Salicet. *in l. 1. C. de Epiſcop. & Cleric. quo vero tempore ne id etiam neceſſaria prætermittam ſit emendum frumentum, & in horreis publicis condendum. Præfectus Vrbis arbitratu, & Iudicio ſuo pro integritate mentis id facere, ac exequi debet. d. l. 1. C. de condit. in publ. horreis, qui non amore, non cupiditate, & odio victus, quibus humanum peruertitur iudicium ſecundum Iſid. lib. 3. capit. 38. Sed æquitate, ac publica autoritate ductus quicquid expediens Reipublicæ fuerit operetur. Qui quidem Annonæ Præfectus tempore penuriæ poterit imponere pretium non ſolum frumento, ſed etiam alijs rebus, & ſi qui fuerint, qui vendere contradicant & renuunt ſuo arbitrio puniri poſſunt iuxta relata; per Franc. Marc. Deciſ. 290. vol. 2. num. 2. Quilibet etiam diligens Annonæ Præfectus tempore penuriæ inueſtigare poterit Mercatorum horrea æquè ſimiliter aperire, & frumentum inuentum viliori prætio vendere, ſequitur Franc. Marc. deciſ. ſupradicta rectè igitur ad ipſum obſeruatura legimus in Liuio libro quarto a Lucio Minutio Romæ Annonæ præfecto, qui cum dira fames*

Vrbem

Vrbem vrgeret ex Etruria frumentum aduexit, & Ciues frumentum profiteri coegit, & vendere, quod vſui menſtruo ſupereſſet huius Magiſtratus difficili tempore, & caritate Annonæ vſus potiſſimum, atque opera exigebatur, frumentumquè, vndique coemendum, & ſi quis vltra proprios vſus poſſideret in medium ponere curabat aduehi vndique, & aduectum iuxto pretio vanire nitebatur. Cuius Magiſtratus ope Populo Romano penuria laboranti egregia ſapè opera nauata eſt. Herodes idipſum Giudæis diligenter præſtitit in ſumma Annonæ difficultate, & ad ſementam faciendam fruges quoque diſtribuit autor eſt Ioſeph. lib. 15. Antiquitatis Iudaicæ. Nullum igitur eſt magno Principi immortalitatemquè merituro impendij genus dignius, quàm quod erogatur in ſubditos, veluti ab Illuſtriſſimo Cardinali Iuſtiniano Prouinciæ Marchiæ de latere Legato viro Ampliſſimo, ſapientiſſimo, & nunquam ſatis laudato factum comperimus, qui non ſolum ſubditos, ſed gentes externas fama preſſas curauit, cuiuſlibet neceſſitatibus proſpiciens, & paterna diligentia diſtribuens alimenta. Tam velox illius potentia eſt, tamquè in omnia pariter intenta bonitas, & accincta, vt fide recluſerit vias, portus ſatisfecerit, itinera torni litoribus mare, litora mari reddiderit diuerſasſquè gentes ita commertio miſcuit, vt ſine illius iniuria vſibus noſtris frumentum, & tranſmarinis Prouincijs aduectum exhiberet non ex hoſtibus raptum, ſed quod terra genuit, quod ſydus aluit, quod annus tulit quilibet deuehit, admirabile profecto eſſet recenſere quam heroicæ, ac Imperatoriæ in eo Principe virtutes eluceſcant, dictu difficile quanta in eo prudentia quàm maturum, tam in publicis, quàm in priuatis conſilium, quàm perſpicax in adminiſtranda Republica iudicium, quantum in negociorum expeditione ingenium interim prætermittam quantum bonarum præſidijs ſacra Philoſophiæ ac ciuilis diſciplinæ præceptis ad hæc belli paciſquè artibus ſit abundè inſtructus, aliò mè vocat numeroſa gloria ſua, alio mitis ſeueritas, aliò admirabilis vigilantia cum omnia inuiſere omnia audire, ſedulò perquirat, & velociſſimi ſyderis more vndecumque inuocatum ſtatim numen velut adeſſe, & adſiſtere videtur. Sed quid ſingula conſertor, & colligo, quaſi vnica oratione complecti, aut memoria conſequi poſſim, quæ totum Picenum nè qua interciperet oblio, & in publica acta mittenda, & incidenda in ære omnino cenſuit? Viuunt igitur

hæc

hæc omnia, viuentquè ſemper, atque etiam latius in ſermone hominum verſare liquidè patebit. Quare ſperamus, & ſecurè nobis ſub tanto Principe diuturnam felicitatem pollicemur; cuius conſilio, & cura fænerandi prauitate penitus interdicta, & agriculturæ ſtudio gentibus inducto ſterilitatis atrociſſimus incurſus Deo fauente faciliimè euitabitur. Stupent hoc modo Agricolæ, plenis horreis, nec maligna tellus, ſed obſequens, & largior fœcunditatem ſuam aperiet, & priſtina benignitate vberrimas fruges generabit. Viuent itaque homines tranquillam, ac copioſam vitam.

F I N I S.

AOI AG719418

REGESTVM.

✠ A B C D E F G H I K L
M N O P Q R S T V
X Y.

Omnes ſunt quaterniones, præter ✠, duernionem, & Y, ternionem.

ROMÆ, Apud Bartholomæum Zannettum.
M. DC. IX.

SVPERIORVM PERMISSV.